BUONAMICI

148

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
DI FIRENZE

OPERE BIBLIOGRAFICHE E BIOGRAFICHE

RACCOLTE DAL

DOTT. DIOMEDE BONAMICI

di Livorno (1823-1912)

Novembre 1921.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ILLVSTRIBVS
SCRIPTORIBVS

QVI IN CIVITATE ET REGNO NEAPOLIS AB ORBE CONDITO
AD ANNVM VSQVE MDCXXXXVI. FLORVERVNT

AVCTORE

BARTHOLOMEO CHIOCCARELLO

NEAPOLITANO ET IN SVPREMIS EIVS REGNI FORIS
CAVSSARVM PATRONO.

TOMVS PRIMVS.

NEAPOLI MDCCLXXX.
EX OFFICINA VINCENTII VRSINI.
AVCTORITATE PUBBLICA.

Digitized by Google

Buon. 148.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO VIRO
ASCANIO PHILOMARINO
TVRRENSIVM ET COTVFRIANORVM
DVCI GENEROSISSIMO.

IANVS VINCENTIVS MEOLA

NUlla unquam aetate opportunius ; quam hac ipſa florentiſſima, ſibi conſultum iri, meo ſane judicio, Chioccarellus optare potuiſſet ; neque ulli melius aequius Mecaenatum ſiſti, quam Tibi, Dux Ampliſſime, Praeclariſſimeque, domi cujus portum a naufragio ſupra centum annos invenit, cujuſque ope nunc in dias lucis auras, veluti a morte revocatus eſt.

 Nam

Digitized by Google

Nam cum is vivens adhuc expilatione ſcriniorum ſuorum divexatus eſſet, unde non parum tuliſſe damni ſaepe indoluerit, morte demum occupatus, in direptione omnium librorum, atque elucubrationum ſuarum, nonniſi unum Aſcanium Philomarinum S.R.E. Cardinalem habuit, qui Bibliothecam hanc Scriptorum noſtrorum, ſive eorum Hiſtoriam, quam dicunt *Literariam*, occulendo ſervaret. Id quod jure optimo vir ille magnus praeſtitit, qui, ut in ea temporis ſui foeda Populi, ac perduelli ſeditione Civitatem noſtram, & optimos quosque ab interitu eripuit; ſic in uno Libro quotquot per litterarum monumenta ſpirabant adhuc quaſi ab interitione una, liberavit. Et quoniam praecipuis, quas ad exornandam, amplificandamque Eccleſiam Neapolitanorum Pontifex ſuſceperat, curis diſtentus nequiit ab orci faucibus ereptum in vulgus edere; videtur Tibi uni, nominis aeque ſui, ac Patriae caritatis haeredi hanc provinciam reliquiſſe.

Quare quid amplius ad gloriam nominis tui, ac gentis adeo de Patria benemerentiſſimae adjiciendum ſit, non video. Et fortaſſe ſupervacaneum foret; ſiquidem Chioccarellus ipſe in hanc laetabundus ſcaenam prodit, qui, prae ſtatuis, epigraphisque Aſcanio olim publice dandis, PHILOMARINAE Genti, OB CIVES SERVA-

TOS,

TOS, inſcribendum eſſe praeſenti inclamat editione : Atque ea ſunt quidem merita, quae optimi quique, ſupra quod alii demirantur fumoſarum imaginum domi, foriſque honeſtamentum, maximi faciunt; quaeque Patriae ornamento cedunt. Etenim quanam alia factum eſt ratione, ut inter tot domeſtica exempla virtutis, & bellicae laudis, civiliſque incitamenta ad Muſarum otia, & Naturae ſtudia Tuum animum advertere non recuſaveris ? atque adeo ingenti animi virtutum familia, ampla mentis notionum ſuppellectili, frequenti doctiorum hominum (qui ampliſſimam domum tuam adeunt ad machinas, atque experimenta Phyſices demiranda) conſuetudine unice delecteris, inanem quamvis aliam ratus gloriolam, atque oblectationem? Quare, cum aliquid ex Annalium libris ad PHILOMARINI nominis celebritatem huc afferre conſtituiſſem, humaniſſime denegaſti hanc veniam; atque hortatus es, ut temporis uſuram ad operis editionem quanta maxima exigendam ſedulitate, & accuratum, quod diu exquiſieras, de eo judicium proferendum impenderem.

Itaque dicendum modo eſt, quomodo opportuniſſimam Tua ope Chioccarellus emergendi in lucem nactus ſit tempeſtatem, qua celari amplius, & in abdito forulo-

num deliteſcere, ſine bonarum artium detrimento aliquo, non poterat. Cum enim auſpiciis, ſeu potius providentia Ferdinandi Regis Noſtri Pientiſſimi illuxerit tandem illa dies (bonorum ſemper in votis !) in qua movere latera Res literarum publica apud nos videatur, ac recenſere quaſi palantem exercitum literatorum hominum datum ſit; nunc erat rationi omnino conſentaneum, ut Auctor Noſter numerum innumerum iniret Scriptorum, quos a remotioribus uſque ſaeculis ditio Neapolitanorum protulit, ut quaſi propoſitis veteranorum noſtrorum exemplis ad excolenda bona ſtudia, politioreſque omne genus literas novorum hominum animos incenderet, & acriori ſtimulo incitaret.

Per hunc enim Scriptorum Catalogum illico ſeſe prodũt ea duo laudis avitae capita; alterum nimirum, quod inter noſtros una pariter Hiſtorici, Philoſophi, Poëtae, Philologi, Juriſperiti praecellentes, Sacrarum Diſciplinarum cultores optimi, Matheſeos etiam, atque in omni fere doctrina ab Andegavenſibus, Aragoneiſque Regibus ad hoc ipſum aevum extiterint continenter florentiſſimi. Alterum autem quod nulla unquam anteacta aetate, quamvis ſaniori ſtudiorum rationi magis adverſanti, unus aliusve de Noſtris vir ſummus deſideratus ſit; qui rectam viam, curſumque literarium, inter caligantes barbariei te-

tenebras, non teneret. Ita, ut nulla prope fuerit aetas, qua apud Nos barbaries impune graſſata ſit, cum plures identidem extiterint bonarum artium patroni, qui modo Logices praecepta reficiendo, modo Philoſophiam a tribulis Arabum univerſam, & jugo Ariſtotelico liberando modo abdita Naturae arcana detegendo, eidem obſiſtere contenderunt. Omitto autem, quae Humanitatis nomen praecipuo quodam jure uſurparunt, Eruditionis ſcilicet, & Eloquentiae ſtudia proſa perinde, ac verſa oratione a Noſtris per Pontanianos primum reparata; atque in omni ferme tempore non uno conatu nobis perpetuo vindicata.

Id quod Diatribae ad Hiſtoriam Neapolitanorum Literariam argumentum nobis tribuit, quam ΣΥΝ ΘΕΩ in lucem dare, cum aliis, enitemur; poſtquam Vir Clariſs. P. Afflictus Bibliothecam, quam adornavit Scriptorum noſtrorum locupletiſſimam, a Graecis, Latiniſque ad nos uſque, ſummis vigiliis, atque eruditione ſingulari perductam, fidem liberando ſuam, in publicum emiſerit. Nam haec ipſa, quam Chioccarellus inſtituit tempeſtate tantum ſua clauditur, anno ſcilicet MDCXLVI. quaeque Nicolai Toppii inſecuta eſt eodem ſaeculo continetur; tandemque Berardini Tafurii alia haud praetergreſſa eſt annos MDC. adeo, ut mancus omnino uniuſcujuſque labor, verten-

tente jam ſaeculo XVIII. ſcriptoribus cujuſque generis refertiſſimo, evaſerit. Sed quoniam fortaſſe erit, cui otioſa nimium cura haec noſtra videbitur edendi Chioccarelli opus non abſolutum quidem, cum alius ad id ſe accinxerit, ac praeſtitiſſe jam profiteatur; juvat admodum paucis expendere, Dux Praeſtantiſſime, in quo alios Noſter anteire videatur, cuique eſſe poſſit plurimum adjumento: quod eſt meum (quantulumcumque illud ſit) de hoc Auctore judicium.

Profecto enim, quamvis praeterire eos cenſuiſſet Chioccarellus, qui ſive minoris famae ſcriptores fuerint, ſive perridicula tractarint; veteres tamen omnes ex Latinis, Graeciſque primus omnium recenſuit; ac, poſt renatas literas, pervetuſtas, primaevaſque librorum editiones enumerando expendit, quae raritate ſua Manuſcriptorum fere loco ceſſerunt. Atque omnes, quod rei caput eſt, corradendo, luſtrandoque non minus Urbis, quam Provinciarum Bibliothecas, & privatorum hominum Codices manu exaratos rimavit; deindeque, dominorum nomine indigitato, fecit, ut facili quidem ratione, ſi cui opus erit aliquando, veſtigiis nominum ſectatis, illos eruere, ac diſſepelire contingat. Accedit his, quod paſſim Elogia inſerat, Teſtimoniaque clariſſimorum ſcriptorum coaeva praeſertim deſcribat; quae, quantum adjuvent Hiſto-

riam

Digitized by Google

riam Literariam, nemo eſt, qui ignorat. Atque hoc laudi tribuendum eſt ſingulari ejus, qui difficilem aggreſſus eſt ante alios provinciam, cum non adhuc Magliabecchi in Italia conatus ad haec ſtudia incoepiſſent (unde Nicodemi magna pars Additionum ad Toppii Bibliothecam ortum habuerunt), atque ultra montes eximii Iani Alberti Fabricii labores, cujus exemplo poſtmodum Maffejus, Fontaninius, Zenus, Mehus, Lamius, Mazzucchellius, fratreſque Vulpii, omnes ſane ΠΟΛΥΙΣΤΟΡΕΣ excitati ſunt; poſtremo vero Eques Hieronymus Tiraboſcus (amicitiarum mearum vere ornamentum), in cujus Annalibus librata velut mole ſua inſediſſe nominis Italici gloria non uni mihi jam videtur.

Atque, o utinam, quam Chioccarellus adhibuit diligentiam in veſtigandis, ſcrutandiſque rebus, eamdem ipſam in illarum enarratione, ac diſpoſitione, praeſertimque in emendata ſtyli puritate poſuiſſet; quod & Lectores ſuos, & libri Editorem de ſuſcepto onere laetum omnino feciſſet! Sed aliud ſibi voluit fortuna rerum arbitra, aliud a nobis expetitum ſine fortuna eſt; ne, ut de Barth. Chioccarello primo, & accurato Literariae Hiſtoriae Neapolitanae Scriptore laetamur; ſic de uno ipſo, elegantiore cum primis, ac nitidiore ante alios, qui deinde ſecuti ſunt, gloriari poſſemus. Itaque [illegible]rendum, Dux Optime. atque accom-

accommodandum neceſſitati fuit, ſi ſtudiis ejus, vigiliiſque, uti par erat, frui in tanta patriorum inopia monumentorum cordi inſediſſet.

Contra vero, cum dictio Chioccarelliana omnis inculta, & puerilis etiam quandoque evadat, ut pote, quae ad comprehendendum tandummodo res adhibita ab auctore ſit, immutanda fere omnis mihi fuiſſet, ubi medelae faciendae amore deceptus ad exornandum eam manus admoviſſem. Quod contra fidem factum omnino eſſet; nec probari doctis unquam, qui Chioccarellum, non novam utique ſcriptionem, morantur, valeret. Quare aliquo tantum ſoloeciſmo liberata, rudis & injucunda ecce venit ad argumenta rerum expedienda, inſolenti labore, ac difficultate veſtigata incredibili. Sed neque criminandus eſt hac in parte Noſter, cujus verba, quibuſcum ſe Doctos apud exſcuſat, quaeque immutare piaculum ſum arbitratus, facti defenſionem ſuſcipiunt: *Demum ad Forenſia negotia me contuli, in quibus nedum Graecis literis, Poeſi, ac Philoſophiae ſtudiis me abdicare, eaque prorſus deſtituere coactus ſum; verum etiam Romani eloquii puritatem oblitus fui ob immenſam ſermonis barbariem, quae in forenſi piſtrino viget; ita prorſus, ut vel ipſe quoque Cicero Romani eloquii parens, ſi viveret, & in eo aliquantiſper ageret, Romani ſermonis elegantiam plane foedaret, & obliteraret: & non Romae,*

ſed

ſed apud remotiores barbaras nationes educatus videretur. Omnia regia Archiva accurate ad verbum perlegi, & cetera: quae alibi in Vitae Commentario reperies.

Quod vero ad ipſam editionem ſpectat fateor me a Forenſibus fuiſſe ſtudiis praepeditum, quominus ſolus, ac totus in ea curanda fuerim: quapropter, ſi quid fortaſſe inemendatum exciderit; Dux Generoſiſſime, ne mihi uni vitio detur, Tua illa benignitas animi, qua me, meaque omnia ſemper reſpicere uſus es, ſperare me facit. Praeterquamquod ipſa Scriptoris inelegantia in cauſa fuit, cur nonnulla, ut ſaepe accidit, Editionis Curatorem tum dictionis inficetae taedio, tum Typographorum moleſtia defaticatum, & prope confectum fallerent; ut negligentiae nota jure merito inuri ſibi non poſſit. Attamen, licet aliquid hac in Editione deſiderari poſſit, Lectores procul dubio Tuam largitatem grato animo excipient; qui ne in poſterum utiliſſimum Chioccarelli librum ſive latitantem ignorarent, ſive inacceſſum recondi perdolerent, publici juris faciendum indulſiſti, & quidem mea opera; ut privatim aeque in Tuorum numerum me receptum, ac publice gloriarer. Vale, & Te bono Patriae, atque ornamento quanto quanto maximo diutiſſime ſerva. Vale.

Digitized by Google

BARTHOLOMAEI CHIOCCARELLI VITA.

AVCTORE

IANO VINCENTIO MEOLA.

I. Bartholomaeus Chioccarellus Neapolitanus. Magnus ſane vir, qui non minimum adjunxit patriae ornamentum. Nam ſi, cum animi praecipua moderatione patriae cohoneſtandae ſtudium ponderadum eſt, ac vaſta ejus literatura, etſi elegantiae praeſidio deſtituta, dubito, an hic primus omnium veniat. Neque enim facile invenias, qui literarum amore, patientia in tolerandis laboribus, animi magnitudine in aggrediendis difficillimis operibus, iiſque omnibus ad illuſtranda patria monumenta, inſtituta, jura, ſine ulla quaeſtus, vel honorum ambitione, conferendis, huic anteponendus ſit. Sed ab initio eſt exordiendum.

II. Non humili loco natus eſt; atque ut ipſe de ſe tradit, majores habuit Philoſophiae ſtudiis, Medicae item artis, ac Juriſprudentiae dignitate vere nobiles (1). Sed incertum quo prorſus anno in lucem venerit, & quo parentes nomine appellati ſint. Videtur tamen ortus ſub finem ſaeculi XVI. fortaſſe inter MDLXXX. & an. MDLXXXX. ut ex aliquo monumento literarum apparet (2). Fratres etiam habuit

*

(1) Ex ejuſdem Chioccarelli Epiſtola MSta, mihi IV. quam cum aliis habeo Sertorii Quadrimani, Ferd. Ughellii, Gabrielis Joannicii, aliorumque illius aetatis. *De noſtra ſcilicet familia, quae proximo pene excidet interitu, quae ſuperiori aetate praeclarorum virorum copia, opumque affluentia, literarum diſciplina praeſtantium, inter quos Philoſophos, Medicos, ac Jureconſultos in lucem protulit, &c.*

(2) Ex eo quod ab Io: Ant. Summontio in *Hiſt. Neap. lib. 1. to. 1.* cum laude nominatur ab anno 1601. videntur viginti ſaltem anni per id temporis enumerandi eſſe ei, quo ipſe doctrinae praeconium ab Hiſtorico conſequeretur.

Digitized by Google

buit nonnullos; quorum ſuperſtes erat an. MDCXLVI. Zacharias Caſinas Monachus, qui SS. Soſii, ac Severini Caenobio Abbas praefuit; quem hic multis quidem officiis eſt proſecutus (3).

III. Puer adhuc Latinae linguae, ac Graecae, humaniſque dedit operam literis, quas publice docebant Jeſuitae, viri in hac re per id temporis praecellentes (4). Neque eo minus Philoſophiae praecepta a Franc. Albertino Catacenſi, ejuſdem pariter Societatis, in Peripateticis diſciplinis tunc magni nominis, addidicit (5): ob eamque rem, quoad vixit, in ejus gentis amicitia ſe continuit, eorum omnino ſtudioſiſſimus. Ab hiſce praeceptoribus jam grandior ad I. B. Portam Neapolitanum divertit, Mathematicis ſtudiis, Phyſiciſque experimentis clariſſ. cujus, cum aliis ſingularem ſcientiam demiratus, auditor perinde, atque amicus non ultimus evaſit. Illoque e vivis ſublato, ad ejus omnium exactam, locupletemque operum editionem procurandam non parum contulit (6).

IV.

(3) Conſtat ex Epiſt. ad illum MSta penes me, cum hoc titulo, *Reverendiſſimo Patri D. Zaccariae a Neapoli Abbati inſignis Monaſterii SS. Severini, & Soſſii Ord. S. Benedict. in Congreg. Caſſinenſi, & Capituli Generalis Diffinitori Bart. Chioccarellus U. J. D. cognatione quidem germanus frater natu major; ſed reverentis animi obſervantia minor.*

(4) Ex ejuſdem Epiſt. MSta. mihi 11. in qua de ratione ſtudiorum, & varia librorum ſuorum fortuna agit; ubi ſic legitur: *Ab adoleſcentia in Patrum Societatis Jeſu Gymnaſio humanis literis, ac Romani eloquii puritate, & Latii ſermonis elegantia, Graecis literis, Poëſi, ac Philoſophia non ſegniter eruditus fui.*

(5) Vide *pag.* 170. hujus *Catal. Script. Neap.* ubi de Franc. Albertino ſic, inter alia: *Vir doctus, acris, & ſubtilis ingenii; cujus auditor fui in rebus Philoſophicis in eodem Neap. Collegio.*

(6) Vide *p.* 314. hujus *Cat. Scr. N. Quorum omnium exemplo excitus ego profundae curioſitatis ſpiritu arreptus, diutius eum ſecutus ſum, & auditor fui &c.* Deinde *pag.* 317. *Expectantur autem omnia ejus Opera tot voluminibus diſtincta, ſimul recuſa ex Germania, cito proditura: quandoquidem annis praeteritis Germanus quidam omnia Portae opera Neapoli diutius conquiſivit, ut ea recudi curaret; quae mea induſtria, opeque integra adinvenit, ac in patriam laetabundus detulit.*

Digitized by Google

IV. Ineunte vero adoleſcentia Eccleſiaſticae adſcriptum militiae non dubitaverim, cujus ſtipendia fecerit ad extremum uſque vitae ſpatium (7). Sunt enim, qui tradunt eumdem jam aetate ingraveſcente (cum juvenili adhuc ardore plerique honores ambiunt) Pontificia munera, aliaſque Eccleſiae dignitates muſarum otio poſtpoſuiſſe (8): quae tum non ita facile, ut anteacto ſaeculo, viro non ſacro oblata eſſent. Accedit his quod Theologiae, ut ajunt, Moralis, ſive de Officiis, & Moribus quaeſtiones audivit Mart. Fornario Brunduſino in Neap. Jeſuitarum Collegio docente (9). Denique totum ſe credidit Legali facultati, in eaque ſecutus eſt I. B. Meliorem Juriſconſultum per eam aetatem celeberrimum, cauſarumque patronum: cujus viri exiſtimationem virentem ſemper retinuit, judiciumque magni fecit etiam ſenex (10). Atque hoc ferme tempore lauream doctoris in utroque jure eum recepiſſe arbitrandum eſt (11).

V. Nunc eſt aliquid praemittendum de literaturae noſtrae ſtatu, cum is jam adoluerat, ut prudens hominis conſilium, cur certo literaturae generi magis animum intenderit, praenoſcatur. Erat ea tempeſtate fere intermortua omnis humaniorum

* 2 ſtu-

(7) Argumento eſſe poſſunt ejuſdem verba ex Epiſt. 11. *& per aliquot annos in conſcientiae caſibus auditor Patrum ejuſdem Societatis verſatus, &c.*

(8) Vide infra, quae ſuo loco appoſita voluimus.

(9) Ex hoc *Catal. Script.* in Mart. Fornario, ubi: *Juriſconſultus, dein e Soc. Jeſu Theologiae Moralis, & Caſuum Conſcientiae valde eruditus; qui toto ferme vitae ſuae ſpatio cum maximo auditorum profectu Quaeſtiones de Officiis, & Moribus explicavit Patavii, & Romae, Neap. ſuoque longo temporis ſpatio in Collegio Neap. ejus Ordinis publicus profeſſor; cujus ego auditor per aliquot annos fui.*

(10) Ex Epiſt. MSta mihi 1. cum hoc tit. *Colendae, ſemperque recolendae memoriae Joanni Baptiſtae de Meliori Juriſconſ. Clariſs. Advocatorum ſua tempeſtate facile principi*, Regioque Conſiliario, *Praeceptori olim, Barth. Chioccarellus U. J. Doctor.*

(11) Vide editorum librorum ejus Inſcriptiones, in quorum fronte nullo pacto titulum U. J. D. vir ingenuus conſtantiſſime uſurpaſſet, niſi prius lauream Doctoris recepiſſet.

Digitized by Google

ſtudiorum, & latinitatis cultura, cum jam ſuo loco ceſſerant Pontaniani: quorum poſtremi Janus Anyſius, & Hier. Borgia naturae debitum perſolverant ante an. MDL. pari modo qui, veluti ex eorum familia, veſtigia Pontanianorum ſecuti erant feliciſſimo Caroli Caeſ. V. aevo; recentiſſimi quorum Rota, atque Arcuccius vertente ſaec. XVI. eminere viſi ſunt. Quod utique ſaeculum nullo pacto grandius, auguſtiuſque claudi unquam poterat, quam Epicae pöeſis cum triumpho ab Torq. Taſſo noſtro, inter Italos, acto. Verum amoenioribus hujuſce literis jam dilabentibus ſuccurrerant Phyſices ſtudia, atque Hiſtoriae, patriorumque monumentorum ſedula illuſtratio; ob eamque cauſſam elato ſigno in Mathematicis, Phyſicisque experimentis a I. B. Porta, ſucceſſerant Hier. aeterni nominis Columna, ac Ferrant. Imparatus, aliique: in Hiſtoria, duce Ang. Conſtantio, Portius, Tutinus, Coſtus, Summontius, deinde Capycius Latro; in Philologia Fab. Jordanus, I. Caeſ. Capacius, Petr. Laſena, aliique. Nihiloſecius tamen Sacra adhuc Hiſtoria, ac Forenſis ſiluerat; monumentaque ad haec ſpectantia ſitu, ac ſqualore jacebant; praeter quorumdam tentamina, de quibus ſuo loco. Quod vero ſupererat, ſupererat autem globus ſuperbiſſimorum hominum (quae quidem peſtis nunc primum in hac Civitate recruduit) in inani verſificatione verſabatur, ac corruptela Italicae pöeſis, viam praemonſtrante I. B. Marino.

VI. Itaque Chioccarellus, quo ſe verteret, multum non ambigens viam inviam, nulliuſque tritam pedibus inivit, ut Hiſtoriam tum Sacram, tum Forenſem, tum etiam, quam dicunt, Literariam exornaret: quod eſt ſignum non modo alacris animi, ſed & ingenii admodum ſingularis. In his ſtudiis, atque in rimandis, examinandiſque patriae monumentis, quae in unum veluti corpus colligere admodum adoleſcentulus coepit vitam omnem traduxit ſuam (12). Quidquid autem tem-

(12) Summontius *Hiſt. Neap. lib. 1. to. 1.* ubi de Caeſarii Conſ. Neap. ſepulcro ait *Ne*

temporis ſupereſſet a contemplatione, exercitioque talium ſtudiorum amicorum temporibus tranſmittendum decrevit, inque commodum Reipublicae unicum vertit. Quare cum Sacro vitae inſtituto Forenſium ſimul negotiorum pertractandorum munus conciliavit. Atque ita in Cauſſarum patrocinio, quod, ut ea ferebat aetas, ab homine Sacris addicto non abhorrebat, aetatem egit: de qua re gloriam non ſemel captare voluiſſe cognitum eſt (13).

VII. Hac de ratione acres ſcopulos, ubique ſemper oppoſitos elegantiae, a principio vitare nequiit. Namque barbariſſimorum ſcriptorum attentam, diuturnamque lectionem aggreſſo, commentariorumque foede perpetuorum, praeter forenſes veterum Gloſſatorum nugas, obruentem molem ſuccollare ei opus fuit, ſi Forenſi utique Hiſtoriae, ac Literariae vellet occurrere; & a qua nemini mirum eſſe debeat, ſi ſcribendo fractus evaſerit. Tantorumque fructus laborum in anteceſſum retulit, ut *Vitas Illuſtrium aliquot virorum* Neap. *Urbis*, & *Proviciarum Regni* conſcriberet, Petri, nim. de Vineis, Roffredi Beneventani, Bartholomaei de Capua, Andreae de Iſernia, Nicolai Spinelli, Ant. de Alexandro, aliorumque (14). Quod miſere deperditum eſt opus; niſi quantum in hoc *de Illuſtribus Scriptoribus* deli-

ban-

Ne abbiamo là ſua iſcrizione, a noi datane dal virtuoſo Bartolomeo Chioccarello &c. Et *lib. IV. to. II. Ma in un libro a penna di que' tempi, che ſi conſerva per Bartolomeo Chioccarello, giovane ſtudioſiſſimo, ſi legge &c.* Atque eodem libro in fine, ubi de interitu Infantis Aragoniae: *Queſto ſucceſſo ſi cava da una tabella poſta nella Chieſa detta S. Maria delle Grazie; e da un Notamento a penna di que' tempi, che ſi conſerva per il Chioccarello. &c.*

(13) Patet ab Epigraphis, atque Inſcriptionibus librorum etiam MStis, in quibus nunquam occinere nobis deſiit, & *in ſupremis* Regni *Foris Cauſarum Patroni*.

(14) *Vitas etiam illuſtrium aliquot virorum Neap. urbis*, & Regni *latine*, & *italice conſcripſi; nempe Petri de Vineis de Capua*, *Roffredi Beneventani*, *Bartholomaei de Capua Neap. Andreae de Iſernia*, Nicolai de Neapoli, *ſive* Nic. *Spinelli de* Juvenatio, *Ant. de Alexandro Neap. Jo:* Pontani Neapolitani, *Anelli Archamoni de* Neap. *Auguſtini Niphi Sueſſani*, & *Bartholomei Camerarii Beneventani*. Ex Epiſt ejus MSta num. II.

Digitized by Google

bando detulit; hoc enim ipſum a primis temporibus, ac domi I. B. Melioris inſtitui coeperat (15); quare ſtudioſos illorum nominum ad illud volumen aliquando delegat (16).

VIII. At hic exaratis hujuſmodi Commentariis Forenſi Hiſtoriae videtur praeludere magis , quam ſibi placere voluiſſe. Non enim illud erat ei propoſitum, ut dicta, factaque veterum Juriſperitorum mandare literis ; ſed ut Curiarum praecipuarum inſtitutionem , vices , incrementa , Principum illis creditos honores , Praeſidum virtutes, ſtudia, aliaque hujus generis perſequi omnia , atque ex abdito in apertum protrahere , legeſque patrias luce ſua offundere curaſſet. Quod unico volumine, cui titulum fecerat *de Sacro Regio Conſilio* (id enim nominis eſt principi Senatui noſtro) jampridem perſtringere voluiſse compertum habeo (17) . Et quod laudi vertendum eſt ſingulari ejus jam ab an. MDCI. cum annos circiter ageret XXI. abſolutum fere illud eſſe Io. Anton. Summontius perhibet , quo in loco legis ab Alfonſo I. Aragonio latae de inſtituenda S. R. C. Curia interpretationem , Chioccarelli ſummo ingenio expromptam , retulit. Tunc magis cum ab eodem Scriptore tradiderit varia Iudicum , ac *Conſiliariorum* denominationem ante Aragoniorum tempora eſſe uſurpatam (18) . Sed de horum nominibus , ac muneribus pro

(15) Ex epiſt. I. ad eumdem. *Qua de re eorum, quae tibi ſpoponderam, haud immemor, libellum edere decrevi; quem tandiu expoſtulaſti, cum apud te in forenſibus negotiis diſcipulum, mox ex adoleſcente adulta jam aetate ſocium , agerem.*

(16) V. huius *Catal. Script. pag.93. Quae ad vitam* Barth. de Capua, *mores, ac geſta pertinent..... alibi fuſius enarrabimus &c.*

(17) Ex Epiſt. m. 11. *Scripſi praeterea Tractatum* De Sacro Conſilio Neapoletano, *ejus origine , inſtitutione, praerogativis , ac privilegiis , tum a jure communi , tum a Regibus ei indultis , cum Catalogo omnium ejus Praeſidum , ac Senatorum , ſive Conſiliariorum , qui ab ejus fundatione ad noſtra uſque tempora inibi reſiderunt : adjectis eorum elogiis . Quem jamdiu abſolviſſem , illiuſque meminerit quadraginta ab hinc annis Jo. Ant. Summontius .*

(18) Id. Summont. to. IV. lib. V. pag. 96. *Ereſſe il Re Alfonſo il Tribunale , chè ſin*

pro imperii, ac patriae τῆς πολιτίας alternatione vices expendit nemo fortaſſe rectius, ut opinor, quam Praefectus Regiae Claſſi providendae; & Iuri inter Claſſiarios dicundo Maximil. Murena, (Vir juſtitia, fide, prudentia aeque, ac humanitate praeter ſeveriorum culturam literarum, omnibus commendatus), in Vita Roberti Neapolitanorum Regis Andegavenſis (19). Hujuſmodi tamen libros a plagiario, ſive potius latenti ſuae famae hoſte ſurreptos ſenex ingemuit Chioccarellus; quare praeſtat eumdem ipſum de hac re querentem audire, cujus verba in extrema reperies pagella (20).

IX. Interea non eſt hoc loco reticenda, quam in animum induxi

ſin oggi dura del Sacro Conſeglio *di Capuana (così era detto il palazzo della* Vicaria *) per le Cauſe dell' appellazioni, che s' interponeno. E ſe ben per quel, che ſi legge in più luoghi del Regio Archivio, ove ſi fa menzione del Sacro Conſeglio, e de' Reg. Conſiglieri a prima viſta pare, che queſto Tribunale aveſſe avuto più alto principio, e per la prima Pramatica ſotto il tit.* De Offic. S. Conſ. *nel libro delle Pramatiche (ch' è di maggior difficoltà in queſto particolare) dimoſtra, che ſia originato dal Re Ferrante, figliuolo di Alfonſo, e non dal Padre. Tuttavolta è dottamente ſuperata da Bartolomeo* Chioccarel*le giovane di molto giudicio; e dottrina, oltre la ſua profeſſion di lege in un ſuo libro, o Trattato,* de Origine, inſtitutione, & praerogativis S. Conſilii Neap. *che ben preſto ſpero, che uſcirà in luce, con molta ſodisfazione, a piacere de' dotti. Dove eſattamente con vere ragioni chiariſce, che quando nell' Archivio ſi legge del Conſiglio, e Conſiglieri Regj, s' intende de' Giudici della Gran Corte, e Corte Vicaria, due Tribunali diverſi uniti ſimilmente in uno dal* Re *Alſonſo. E che la Prammatica predetta o è apocriſa, e formata da poco tempo in quà da perſona poco intendente degli andamenti del* Regno*; o che ſia errore degli impreſſori, che avendo voluto nominar il Padre ban-detto Ferrante il figlio. Il che ſi ſcorge maniſeſtamente, da quel che ragiona de' predeceſſori ſuoi* Re *d' Aragona; il che non può intenderſi di Ferrante, il quale non fu mai* Re *di Aragona, ſe non di queſto* Regno*: per il che neceſſariamente deve dire, e intenderſi di Alſonſo, che fu* Re *di quel* Regno*, e non di Ferrante &c.*

(19) *Vita di Roberto Re di Napoli. Neap.* 1770. *apud Jo. Gravier.* in 8. pag. 33. ad 40.

(20) *Fuit mihi ſurto ſubtractus a viro nequam. Et quia fortaſſe, me ab humanis ſublato, ſub aliorum nomine prodire in lucem continget, & de falſo illi probrum facere non vereantur, poſteros hac de re admonitos volui. Etſi illum &c.*

xi meum, non ſine aliqua ratione, ſuſpicionem; poſſe nimirum facili modo detegi furem, ſi Nicolai Toppii *De Origine Tribunalium* libri inſpiciantur. Nam quidquid eo in opere ſe praeſtaſſe profitetur Chioccarellus, id ipſum in his complexum eſſe Toppium patet alterius veſtigia ſectatum (21). Quum enim idem argumentum, quod L. ante annis hic adornaverat, perſequeretur, haud debita eum laude defraudaſſet, niſi plagii conſcius ſemet prodere vereretur. Neque ullo pacto ignorare poterat quod Summontius jam pridem teſtatus erat; praeſertim cum ipſe alterius ſtudia, atque coepta non ignoraſſe oſten-

(21) Conferas velim totius *το συνημα* operis Toppii, cum Chioccarelli ſupra allatis verbis. Interea ſpecimen erit, quidquid Toppius *to. II. lib. I. cap. 2. pag. 3. de Origine* S. C. ubi de Pragmaticae ſententia (a Chioccarello primum enucleata) ſuppreſſo tamen ejus nomine, differit. Haec rogo, conferas cum deſcriptis (*adnot.* 18.) ſupra Summontii verbis. Toppii autem verba, ſive potius Noſtri (quandoquidem ſcribendi etiam latine ſtilus de ſe loquitur), haec ſunt: *Ex qua videtur Sacrum hoc Conſilium a Ferdinando I.* Rege *erectum fuiſſe, quod minime verum eſt; cum id contradicat, & ex diametro adverſetur ſcriptoribus omnibus, quos retulit, ac tot diplomatibus, quae ex* Regum *Archivis deprompſi, inferius adducendis, ac ejuſdem S. C. forenſibus actis: Ex quibus omnibus luce clarius perſpicitur* S. C. *ab Alphonſo Aragoneo Seniori* Rege *erectum fuiſſe; non autem a Ferdinando I. ejus filio. Alium etiam continet errorem, qui clariſſime ex eo inſpicitur, quando dicitur de praedeceſſoribus ejus* Regibus *de Aragonia; cum* Rex *ipſe Ferdinandus nunquam Aragonum* Rex *fuerit, ſed bene Alphonſus ejus Pater* Aragonum Rex *fuit, ejuſque praedeceſſores* Aragonum *reges fuere: Nec ea verba ibi prolata, nempe* Regnum hoc jure quodam legitimo, & haereditario nobis debitum noſtrae nuper ditioni reſtitutum ſit, idque non tantum noſtris armis, quantum immortalis Dei beneficio: *aptari aliquo modo Ferdinando poſſunt, qui non armis hoc* Regnum *adeptus eſt, ſed in eo Patri ſucceſſit; ſed optime* Regi Alphonſo *I. aptari poſſunt, qui armis illud conquiſivit legitimo, haereditarioque jure, pluribus ex cauſſis ſibi deberi praetendebat, ſuiſque armis fuerit reſtitutum, quod Dei beneficio tribuit*. Poſtremo vero comparare ne grave ſit, ex Elogiis Conſiliariorum, quae Toppius exhibet, Antonii Capycii illud *to. II. pag.* 269., cum Chioccarelli verbis in hoc *Catalogo Script. noſtrorum*; atque non ſic uvum ovo ſimile, ut ille ait, reperies: praeter alia; a quibus brevitatis gratia ſuperſedeo.

ſtendat, ubi de illis, non ſine aperto malignitatis indicio, modo ut eum vellicet, mentionem facit (22). Quam alibi etiam ſuſpicionem adauget, ubi, expilatis hujus pugillaribus, Bibliothecam ſuam Scriptorum Neapolitanorum conſarcinavit: quo in loco ſaltem eumdem ipſum praetuliſſe ſibi facem, ſi nihil aliud, praedicare debuiſſet. Verum ipſe eo, quod nequiit integrum hoc *de Illuſtribus Scriptoribus* operis exemplar adipiſci, ne juſto illius deſiderio teneremur, & inſpicere, ac conferre aliquando eniteremur, id egit, ut verbis illud extenuaret, deprimeretque. Tum recenſuit ſcriptores, qui ſive de Chioccarello verbûm nullum fecerunt, ſive parum aequam de illo ſententiam tulerunt (23).

* * X.

(22) Vide quantum amice de Noſtro, ejuſque ſtudiis liberaliſſimus Theatinus eques Toppius *lib. 1. de Orig. Tribunal. cap. 9.* ubi *de Archivariis Regiae Cam. pag. 63.* judicium tulit . . . . *& alia meditabatur; ſed quia fuit ille magis felix in perquirendo, & inveniendo theſaura literaria; quam deinde in explicando, componendo, ac exhibendo, reliquit omnia indigeſta, imperfecta &c.* Haec ipſa ſcilicet, quae tam bene, & eleganter refinxit, tandemque ad obruſſam redegit bonus ille Toppius. Imo vero qui Bibliothecam Scriptorum noſtrorum pro *literati parricidii* mercede huic operi *de Orig. S. R. C.* ſuperaddidit, nobiſque ultro largitus eſt.

(23) Toppius *Biblioth. pag 39. Bartolomeo Chioccarello ......preteſe dar alle ſtampe un libro* De Illuſtribus ſcriptoribus Regni, *fatica eſtratta da MS. di Paolo Regio* (quae lux ſuperne aſſulſit ſcribenti!) *dalle Biblioteche del Geſnero, dalla Claſſica, Exotica, e dalle altre publicate a ſuo tempo* (at! at! hic de ſuo ventre, velut bombyx alter literatus, ſuam nobis exhibuit); *e lui ne fu ſemplice collettore* (haec pro comitate ſua) *eſſendo un buono can bracco, ſcrive l'eruditiſſ. Piètro Laſena, nel Ginnoſio Napol. fol. 7.* (quam bene interpretatum Laſenae elogium, qui Chioccarello amiciſſimus extitit!) *uniformandoſi col Capaccio* (ecce, ut caeſim, & & punctim ferit eques Teatinus!) *citato da Gio: Battiſta Criſpo nella Vita del Sannazaro, e nella ſua propria fol. 62.* (quae frons hominis! Deus optime!) *e dal Ciarlante nelle Memorie Iſtoriche del Sannio lib. 3. c. 3. fol.* 155. (jam vero eruditionis, vaſtiſſimaeq. lectionis mole ruit ipſe) *che ritrovaſi oggi* (ſupple, *Chioccarelli liber*; nam longe venit orationis filus) *per quanto intendo, in mano di un Regio gran Miniſtro* (perperam, pro Turrenſium Duce), *che fa raccolta di Manoſcritti*. Nil opus eſt verbis: omnia vidit Toppius; reſcivit omnia, extudit. Jam enixus eſt. Sparge nuces, puer.

Digitized by Google

X. Interea accidit, cum Joſeph Raymus vita deceſſiſſet, qui *Regiae Camerae*, quam vocant *Summariam*, Archiviorum cuſtos fuerat, ut in ejus locum ſuffectus eſſet Cioccarellus (24). Neque aliud unquam votis appoſite magis, magiſque opportune reſpondere poterat viri adeo de patria benemerentiſſimi. Quo factum eſt, ut ad pervolutandas, rimandaſque omnes membranas, codices, actorum libros, diplomata, aliaque hujuſmodi antiquitatis monumenta pro virili ſe applicuerit. Atque ita non ſolum ad perficienda, quae ſuperius enarravimus, Commentaria ſe tradidit; ſed etiam ad alia majoris admodum utilitatis tentanda, ac perſequenda, de quibus mox ſermo erit. Juvat autem animadvertere hunc omnem ſemper induſtriam in eo poſuiſſe, ut in propatulum eductis abditis, ac deperditis originibus, & monumentis, commodum patriae, gloriamque conciliaret. Hoc enimvero eſt labores cum ſapientia inſumere, ubi ſtudiorum famam, gloriamque cum ipſa patria dividendam conſectaberis.

XI. Itaque per eam aetatem conſcriptum eſſe opus arbitror ex iis, quae paraverat in dies, monumentis, cum triplicem, ut dictum eſt, Hiſtoriam illuſtrare contendebat, quod in IV. volumina ſectum eſſe, idem memoriae mandavit, cum hoc titulo: *Antiquae Lectionis volumina IV. in quibus veterum nonnulla Scriptorum opera ad ſacram, & prophanam hiſtoriam ſpectantia; itemque vetuſta inſigniora aliquot Rom. Pontificum Diplomata, ac praeclara monumenta, tum e MSStis Codicibus, atque Auctographis hactenus ignotis deprompta, tum auctiora, & emendatiora nunc primum reddita, noviſque ſcholiis illuſtrata continentur* (25). Et quidem non alio modo factum eſt, ut per hanc ſimul

(24) Topplus Lib. 1. de *Orig. Trib.* ubi de Archivariis *fol. 63. Bart. Chioccarellus Neapolitanus U.J.D. fuit Archivarius electus in Joſephi de Raymo vice. Vir &c.*

(25) Verba ſunt Noſtri ex epiſt. MSta num. 11.

ſimul congeſtam monumentorum ſeriem deveniret ad illum conſcribendum *Tractatum de florentiſſimo, ac celeberrimo Gymnaſio Neapolitano, ejuſque antiquitate, inſtitutione, ac privilegiis, in quo etiam quidquid ad Neapolitani Regni rem literariam pertinet priſcis, ac recentioribus temporibus dilucide, ac copioſe pertractatur*. De quo idem verba fecit in fine libri, quem unice de multis in lucem dedit; nobiſque licet modo ab auctoris ſui judicio, qui aliis poſthabitis hunc commemoravit, jacturae facere exiſtimationem (26). Namque haec parum felix, ut de more eſt, literarum ratio, non ſepoſita aliqua auctoris negligentia, nobis etiam invidit.

XII. Sed jam Sacri muneris memor Chioccarellus, ejuſque ſtudioſiſſimus, tempus adventare novit, quo ſacram exornare Hiſtoriam, atque Eccleſiae Neapolitanae, & Provinciarum monumenta, qua par erat, luce perfundere, conveniens duceret. Nam haec non ſuo habebantur loco, neque alium quempiam ante ipſum invenerant compilatorem, atque expoſitorem; praeter unum Antonium Caracciolum virum clariſs. ejuſque amiciſſimum, cui primum adjumento hic fuerat ſtudiis plerumque communicatis (27). Neque enim David Romeus, Paulluſque Reggius Epiſcopus parvis quidem opellis, itemque exſuccis ad haec in vulgus datis tanti erant, ut rei ſatisfeciſſe viderentur, qui vix honoris gratia eſſent nominandi. Nam ante illud tempus, nec qui Catalogum Epiſcoporum

** 3

(26) Ex eadem Epiſt. MSta atque ex Libro *Antiſt. Neap. Eccleſ.* in cujus fine legitur: *Authoris proteſtatio, ac ejus operum nota*: interque ea, Tractatus enumeratur *De florentiſſ. ac celeberr. Gymnaſio Neap. &c.*

(27) Licet percurrere, quae de Chioccarello Caracciolus cum laude habet in *Nomenclatore* &c. quem praemiſit *Antiquis Chronologis* &c. Et fol. 21. in *Propyl.* ejuſdem libri. Item in Vita S. *Antonini Ab. Surr.* atque in lib. *De Patria S. Januarii. fol. 64.* ubi ait, Bartholomeum Chioccarellum *harum ſcripturarum a me alibi laudatum conſervatorem, & antiquitatum ſtudio nunc quoque laudandum*.

rum recenſuiſſet , nec qui Sanctorum hominum res geſtas ſedulo expendiſſet , Eccleſiae noſtrae vices , Reliquiarum ſacrarum tralatationes, aliaque hujuſmodi vel brevi percurriſſet calamo, adhuc comparuerat : ob eamque rem hic primus omnium viſus eſt obſtetricias ad id manus admoviſſe. Itaque conquiſitis undique vetuſtis membranis , codicibus , accitiſque etiam e Vaticana Bibliotheca , exſcriptiſque partim ſua manu privatas apud Neapolis Urbis, Provinciaeque Eccleſias, partim aliena chartis , ſolus ſibi moliendum conſtituit , quod opus nemo prae difficultate antea cogitaverat (28). Quam quidem farraginem tribus digeſtam voluminibus hoc nomine inſigniverat : *Sacra Regni Neap. Monumenta : in quorum I. vol. agitur de SStis, & BBtis Civitatis Neap. & Campaniae , ſive Terrae Laboris : in II. vol. de SStis , & BBtis totius Regni , praeter Neapolis, & Campaniae, & Calabriae : in III. de rebus Calabriae, adjecto etiam Indice Epiſcoporum , & Archiepiſcoporum omnium ejus Regni Urbium.* Atque his alium praemittendum eſſe librum deſtinaverat deſcriptum ab anno MDCXXXXIII. qui ſic inſcriberetur, *Idea Operis de SStis , & BBtis Regni Neapolitani* (29). Quae utiliſſima, patriaeque ſine dubio non minoris ornamenti commentaria edacitate temporum , an caſu aliquo deperdita , ſive potius quodam in angulo adhuc latentia ſint , parum cognovi . Quod autem ſilentio non eſt praetereundum , anteivit hic Ferd. Ughellium in *Italiae Sacrae* , immenſi operis , conſtructione ; ut ſi incredibiles illius auſus non vicerit , certe tamen inventionis laudem praeripuerit, ac fortaſſe illi non ignotus viam muniverit ſalebroſam .

XIII

(28) Neque enim adhuc Ferdinandus Ughellius *Italiam Sacram* meditatus erat .

(29) Ex Epiſt. m. MSta num. 11.

XIII. Interea pudet admodum, pigetque ſaepe adeo de illatis per adverſantem rei literariae fortunam damnis querelam in longum protrahere, atque ad expendendos breviter hujus labores venio, quorum aliquem fructum capere vivens adhuc potuit. Nam de tot tantiſque, exaratis libris vix extat unicus in lucem datus *Antiſtitum Praeclariſſimorum Neap. Eccleſiae Catalogus ab Apoſtolorum temporibus ad hanc uſque noſtram aetatem, & ad annum 1643. auctore Bartholomeo Chioccarello J. C. Neap. & in ſupremis ejuſdem Regni foris cauſarum patrono. Neap. typis Franc. Savii Typogr. Curiae Archiepiſcopalis, expenſis Petri Agnelli Porrini Bibliopolae Neapolitani*, ut diount, *in folio*. Qui Aſcanio Philamarino S. R. E. Cardinali, ac Pontifici noſtro dicatus eſt. Et quamvis in eo libro deſiderare quis poſſit peracre in colligendis monumentis, atque examinandis MSStis codicibus judicium; attamen ignoſcendum eſt illi, quem minime Ruinartii, Bollandique ſtudia juverint, quorum opera artis criticae praeſidium in his tractandis adhiberi caepit: quin eſt maxime praedicandum, quod his clariſſimis adeo ſcriptoribus marte ſuo idem praeluſerit, & quantum potuit, adjumenti attulerit. Et ſane Bollandus ipſe quantum ex hujus amicitia, & ſtudiis fructum coepiſſet, ſaepe profiteri non dubitavit (30). Atque adeo, dum literis honor ſtabit, Chioccarello gratias habebimus, quod antea neglectum medii aevi antiquitatum ſtudium primus omnium, ſive primos inter, fovere auſus ſit.

XIV. Nam, ſi excipias unum Caracciolum, qui in publicum emi-

(30) Jo: Bollandus natione Belga e Societate Jeſu in duobus ejus volum. *De Vitis SSrum. Antuerpiae. an.* 1664. pluries meminit Bartholomei Chioccarelli. Sed volum. *II. pag.* 267. ubi de S. Juliano M. Sorè ait: *Verum ea Acta hic dabimus, quae ex MSto Italico Codice viri Clariſſ.* Bart. Chioccarelli *J. U. D. ad nos Neapoli miſit Antonius Beatillus noſter &c.*

Digitized by Google

emiſerat aliquot veteres Codices de Langobardorum rebus cum ſuis animadverſionibus, itemque monumenta aliquot Eccleſiae Neap. non ſine hujus opera ad id plurimum adhibita; & Michaëlem Monachum, qui eidem etiam ſe debere confeſſus eſt (31): nec Pellegrinus junior Campanus (qui antiquitatum medii aevi parens exiſtimatus eſt), neque alius quiſpiam aetate, neque ardore in excolendis his ſtudiis, atque illuſtrandis obſcuris rebus temporum barbaricorum eum unquam anteiſſe reperies. Ita ut, niſi critices fax deſideraretur, certe nec conatus, aut induſtria, nec labor incredibilis defuiſſet ei. Praeterea libro, de quo ſupra enarravimus, alterum veluti comitem adjungere propoſuerat, ac praelis committendi veniam quoque impetraverat, *Hiſtoriam* nempe *S. Januarii Pontificis ac Martyris, & Sociorum* cum numero innumero monumentorum (quis ſcit, quo in praeſens tempus angulo abditorum)? Neapolitanam Eccleſiam praecipue illuſtrantium (32). Quod ei viſum fuerat patriae amatoribus, qui Eccleſiae noſtrae origines quam maxime enucleatas exquirerent, parum quidem aliorum in eadem re elucubrationes ſatis antea fuiſſe. Quam utique facti gloriam uni Alexio Symmacho Mazochio reſervatam poſtremo voluit non tam temporum viciſſitudo, quam ſingularis viri ακριβεια, vaſtaque eruditio, ſcientiarumque fere omnium cultura: quorum gratia maximum aetate tandem noſtra acceſſit orna-

(31) Vide hujus *Sanctuarium Campanum*, in quo Chioccarelli mentionem non ſemel fecit; & praeſertim in *Recognit. Sanct. Camp. fol. ult. ad num.* 17. his verbis: *Barthol. Chioccarellus Nep. IC. vir multae lectionis, & veterum noſtri praeſertim Regni monumentorum diligentiſſimus perquiſitor, & conſervator.*

(32) Ex Catalogo Operum ſuorum in fine libri *Antiſt. Praeclariſſ. Neap.* Et ex ſupplici libello, qui in fronte eſt MSti *De Illuſtr. Scrip.* quo veniam impetrabat edendi hanc Hiſtoriam, cum eo libro junctim.

Digitized by Google

namentum Eccleſiae non ſolum ; ſed etiam univerſae civitati Neapolitanae (33).

XV. Verum ulterius progreſſa eſt hujus induſtria, & credibile vix eſt quot exantlatus ſit labores in colligendis monumentis, quae Regia Jura, ſive *Regalia*, ut vulgo audiunt, tuerentur. Nam ejus aevo, Philippo IV. Rege Hiſpaniarum, Neapolis, Siciliaeque Regna moderante, cum ſaepe accidiſſet, ut cum Rom. Pontifice controverſiae *de Juriſdictione*, ut ajunt, orirentur; ad eas amice componendas viſum eſt origines rerum erui oportere; atq. ad hoc ipſum ſedulo praeſtandum unum eumdemque Bartholomeum Chioccarellum eſſe deligendum. Quare an. MDCXXVI. mandato Ant. Alvarezii Ducis Albae, Proregis tunc noſtri improbos aggreſſus eſt labores, quos ad annum MDCXXXI. patienter adeo duravit, ut decem, & octo praegrandia conſarcinarit Volumina [34]. In his ſive exſcriptae, ſive compilatae veteres omne genus membranae, indicati codices, librique Regii Archivi, pro occaſione, habentur in promptu (35). Qua in re is nullo ſtudio partium adductus mirum quantum fidei, & integritatis adhibuerit, ut erga neutram diſputantium partem propenſior officio unquam deeſſet ſuo.

XVI.

(33) *Cui non notus Hylas?* Vide Diſſert. *De Cathedr.* Neap. *ſemper unica*. *Kalendarii* Neap. *veteris* vol. III. *SSrum Epiſc.* Neap. vol. II. Et quae *de S. Jan. Actis* adverſus Stiltingium V. C. diſputavit.

(34) Ex Diplomatis exemplari, hiſpanico ſermone, apud me MSto. Quod inter Prolegomena etiam habes *Indicis Chioccarelliani*, qui inſcribitur *Archivio &c.*

(35) Verba ſunt Chioccarelli ex epiſt. num. 11. *Collegi etiam decem & octo praegrandia volumina pertinentia ad* Regiam *Iuriſdictionem pro ſervitio Majeſtatis Domini noſtri Philippi IV. Hiſp. & utriuſq. Sicil.* Regis *juſſu Excellentiſſ. Dom. D. Ant. Alvarez de Toledo, Ducis Albae, in* Regno *Proregis*; *ut aliquando hujus* Regni Rex *poſſet controverſias omnes de Juriſdictione amicabiliter componere cum Summo Pontifice: & interim qualiter Dominus* Rex, *& Prorex ejus Vicarius*, *ac* Regii *Supremi Magiſtratus*, *ceterique* Regii *Miniſtri in contingentibus in dies caſibus gerere ſe debeant*, *& quae ſervare edocentur*.

XVI. Atque haec quidem volumina bona manu exſcripta Franc. Ant. Alarconus *Viſitator*, qui dicebatur, in Regno Generalis, Hiſpanias ad Regem detulit in Supremo Italiae Conſilio aſſervanda. Quatuor deinde annis elapſis, cum minime aequum, juſtumque videretur privari tanto in litibus dijudicandis adjumento *Regiae Camerae* Senatum, Fulvii Lanarii nomine, tunc Fiſci Patroni, ſupplices dati ſunt libelli ad Proregem, ut illorum exemplaria Hiſpaniis acciret, & in ejuſdem Regiae Camerae Archivo reponi juberet, cum aliorum VI. voluminum exemplis, quae jam Chioccarellus inchoaverat, atque ad umbilicum erat perducturus, ſi ope regia juvatus fuiſſet (36). Quod ſequenti anno praeſtitiſſe apparet. Verum accidit

(36) Ex cod. MSto penes me. *Illuſtriſſimo, & Eccellentiſſimo Signore. L'Advocato Fiſcale del* Regio *Patrimonio ſa intendere a V. E come il Dottore* Bartol. *Chioccarello l'anni paſſati per ordine del Signor Duca d'* Alva *allora Vicerè, ha formato un* Archivio *delle Scritture della* Regia Giuriſ*ditione conſiſtente in* XVIII. *volumi grandi, per ſervitio di Sua Maeſtà in queſto* Re*gno, & precedente ordine della Maeſtà Sua, queſti volumi l'ha portati in Spagna il Signor D.* Franc. Ant. de Alarcone *Viſitatore, per conſervarſi nel Supremo Conſiglio d'* Italia*, per ordine della Maeſtà Sua, & l'altri conſimili libri ſono rimaſti in* Napoli*, che ſi conſervano al preſente nel Scrittorio di Guerra. Et perchè eſſo exponente deſidera, che di detti libri ſe ne faccia un altra copia da conſervarſi nella* Regia *Camera della Summaria, alla quale ſpetta tener conto del Patrimonio di Sua Maeſtà, & delle ſue ragioni, & giuriſdittioni; & anco acciò poſſa eſſo exponente, & tutti l'altri* Advocati *Fiſcali ſuoi ſucceſſori in perpetuo ricorrere nelli caſi occorrenti di* Regia *Giuriſditione, & defendere le ragioni della Maeſtà Sua. Et perchè detto Bartolomeo ha da finire ſei altri volumi di detta* Regia *Giuriſditione, conſiſtenti, tanto in aggiuntioni à detti* 18. *libri di ſcritture, & coſe oſſervate dopo la conſignatione di detti* 18. *quanto di altre coſe nove non compreſe in detti* 18. *acciò s'habbia tutta detta materia di Giuriſditione intiera, & compita, ch'è grandiſſimo ſervitio di Sua Maeſtà. E giacchè detto Bartholomeo vive, & è perſona molto vecchia, & morendo reſtariano detti libri imperfetti; Per tanto ſupplica V. E. reſti ſervita ordinare per viglietto a detta Regia Camera che facci fare detta copia de libri, & che procuri far finire detti ſei altri libri nuovi, e che poſſa ſpendere tutto il denaro, che ſarà neceſſario per detto effetto, di denari, & effetti eſtraordinarii. & l'haverà a gratia &c. Fulvio Lanario Advocato Fiſcale ſupplica per ſervitio di Sua Maeſtà.*

Digitized by Google

dit an. MDCXXXVI. ut lis oriretur quo in loco adſervanda haec eſſent, num penes *Regiae Camerae* Senatum, an vero in Regia, quam vocant, *Status Cancellaria*: ob eamque rem invenio alios datos eſſe ſupplices libellos ad Principis de hac re oraculum ſciſcitandum[37]. Ad hoc reſcriptum eſt, ſervanda ea in Regio Palatio, *Cancellariae* nomine; exemplumque petenti jam Senatui non eſſe denegandum [38]. Quod neutiquam factum deinceps fuiſſe teſtis ipſe Chioccarellus fidiſſimus; qui ex militari Archivo ablata ea demum eſſe literis mandavit [39].

* * * XVIII.

(37) *Illuſtriſſimo & Eccellentiſſimo Signore.* Poſt debitam commendationem. *Li volumi de' libri, che compilò il D. Bartol. Chioccarello, che trattano della Giuriſditione di queſto Regno, come Voſtra Ecc. sà di grande importanza per il Conſeglio Supremo d' Italia, & per queſta Regia Camera, per il ſervitio di Sua Maeſtà, & coſsì de ordine del Signor Viſitatore Don Franc. Antonio d' Alarcon ſi copiorno con molta curioſità, & ſi portò in Corte, & hoggidì ſono in detto Conſeglio Supremo d' Italia, & un' altra copia reſtò quà per collocarſi in queſta Regia Camera, dove ſommamente ſono neceſſarj per infinite coſe, che alla giornata occorreno per il Real ſervitio. Et havendomo preſentito, che al preſente ſono nel Scrittorio di Guerra di V. E. ne ha parſo rapreſentarli il predetto, acciò reſtaſſe ſervita comandare, che ſe inviaſſero in queſta Regia Camera per l' effetto come di ſopra è detto; tanto maggiormente, che nel Supremo Conſeglio d' Italia ſtà il duplicato a diſpoſizione di V. E. Et ſi puro l' E. V. ne comandaſſe altra copia, queſta Regia Camera, ricevendo detto ordine farà fare ſubito la detta copia, e con ogni puntualità l' inviarà a V.E. in gratia della quale ci raccomandemo. Ex* Reg. *Cam. Summ.* *die* 21. *Junii* 1626. *De V. E. ſervitori il Luocotenente, & Preſidenti* Dottor D. Alonſo Guillen de la Carrera M. Cam. Locumt. El Conde de Mola, Scipio Pappacoda, Ant. Caracciolus, Jo: Camill: Cacaius, Greg. de Cannaverro Commiſs. D. Gomes Dec. . . Jo: Iac. Mercurius. *Ex* Regiſtr. *Conſulterum et. Curie fol.* 84.

(38) *Cumque ingens controverſia eſſet exorta inter* Regiam *Cameram Summariae, ac* Regiam *Cancellariam, ſive* Regni *Secretarium qui ejuſdem Cancellariae curam habet, ubinam ea volumina ſervari debuiſſent, fuit per* Regium *Collaterale Conſilium decretum, ut ſervarentur in* Regio *Palatio in nomine* Regiae *Cancellariae; verum ſi* Regia *Camera voluerit habere illorum exemplum concedatur. Fuit autem latum hujuſmodi decretum die* 27. *Februarii* 1627. Chioccarellus ipſe in Epiſt. m. 11.

(39) Idem Ibidem. *Quod etiam parum fuit ſervatum; nam Scriptorio militari ii*

li-

XVII. Atque id in cauſa fuit, cur is jacturae occurrere ſatagens, prima x. & viii. volumina in epitomen redegerit, atque in uno libro omnia capitulatim expoſuerit (40). Hoc multo poſt tempore typis excudendum curavit Angelus Rocchus Montaltinus Presbiter, qui το ϖχγραμματικον *Caroli Chini* nomen adhibuit, eodem ipſo e vivis ſublato: illudque nemo eſt noſtrum, qui non noverit (41). Contra vero vi. alia volumina, quae primis adjecta ſunt, ita, quod ego ſciam, periere, ut memoria etiam noſtrorum exciderint [42]. Namque ſunt nonnulli optimi cives, patriarum antiquitatum ſtudioſi, ac Juris ſcientiae cultores, qui prima (licet, ut audio, mendoſa omnia) in MSStis habeant; reliqua vero eos fugiſſe ſilentium declarat (43). Sed cum Philippo Regi exploratum eſſet quantam afferre poſſent utilitatem unius ſtudia Fiſco ſuo; non multo poſt per Proregem Metimnae

libri fuerunt ſervati, deinde ablati, & deperditi. Hoc ipſum teſtatur Toppius, qui addita VI. volumina ignoravit loco non una vice indicato cum ſcriberet: *ſemperque admiramur cum in memoriam venit illorum exemplaria non fuiſſe relicta in hoc magno Archivio*.

(40) Toppius *De orig. Tribunal. to.* 1. *pag.* 63. *ait*. *Vix compendium in unum volumen redactum ab eodem auctore, reperitur penes Praeſidentes D. Jac. Capycium Galeotam, D. Carolum Calà, & Jacobum Salernum Fiſcalem, alioſq. regios Miniſtros*.

(41) Vide librum, qui inſcribitur, *Archivio della Regia Giuriſdizione del Regno di Nap. riſtretto in Indice compendioſo, in cui ſi riferiſcono per ordine, ed in breve le Scritture, che nel medeſimo ſi contengono di commiſſione Regia raccolte, e in* xviii. *to. diviſe* Qui perperam *Venetiis* dicitur editus, cum *Neapoli* lucem viderit.

(42) De his altum ſilentium Toppium apud, atque alios noſtrates. An vero amicitiae gratia cum Chioccarello initae reticuit? Nam alibi in *Bibliotheca pag.* 39. *Lib.* 18. *volumi MSti della Regia Giuriſdizione ſono ſudori delli ſpettabili Reggenti de Ponte, Villano, Lanaro, de Curtis, e di Camillo de Medicis, e di altri famoſi Miniſtri antichi*. Dixit *caccabus ollae*, ut ille ait, nimirum impudentiſſimus plagiarius. ſiquidem gratis aſſerit, defunctque teſtes.

(43) Verba ſunt Caroli Chini *in epiſt. ad Lectorem Indicis* a ſe editi id quoque teſtantia: *E quantunque alcuni ſi vantano di aver le copie di que' XVIII. Tomi a penna dell' Archivio Reale, ſon elle tutte mancanti, e contraffatte da mille, e mille marche di errori*.

timnae Turrium Ducem eidem mandaſſe exploratum eſt, ut alius ab eodem Chioccarello liber *de Regiis Beneficiis*, *ac Juribus Patronatus* deſcriberetur (44). Qui quidem liber deinde abſolutus ad Regem tranſmiſſus eſt, exſcripto tamen illius exemplari, quod in Regia Camera aſſervaretur. Sed miror hunc librum, paucis etſi notum, non pari infortunio eſſe divexatum: namque adhuc ſupereſt; fortaſſe, quia jejunus omnino, & mancus in re vaſta diſcutienda, ut mihi teſtis eſt locupletiſſimus, quem honoris gratia nomino, Vir doctiſs. Ferdinandus de Leon Fiſci Patronus, atque optimarum cultor literarum, in cujus Bibliotheca illum invenies.

XVIII. Venio nunc ad commoda, atque utilitates tot, tantiſque laboribus huic parta brevi calamo percurrenda. Etenim viſi ſunt Hiſpaniarum Rex Philippus, atque Urbanus VIII. Pontif. Max. amice in eo augendo, honeſtandoque conjuraſſe; qui in tanto rerum diſcrimine, ac difficultate nulli partium ſtudio adhaerens, & veritatis veſtigiis uſque inſiſtens, citra alterutrius partis offenſam ſuo muneri ſatisfecerit. Adeo verum eſt Sacerdotii jura, atq. Imperii intra certos

* * * 2

(44) Chioccarellus in epiſt. ſaepe collaudata. *Conſcripſi etiam juſſu ejuſdem Majeſtatis, & Eccmi Com. Proregis Ducis Medinae de las Torres librum* De Regiis Beneficiis, ac Juribus Patronatus. *Qui tranſmiſſus eſt in Hiſpanias ad eum Regem, relicto hic Neapoli in Regia Camera Summariae originali a me tradito. Liber autem ſic inſcribitur.* Notitia *elaborata, & abſolutiſſima omnium Eccleſiarum, & Beneficiorum Civitatis, &* Regni Neapolis, *quae de* Regio *ſunt Iurepatronatus, tam jure praeſentationis, quam jure collationis, ad ejus* Regni *Coronam ſpectantes. Ne dum earum, in quarum poſſeſſione praeſentandi, ac conferendi jus reperitur; verum etiam illarum, quarum poſſeſſione excidit; quaeve ab aliis occupatae ſunt; cum actibus poſſeſſivis tum ad eas, quas poſſidet perpetuo ſervandas, ac tuendas; tum vero ad illas, quas non poſſidet, recuperandas,* Regiaeque *Coronae reintegrandas. Item Eccleſiarum, Monaſteriorum, ac Hoſpitalium, quae ab ejus* Regni *Regibus fuerunt olim extructa, & fundata. Ex ipſius* Regni *Archiviis perquiſita, excerpta, & recollecta, & in* VI. *lib. digeſta.*

Digitized by Google

tos fines coërceri poſſe; quae, ſi ſapiens ad veri normam ſecernat, praetergredique revereatur nihil eſt, cur ipſe invidiam ſibi creare reformidet. Quae nempe eſt illa procacium ſcriptorum inepta purgatio, neſcio, an querela. Itaque a Philippo Rege Judicis Magnae Curiae Vicariae primum, deinde Regiae Camerae Summariae Praeſidis munera ſunt ei oblata. Verum is, qua erat animi moderatione, ſe illis imparem adfirmans detrectavit. Contra ea Urbanus Pontif. prius Canonicatu S.Petri de Urbe eumdem condecorare; mox cui Eccleſiae Epiſcopum praeficere ſtuduiſſet, non aeque conſtat. Iſque nihiloſecius, ut erat moribus integerrimis, veritus, credo, ne in tantis honoribus virtutis jacturam aliquam faceret, contentus literato otio vacare, modeſte recuſavit (45). Toppius auctor eſt eum II.M. aureis a Rege donatum eſſe; cujus teſtimonio tamen minus acquieſco, cum Chioccarellus ipſe aliquam ſuorum laborum mercedem expoſtulaſſe in ſupplici dato libello reperiatur (46).

XIX.

(45) Toppius, in hac re liberalis nobis, Chioccarello haud invidit virtutis maximopere collaudandae exemplum, cum ſcribit: *Eique oblata Praeſidentis* Regiae Camerae *dignitates, ac Judicis M. C. Vicariae utramque renuit: & ab Urbano VIII.* Ca*nonicatum Sancti Petri de Urbe, & Epiſcopatum ſimiliter oblatum abnuit. De orig. Trib.* l. c.

(46) Idem ibidem. At ego repperi Noſtri ſupplicem ad Sanfelicium Regentem libellum, qui aliud prorſus praedicat, his verbis: *Il Dottor Bart.* Chioccarello *fa intendere a V. E. come ha biſogno di una fede da farſi dal Signor Jacopo Salerno Fiſcale Cappacorta della* Regia Camera*, come eſſo Supplicante ad inſtantia di detta* Reg. Cam. *& di ordine del quondam Signor* Reggente *D. Alfonzo della Carrera Luocotenente di eſſa, ha formato un Libro delli Regj Juſpatronati, che ſua Majeſtà havea comandato, che ſi faceſſe, & ſe li mandaſſe, & avendolo eſſo Supplicante fatto, lo diede a detto Signor Luocotenente Il quale lo diede a detto Signor Iacovo Salerno allora Procurator Fiſcale di detta* Regia Camera*, acciò l'aveſſe fatto copiare per mandarſi a S. M. & detto Iacovo lo fè copiare per mandarſi a S. M. & fu mandato a S. M. & eſſo exponente non have havuto coſa alcuna per ſue fatiche. Pertanto ſupplica V. E. reſti ſervita ordinare al detto Iacovo, che li faccia ſopra di ciò la fede della verità, & l'avrà a*

gra-

XIX. Reſtat, ut in hoc ipſo Catalogo Scriptorum noſtrorum, cujus gratia potiſſimum praeſentes ſcribere commentarios aggreſſus ſum, tantiſper immoremur. In hoc enim cum prima impendiſſet ipſe ſtudia, ut ſuperius enarravimus, ad extremum uſque ſenium non ſine diuturna monumentorum acceſſione, totus incubuit; quare prae aliis libris videtur ab eo ſtudio proſecutus ſingulari. Nam ſi unicum Antiſtitum Neap. Eccleſiae Catalogum excipias, quem in lucem edendum curavit, de tot tantiſque ſcriptis, ac commentariis nullum reperies, qui adeo ei cordi eſſet, ut illum typis tradendum vivens procuraverit. Namque ab an. MDCXL. patet Jo. Bapt. Meliori, Regio, ut ajunt, *Conſiliario* eum dicaſſe, domi cujus, cujuſque incitamento ortum non ſolum, ſed etiam incrementum habuerat liber (47). Deinde Zachariae germano fratri (qui, ut librum ab ejus manibus expromeret, non parum ſtimuli adjunxerat) inſcribere cum maluiſſet, eumdem ipſum multis de cauſis ſibi reſtituiſſe Chioccarellus ſcribit (48). Sic an. MDCXXXXIII. cum de illius editione inſtaret, a ſupremo Regni Magiſtratu mandatum eſt Franc. de Petris, ut, de eo judicium ferret; idemque probavit. (49).

grazia, *ut Deus*. Cui inſequitur teſtimonium Jacobi Salerni ſua manu ſignatum an. 1642. Niſi, quam vult Toppius, largitionem acceperit hic aliis aliquando de cauſis.

(47) Ex epiſt. MSta num. I. ſuperius allata: *Libellum edere decrevi, quem tandiu expoſtulaſti, cum apud te in forenſibus negotiis diſcipulum, mox ex adoleſcente adulta jam aetate ſocium agerem: . . . . quod tandem lubentiſſime obſequentiſſimus, addictiſſimus tuo, nunquam interituro, nomini trado, dedo, ſacro ... Neap. Kal. Jan. 1640.*

(48) Ex epiſt. MSta num. III. ad Zachariam fratrem: *Voluiſſem illud tui ſub nominis vulgari praeſidio, non fraternae, arctaeque cognationis lege duntaxat, qua invicem ligamur, ductus; quam mutui ac egregii amoris, quo ſemper inter nos devincti fuimus, ſpeciem aliquam oſtenderem: ſed ne id facerem a te vetitum fuit, & iterum, atque tertio mihi mandatum; ſed ut honor is illi adſcriberetur, cui delatus, cuique adſcriptus eſt.*

Digitized by Google

[49]. Ita quatuor poſt annis Aſcanio Philomarino Pontif. Neap. quo Eccleſiaſticae etiam poteſtatis auctoritas, ut noſtri ferunt mores, editioni accederet, idem obtulit. Hunc apud exinde perfugium invenit, atque ad novum Aſcanium veteris haeredem nominis, ac patriae caritatis pervenit; cujus gratia, largitateque litteratorum hominum nunc in manus traditur.

XX. Incidit enim ipſe in eam aetatem, cum vix extinctae populi ſeditioni, cum omnibus ejus teterrimis conſectariis addita eſt foeda illa peſtilentia; quae, ut perdiu graſſata fuit, reliquum, quod eſſet a ſeditionis vi illaeſum urbis, civiumque peſſumdedit. Quo quidem tempore Chioccarellum, credo, morte fuiſſe occupatum, quo minus libri editionem perficeret. Sic vir doctiſſimus multis, variiſque perfunctus laboribus anno acquievit, ut puto, ſexageſimo ſexto, aut ſeptimo circiter; quandoquidem iſte Scriptorum Catalogus non excurrit ann. MDCXLVII. De hujus ſtudiis altum apud omnes illius aevi ſcriptores ſilentium, praeter Struvium, Fabriciumque, qui deinde ex Toppio, ut videtur, notitia accepta hujus libri mentionem aliquam fecerunt. Pari modo de ſepultura ejus, teſtamento, atque haerede certi nihil in medium afferre poſſum; ut de colore frontis, habituque corporis, aliiſque: quae commemorare ſcribenti juvat, ac cupidum valent lectorem delectare.

XXI. Itaque, quod ad hunc *de Illuſtribus Scriptoribus* Catalogum attinet, videtur non modo aetate, ſed merito etiam anteiſſe alios ſcriptores omnes, qui ad hanc diem της βιβλιογραφιας noſtrae ſtudio operam dederunt. Namque veteres quaſcumque deſcripſit in eo librorum editiones, paucis

prae-

(49) *Illme & Excellme Princ.* Recenſui *tuo juſſu praefata Opera* Geſtorum D. Januarii, & Illuſtrium Regni Neap. Scriptorum; *eaque ab omni labe immunia, & a cunctis piis, & eruditis viris ſummopere exoptata teſtificor: ideoque praelo digniſſima*. Neap. 9. Kal. *Decembr.* 1643. *Tibi Addictiſſ. Obſequentiſſ. Franciſcus de Petris.*

praeteritis, praecipue illorum, qui minus laudandi veniunt; inter quos MStos pariter Codices indicavit. Quae ad vitam domi, foriſque literatorum hominum, maxime Juriſperitorum ſpectant, deſcripſit: neque eo minus teſtimonia clariorum frequentiſſime Scriptorum, praeſertim qui coaevi forent, ut de noſtris quid judicii inter doctos latum foret compertum haberemus, collegit. Quibus in rebus jejunus omnino Toppius, praeterquam infidelis; in paucis perſequendis auctoribus otioſus etiam Nicodemus: neque ſua deeſt Taſurio nota, qui pleraque ſine ullo judicio conſarcinavit. Ad haec videtur quoque ab alia diligentia, induſtriaque laudandus Chioccarellus, quod Pontanianorum res, aliorumque ex illorum familia ſcriptorum (per quos ſaeculum Literaturae vere aureum noſtrae civitatis conſtituitur) ſtudia ſedulo perpendit. Ac ne officio, ſtudioque patriae collaudandae deeſſet unquam aeque, ac veritati, non unius ſcriptoris Neapolitanam patriam vindicavit ab exterorum hominum jactantia, qui ſuae adſcribere civitati non ſine aperta fraude noſtros adlaboraſſent (50).

XXII. Haec de diligentia, induſtriaque in hoc conficiendo adhibita; nunc de cultura, elegantiaque, in qua vix, aut ne vix quidem promeritus eſt ipſe de doctis viris. Verum in ea re fortaſſe defendendus eſt Chioccarellus, propter frequentem barbarorum, incultiſſimorumque ſcriptorum lectionem, codicum item, librorumque infimae latinitatis; quin etiam propter aetatis omnino barbaricae membranarum interpretationem, quibus ille chartis noctu diuque impalleſcere aſſuevit, vir eximia virtute, viribuſque corporis maximopere praeditus. Etſi minime, quae mea ſententia eſt, ei parcendum ſit, quod librorum editiones, inſcriptaque vulgari ſermone nomina paſſim latinitate cum donare vellet, infidelitatis, inſcitiaeque peccatum admiſerit; editoremque hujus operis in ancipiti poſuerit, an unius verba, & verbo-

(50) Vide paſſim in hoc Catalogo quae de *Caſſiodori*, *Papiniani*, *Aegidii de Salerno*, *Lucae de Penna*, aliorumque praecipue Juriſperitorum patria differit.

borum ſenſus, cum alterius dictis confunderet: quae ſi quando intacta reliquerit, credi poteſt, per deſidiam id feciſſe. Praeterea quod ad ſermonis redundantiam, τα σφαλματα, ac ſoloeciſmos hujus pertinet [quos, ut animadverti percurrens in MSto exemplari, haud quidem τῳ αυτογραφ partim emendatos volui], animo reputo ipſum inter typographicas curas, experimentaque editionis refingendam omnino locutionem ſibi reſervaſſe. Nam qui tantummodo editus ab eo eſt *Antiſtitum Neap. Catalogus*, praeterquamquod puram, elegantemque exhibet in fronte epiſtolam, cetera non indocte, neque inemendate ſcriptus comparuit.

XXIII. Atque haec fuere ſtudia, quantum per monumentorum inopiam reſcire licuit, quibus unice intentus vitam traduxit omnem Bartholomaeus Chioccarellus. Quamquam non adeo omnia haec ſint, quae enarravimus, commentaria, librique ab eo exarati; cum illis adnecti facile poſſint, quos per otium curaſſe nemini dubium eſſe debeat, *Praxim*, nimirum, *Forenſem* ad procuratoria munera in unaquaque urbis Curia principe multa cum laude agenda (51). Pariterque *Exercitationes in Sacri Regii Conſili Deciſiones per Matth. de Aſſlicto collectas*, quibus nullo jure adfixum id

(51) Ex Epiſt. mpta n. 11 *Praxim Forenſem* (conſcripſi) *ſupremorum Regni Tribunalium, nempe S. R. Conſilii, & M. C. Vicariae cum formulis omnium libellorum, articulorum, reſponſionum, ſententiarum, decretorum, & omnium actuum in qualibet genere judiciorum, & cauſis omnibus, quae excogitari poſſunt, deſervientibus; & non minus Judicibus pro ſententiis, ac decretis in qualibet cauſa ferendis, quàm cauſarum patronis, ac praeſertim junioribus, & tyronibus, procuratoribus, actuariis, & ſcribis; ut abſque magiſtro quilibet poſſit in iis foris prompte, & ſcite ſe exercere. Addito ſuis quibuſque locis apparatu legali, tum juris communis, tum municipalis, ex quibus omnia fuerint excerpta, & in quibus ea Praxis fundatur, & veluti fontem indicans, e quo ea omnia emanarunt. Quod opus.... amiſi, & ſemper in animo habui illud reficiendi, cum valde neceſſarium videatur ob deperditam fere libellandi rationem, ac recte formandi Proceſſus.*

id *Deciſionum* S.R.C. nomen fuiſſe ab Affiicto docebat (52). At hi libri eamdem, quam alii ſubierunt fortunam; propterea lugendi minus, quod cum ſuperioribus collati, nullius, aut minimi penſi eſſe exiſtimantur. Interea una ſpes affulget eorum, quos ſupra deperditos, ſeu latentes indoluimus, Aquilae, doctos apud viros, atque in Archivio SS. Apoſtolorum Theatinae familiae aliquem extare; ut ab amicis exploratae fidei modo accepimus. Sed temporis anguſtiae, moleſtiaeque aliae praepeditum me fecerunt, quin haec in praeſentia expendere poſſem. Qùare praeſtat ad ipſum Chioccarellum redire, quoniam longius in ſequenti volumine de his, aliiſque edifferendum ſit.

XXIV. Itaque Chioccarellus fuit vir diſertus, impiger, laborioſus in hujus generis negotiis; at in reliquis domeſticis, ac civilibus, ab ipſa inceſſanti ſcriptione, ac lectione abrepto ejus animo, ut apparet, incurioſus, rerumque ſuarum negligentiſſimus. Quibus rebus fiebat, ut e tot ſctiptis alia ſurrepta, deperdita alia ſaepe conqueſtus, aliorum vero editionem de die in diem differendo, retardaret, negligeretque. Fuit in amicitia omnium quotquot ea tulit aetas literatorum hominum noſtrorum pariter, atque exterorum, ut longa res eſſet, ſi omnes enumerare vellem. Ex his celebriorum nomina in album redigam Capacium, Laſenam, Summontium, Gravinam, Jordanum, Caracciolum, Monachum, Julianum, Beatillum, alioſque de noſtratibus, a quibus eum laudari frequentiſſime patet [53].

* * * * Ex-

(52) *Scripſi quoq: Obloquia, ſive Exercitationes in Deciſiones S. R. C.* Neap. *per Matthaeum de Affiicto collectas; ubi oſtenditur eas Deciſiones non fuiſſe ejus S. C. nec Cauſas ſic deciſas, vel fuiſſe revocatas, partim in Cauſa reclamationis, partim vero ab aliis ſequentibus Deciſionibus ejuſdem S. C. ac etiam ab aliis Senatibus totiu orbis*. Idem ibidem.

(53) Praeter quos ſuo loco ſupra enumeravimus habe Dom. Gravinae verba *De Sacris Traditionibus*, pag.583. *Lege Baron &c.*

Exterorum ſat erit Bollandum commemorare, ac Wadingum viros clariſsimos: quorum Annales ſuccreviſſe Chioccarelli collata ſymbola iidem ipſi praedicare non dubitarunt (54).

XXV. Hujus de virtutibus, vitaque ſatis erit dictum, ſi hoc unum monuero, quod nemo eat inficias, a nemine Chioccarellum in amanda, exornandaque Patria ſuperatum eſſe; anteiſſe etiam omnes in Hiſtoria Sacra deſcribenda a fidiſſimis primum eruta monumentis: Literariae, ac Forenſis tamen ſine dubio parentem apud noſtros evaſiſſe. Ut omnino dolendum fuerit bonis, nunc forte laetandum (niſi egomet mihi adulor), quod uſque ad hanc diem nemo adhuc ſurrexerit, praeter laudatum Montaltinum, cui tanti viri fama aliquae curae eſſet; ſi etiam impune praetereas ſilentes Juriſperitos noſtros, quorum ſtudia tantum lucis, atque adjumenti a Chioccarelli ſtudiis acceperunt. E contrario ſingularis in illo meliorum hominum plauſu digito oſtendi voluit Toppius, ut ſupra dictum eſt, ne deeſse maledicos tanto viro potuiſse admiraremur.

BAR-

&c. & diffuſius in nondum impreſſis Antiquitatibus Eruditiſſ. Doctoris Barthol. Chioccarelli, quae propediem in lucem edenda expectantur ſumma omnium aviditate. Capacius in *Hiſt. Neap.* lib.II. fol. 891. Barth. *Chioccarellus antiquitatum, & curioſarum rerum maximus indagator*. Julianus *Tract. de Veſuvio monte*, ejuſque incendiis, fol. 92. *diligentiſſimum, ac curioſiſſimum inveſtigatorem digniorum, ac venerandarum antiquitatum hujus Regni Barth. Chioccarellum U.J. Doctorem*. Aliique, a quibus juvat ſuperſedere.

(54) Lucas VVadingus in *Annal.* ubi de Carolo Ducae Calabriae *pag.* 358. *Illud ex ipſo regeſto Caroli extractum accepimus a viro probo, noſtro amico, Barth. Chiocc. Regni Neap. docto antiquario*. Deinde non uno in loco ſumma cum laude ejus.

BARTHOLOMAEI CHIOCCARELLI
EPISTOLA
AD LECTOREM.

EN *tibi, candide Lector; librum* de Illuſtribus Regni Scriptoribus, *opus quidem jamdiu deſideratum, & a nemine adhuc tentatum, ob ſummam operis difficultatem. Sunt enim quamplurimi, & pene innumerabiles ii Scriptores, ac plerique altiſſimi ſilentii, ac multorum ſaeculorum tenebris involuti, quorum labores, & Libri magna ex parte interierunt: tametſi multi a gentilibus, ac veteribus ſcriptoribus memorentur, ac citentur, ut vix auctorum nomen ſuperſit. Illud verum conſtantiſſime affirmaverim, longiores anfractus, ac inextricabiles difficultates in his inveſtigandis, colligendis, ac diſponendis me quidem exantlaſſe, veterum, ac recentiorum libros quam diligentiſſime perſcrutando, ac legendo, & obſervando, quam vaſto hoc pelago pervagato: quantum vero laboris ſuſceperim, mihi ipſi ſum teſtis, quantum vero profecerim, tu videris. Hoc tamen mihi ſervandum propoſui, ut omni gratia, omnique adulatione poſthabitis ea omnia diſponerem. Catalogum confeci Scriptorum omnium hujus noſtri Regni cujuſvis generis, in quo Theologos, & Eccleſiaſticos ſcriptores, Juriſconſultos tum juris Pontificii, tum vero Caeſarei, Medicos, Philoſophos, Mathematicos, Aſtrologos, Geometras, Hiſtoricos, Poëtas, Oratores, Rethores, ac etiam Grammaticos magis inſignes, Muſicos, aliarumque diſciplinarum, ac liberalium facultatum ſcriptores, qui Latinè, Graecè, vel Italice, vel alio quovis idiomate aliquid conſcripſerunt, idque ad decorem, ac perpetuam laudem, & gloriam Règni hujus, potiſſimam verò patriae noſtrae Neapolis, quae totius Regni caput eſt, & Metropolis.*

Admonitum te quoque volo, multa levia me conſulto omiſiſſe, ne librum in immenſum excreſceret, & etiam omnes fere Juriſconſultorum Allegationes, Conſilia, ac juris Reſponſa, ac Fratrum Concionum, ac Sermonum libros, & Grammaticales, recentiores Comoedias, ac plurium verſificatorum carmina, rithmorumque libellos, ac Manuſcriptos libros fere omnes. Quamvis non vereamur, quin ſcriptores aliquot, etſi pauciſſimos non praetermiſerimus, qui nobis in tanta rei mole non occurrerint, ac in noſtram notitiam

tiam non pervenerint. In Libro quoque hoc deſcripſimus aliquot Scriptores celeberrimi Caſſinenſis monaſterij Monachos, ut pote quod hoc in Regno Coenobium illud ſit poſitum; Monachos vero, quorum certa patria neſcitur, illoſque exteros ab hoc Regno eſſe non habetur, inter Regnicolas commemoravimus.

Beneventanae etiam urbis cives inter hujus Regni Scriptores appoſuimus, cum ea Civitas, etſi cum hoc Regno non connumeretur, nec pareat Philippo Regni hujus Siciliae, ac Regi; attamen inter Samnites poſita eſt, & connumeratur, qui hujus Regni populi ſunt, imo impraeſentiarum Samnitum ipſa caput habetur.

Ad hoc autem opus conſcribendum multorum exemplum tum veterum, tum recentiorum ſecutus ſum. Alii enim Bibliothecam, ſive Catalogum ſcriptorum unius facultatis, ac diſciplinae, vel auctorum, qui exprobata aliqua religione prodierint, recenſent; alii ſolius urbis, provinciæ, vel Regni, ad natale eorum ſolum illuſtrandum, atque exornandum ſuſcipiunt; alii vero peramplam materiam complexi cujuſvis profeſſionis, & inſtituti, urbium, & locorum, & totius fere terrarum orbis Scriptores referunt: & ne eorum omnium exempla deſint, placuit eos in tabula, quaſi penicillo expreſſos ob oculos proponere, ut noſtrum hunc laborem ſcias aliorum exemplo ſuſcepiſſe. Vale.

Qui

QUI UNIVERSALEM BIBLIOTHECAM OMNIUM SCIENTIARUM AC DISCIPLINARUM OMNIUMQUE REGIONUM CONSCRIPSERUNT.

CONradus Geſnerus Tigurinus, damnatae memoriae vir, edidit *Bibliothecam univerſalem*, ſive Catalogum locupletiſſimum omnium Scriptorum extantium, & non extantium, veterum, & recentiorum, uſque ad annum 1575.

Eadem *Bibliotheca in Epitomen* redacta, & aucta a Ioſia Simlero, & Johanne Jacobo Friſio, uſque ad annum 1585. Item *Appendix ad Epitomen*.

Antonii quoque Verderii *Supplementum* ejuſdem *Biblioth. Geſnerianae* ad annum 1585. *in fol.*

Bibliotheca Claſſica, in qua agitur de omnibus mundi Libris insualibet facultate, qui prodierunt uſque ad annum 1611. auctore Georgio Braudio.

Cornelius Callidius Goudanus ſcripſit librum *de Illuſtribus Scriptoribus* ab anno 1500. uſque ad ſua tempora.

Roberti Conſtantini *Nomenclator inſignium Scriptorum* 1555.

Hieronymus Paduanus *de Auctoribus ſcientiarum, & libris eorum*.

Icones, ſeu imagines vivae litteris clarorum Virorum Italiae, Graeciae, Germaniae, Galliae, Angliae, Ungariae, una *cum Elogiis variis* per Nicolaum Beuſnerum.

Monumenta clarorum doctrina praecipue toto orbe terrarum virorum collecta, paſſim in aes inciſa, Sigefridi Rubiſch.

Gulielmus Poſtregius Veronenſis ſcripſit *Librum de originibus rerum*, in quo agitur de ſcriptis Virorum illuſtrium, & aliis.

Scaevola Sammarthanus ſcripſit *Elogia Virorum litteris illuſtrium*, qui noſtra, patrumque memoria floruerunt.

SCRIPTORES THEOLOGICI AC SACRAE PAGINAE.

PEtri Beſodneri *Bibliotheca Theologica*, ſive *Index Bibliorum* praecipuorum, eorumdemque *Interpretum* Haebraeorum, Graecorum, & Latinorum, veterum, ac recentiorum.

Sixti Senenſis *Bibliotheca Biblicorum*, auctorum, qui nempe ſuper Biblia ſcripſerunt.

Catalogus Auctorum Theologicorum, qui in ſacros Biblicos libros umquam ſcripſerunt.

Valentini Pacaei *Nomenclatura* praecipuorum in Theologia Scriptorum, ſecundum ordinem temporum.

Iſraelis Spachii *Nomenclator Scriptorum* Philoſophorum, & Theologorum uſque ad annum 1597.

Angeli Rocca Camertis *Bibliotheca*, ex praecipuis tantum quibuſdam, & gravioribus Theologis, quos *Scripturales* vocant, compilata; nempe *Catalogus* eorum, qui ſuper ſacra Scriptura ſcripſerunt.

Joannis Jacobi Friſii *Bibliotheca Philoſophorum Chronologica*, in qua veterum origo, ſucceſſio, aetas, & doctrina compendioſa ab origine mundi uſque ad noſtram aetatem proponitur. Item Patrum a temporibus Apoſtolorum, uſque ad tempora Scholaſticorum, ad annum 1140. enumeratio.

DE

De scriptoribus ecclesiasticis.

Hieronymus ſcripſit *Librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ſive de Viris illuſtribus.
Gennadius Maſſilienſis Eccleſia Presbyter, qui claruit anno 490. ſcripſit *Catalogum de Eccleſiae Scriptoribus*, ſive de Viris illuſtribus.
B. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, qui floruit anno 630. ſcripſit *de Viris illuſtribus*, ſive de illuſtribus Eccleſiae Scriptoribus.
Honorius Auguſtodonenſis Ecclesiae Presbyter, qui claruit anno 1120. ſcripſit *de Luminaribus Eccleſiae*, ſive de illuſtribus Scriptoribus Eccleſiaſticis.
Sigibertus Gemblacenſis Monachus S. Benedicti, qui floruit anno 1120. ſcripſit *de Viris illuſtribus*.
Boſtonus Burienſis Anglus, ſcripſit *Catalogum Scriptorum* Eccleſiae in Anglia.
Joannes Trithemius Abbas, qui floruit anno 1494. ſcripſit *Catalogum de Scriptoribus Eccleſiaſticis*.
Suffridus Petrus Lesvardinenſis ſcripſit librum *De illuſtribus Eccleſiae Scriptoribus*.
Gulielmus Eiſingrenius Germanus edidit librum de Eccleſiaſticis Scriptoribus, quem vocavit *Catalogum teſtium veritatis*.
Joannes Driedon a Turnhuot Lovanienſis ſcripſit *de illuſtribus Eccleſiaſticis Scriptoribus*, & dogmatibus.
Robertus Cardinalis Bellarminus edidit librum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*.
Antonius Poſſevinus ſcripſit volumina tria *Apparatus Sacri*; & *Bibliothecam Selectam* duobus voluminibu .
Paſqualinus Elegiſelmus edidit librum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*.

De scriptoribus alicujus probatae religionis.

Joannes Trithemius ſcripſit librum *de illuſtribus Scriptoribus* ſacri, atque adeo antiquiſſimi *Carmelitani Ordinis*, ſive ejus operum Catalogum.
Jacobus Servita ſcripſit *Catalogum Scriptorum Carmelitarum*.
Petrus Lucius Belga Bruxellenſis Carmelita ſcripſit *Carmelitanam Bibliothecam*, ſive illuſtrium aliquot Carmelitanae religionis Scriptorum, & eorum Operum Catalogum.
Theodori Petrei Carthuſiani *Bibliotheca Carthuſiana*, ſive Catalogus illuſtrium ſacri Carthuſienſis Ordinis Scriptorum, cum originibus omnium per orbem Carthuſiorum.
Henricus Willot Eburo in *Catalogo Scriptorum Franciſcanae familiae*.
Antonius Senenſis Luſitanus ſcripſit *Bibliothecam*, ſive *de viris illuſtribus Ordinis Praedicatorum*.
Alphonſus Fernandes *de Scriptoribus Praedicatoriae familiae*.
Fr. Thomas Gratianus Ord. Eremitarum S. Auguſtini ſcripſit librum, cui titulus eſt *Anaſtaſis Auguſtiniana*, in qua Scriptores Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, qui ab hinc ſaeculis aliquot vixerunt, una cum neotericis, in ſeriem digeſti ſunt.
Petrus Ribadineira ſcripſit *illuſtrium Scriptorum Religionis Societatis Jeſu Catalogum*, uſque ad annum 1608.

Qui scripserunt catalogum scriptorum alicujus litterariae professionis vel scientiae.

Aymarius Rivallius Allobrox ſcripſit *Hiſtoriam juris Civi-*

vilis, & *Catalogum veterum Juriſconſultorum*, cum operibus, quae conſcripſerunt.

Bernardinus Rutilius ſcripſit *Vitas Juriſconſultorum veterum*, una cum eorum libris, quos ſcripſerunt.

Jacobus Spiegel in fine ſui *Lexici* ſcripſit *Nomenclatorem librorum Legalium*, *ac Juriſconſultorum*.

Catellianus Cotta ſcripſit *Vitas Juriſconſultorum recentiorum* in ejus libro quem vocavit *Memorialia*.

Joannes Fichardus Francofurtenſis ſcripſit *Vitas Juriſconſultorum recentiorum*.

Joannes Nevizanus ſcripſit item *Vitas Juriſconſultorum recentiorum*.

Marcus Mantua Benavidius Patavinus Juriſconſultus ſcripſit *Epitomen virorum illuſtrium*, qui vel ſcripſeunt, vel qui juriſprudentiam docuerunt in ſcholis.

Elenchus omnium recentiorum Auctorum, ſive Scriptorum in jure editus a Joanne Baptiſta Zileto, Joanne Fichardo, Joanne Nevizano, Ludovico Gomeſio, & Joanne Vualffg Freymonio.

Iſrael Spachius Argentinenſis Medicus edidit librum, qui vocatur *Nomenclator Scriptorum Medicorum*, hoc eſt Elenchus eorum, qui artem medicam ſuis ſcriptis illuſtrarunt.

Paſchalis Gallus Pictonis, Villefanenſis, ſcripſit *Bibliothecam Medicam*, nempe quid ſcripſerunt Medici, qua forma, quo tempore, quo loco, excuſa, ſive manuſcripta.

Joannes Georgius Schenkius a Gravenberg ſcripſit *Bibliothecam Medicam*.

Othonis Brunsfelſii *Catalogus illuſtrium Medicorum*.

Symphorianus Campegius *de Claris Medicinae Scriptoribus*.

QUI ALICUIUS REGNI AUT PROVINCIAE VEL CIVITATIS SCRIPTORUM CATALOGUM EDIDERUNT.

G*Allorum doctrina illuſtrium*, qui noſtra, patrumque memoria floruerunt, *Elogia*, authore Scaevola Sammarthano.

Joannes Picardus Touterianus ſcripſit *de priſca Celtopaedia lib. V.* quibus admiranda priſcorum Gallorum doctrina, & eruditio oſtenditur.

Henricus Pantaleo Baſilienſis ſcripſit *Proſographiam illuſtrium virorum Germaniae*, tribus voluminibus, in quibus tum de viris illuſtribus litteris, tum armis agitur.

Gerardus Geldenhaurius Novigmagus ſcripſit librum *de Germaniae Scriptoribus*.

Joannes Trithemius edidit *Catalogum Scriptorum Germaniae*.

Elogia illuſtrium Belgii Scriptorum, qui vel Eccleſiam Dei propugnarunt, vel diſciplinas illuſtrarunt, *Centuria decadibus diſtincta*, ex Auberti Miraei Canonici Antuerp. *Bibliotheca*.

Valerius Andreas edidit *Bibliothecam Belgicam*.

Albertus Miraeus ſcripſit *Elogia Belgica*, ſive illuſtrium Belgii Scriptorum *Vitas*.

Suffridus Petrus Leovardienſis Friſius edidit tractatum *de illuſtribus Friſiae Scriptoribus*.

Alanus de Lymna Anglus Carmelita, edidit *Scriptorum Britanniae Indices* multos. Floruit anno 1420.

Joannes Baleus Anglus, improbati nominis auctor, ſcripſit *de majoris Britanniae illuſtribus Scriptoribus* volumina duo.

Petrus Pitſeus Anglus ſcripſit *de rebus Anglicis*, & in XIV. aetate agit *de illu-*

Digitized by Google

illuſtribus Angliae Scriptoribus.

Simon Starovolſcus edidit EKATONTAΣ, ſeu *centum illuſtrium Poloniae Scriptorum Catalogum*.

Valerius Andreas Taxander edidit *Catalogum clarorum virorum Hiſpaniae Scriptorum*.

Hiſpanicae Bibliothecae, ſeu de Academiis, ac Bibliothecis. Item *Elogia*, & *Nomenclator clarorum Hiſpaniae Scriptorum*.

F. Joannes Albericus e Sarnico Bergomenſis Ord. Eremit. S. Auguſtini edidit *Catalogum illuſtrium Venetiarum Scriptorum*.

Michael Pocciantius Florentinus Ordinis Servorum B. Mariae edidit *Catalogum Scriptorum Florentinorum*, cui *Additiones* confecit frater Lucas Ferrinius eiuſdem Ordinis.

BARTH.

Digitized by Google

Bartolomaei Chioccarelli

De Illvstribvs

Scriptoribvs

Regni Neapolitani.

ACtivs Syncervs Sannazarivs, ſive Jacobus Sannazarius (utroque enim modo vocabatur ,) patritius Neapolitanus, Juniani Maji Neapolitani in humanioribus litteris diſcipulus ; vir ſummi ingenii , & latina atque italica poëſi , uſque ad miraculum , excultus . Ex Pontani fuit Academia , & ipſius valde familiaris amicus, cujus Pontanus ipſe ſaepius in ſuis operibus meminit ; imo & librum, ſive Dialogum de poëticis numeris is Sannazario inſcripſit, quem ex ejus nomine *Actium* nuncupavit: ex quo perſpicitur Pontanum poëtici numeri palmam Sannazario tribuere , dum eum honorem Sannazario deferat, tum ex ejus libri inſcriptione , tum ex Actii perſona determinantis omnes ibi propoſitas quaeſtiones. Idem quoque Sannazarius propter eam , quae inter ipſum , ac Pontanum interfuit amicitiam, Pontani opera, poſt ejus mortem, in lucem edi curavit. Fuit quoque Sannazarius Ferdinandi ſenioris Neapolitanorum Regis familiaris, atque ejus filii Calabriae Ducis , qui poſt Alphonſus II. Rex effloruit ; quem Actius in Etruriae bello, uti miles, ſecutus eſt; ſed Federico Regi in primis charus fuit, ejuſque a Secretis (in Romano tamen eloquio, ac a latinis epiſtolis), cujus quoque e regno pulſi in Gallias uſque ſectatus eſt fortunam. Multa is ſcripſit , quibus ſui nominis memoriam ad poſteros cum gloria tranſmiſit, ac exinde in univerſo orbe clarus , ac celeberrimus effulxit . Quae autem Sannazarius latine , ac metrice conſcripſit haec ſunt.

Eclogae piſcatoriae quinque, quarum prima *Phyllis* inſcribitur , II. *Galatea* , III. , *Mopſus* , IV. *Protheus* ad Ferdinandum, Federici Regis filium, Aragoneum Calabriae Ducem . V. *Herpylis pharmaceutria*, ad Caſſandram Marcheſiam mulierem praeſtantiſſimam. *Salices* , ad Trajanum Cabanilium Trojae, & Montellae dominum . *Elegiarum libri tres*, quorum primus ad Lucium Craſſum dirigitur. II. ad Alphonſum , Ferdinandi filium, Aragoneum Siciliae Regem. III. ad Federicum , Ferdinandi filium , Aragoneum Siciliae Regem. *Epigrammatum libri tres* , quorum I. Federico Regi nuncupavit ; III. vero Mariae Carloniae Grappinae.

De Partu Virginis libri III, ad Clementem VII. Rom. Pontif.

Ejuſdem Sannazarii *latinae* aliquot *Epiſtolae* habentur inter latinas clarorum virorum Epiſtolas ab Aldo Manutio collectas .

Italice autem carmina edidit haec : Arcadiam. *Rithmos* , *& Cantiones* , ad Caſſandram Marcheſiam matronam nobiliſſimam ; quae quidem Italica excuſa ſunt omnia ſimul *Venetiis. anno* . 1531. *apud Bernardinum Stagninum* in 16. , & pluribus in locis, tem-

porib9s, ac formis recuſa.

Carmina quoque materna lingua antiqua, ac rudi Neapolitana, ad riſum provocandum aptiſſima, edidit ad Federicum Regem, quae *Glomeros* appellavit; & comoediae loco eidem Regi, ac proceribus exhibita ſunt: & adhuc in Manuſcriptis circumferuntur.

Extat etiam ipſius opus quoddam tragicum metro Italico exaratum (quae *Fartia* vulgo appellatur), quaeque publice Neapoli habita eſt coram Alphonſo Aragoneo Calabriae Duce, ac pleno Neapolitanorum civium conſeſſu, in ſollemni feſto, qui die 4. Martii 1491. celebratus eſt in aula caſtri Capuani, ob laetitiam victoriae obtentae a Rege, & Regina Caſtellae de Civitate, & Regno Granatae, quod a Mauris incolebatur die 2. Januarii ejuſdem anni. In ea autem inducitur Machomethes e Granata pulſus, & Crux cum inſignis Caſtellae, in vexillo quodam erecta, ac Chriſtiana Fides inibi plantata. Habetur autem opus illud Sannazarii MStum poſt librum Juliani Paſſeris Neapolitani *De rebus Neapolitanis*.

Ejuſdem *Epiſtolae* Italice ſcriptae habentur inter *Epiſtolas* XIII. *Virorum illuſtrium* l. XIV. excuſſae *Venetiis. anno.* 1561. *apud Iridinum de Monferrato in.* 8. Complures quoque Sannazarii epiſtolae, propria ejus manu ſcriptae, aſſervantur in Bibliotheca Cardinalis Seripandi in Coenobio Sancti Joannis ad Carbonariam Neap. Circumfertur item concinna ejus *Epiſtola Italica* MSta ad Camillum Caracciolum, *De origine, & inventione Armorum*, ſive inſignium cujuslibet familiae.

Alia etiam opera ſcripſiſſe crediderim, quando quidem Antonius Franciſcus Donus in ſua *Bibliotheca tract.* 2. ait ſe manuſcriptas legiſſe Comoedias Jacobi Sannazarii Italice ſcriptas, quas dicit eſſe maxime admirabiles, nempe *Mergellinam* Comoediam, *& Fucinam Vulcani*.

Sed quoad Sannazarii ingenium, ac laudes, et ejus poëmatum judicium ſpectat, graviſſimi quique Scriptores viciſſim illum, ejuſque opera ſummis laudibus efferunt; & in primis in ejus Piſcatoriis. Is enim inter veteres, ac recentiores poëtas unicus exiſtimatur, qui primus fuerit ipſarum auctor, ac primus, qui Muſas piſcatrices fecerit. A quo judicio non longe abeſt Ludovicus Arioſtus, qui tanto flagrans deſiderio Sannazarium videndi, tum ob ejus famam, quae per mundi ambitum evolabat, tum quoque ob admirabiles ejus Piſcatorias Eclogas, quas legerat, in fine ſui *Orlandi Furioſi*, celebrans nobiliora ingenia, quae ea aetate florebant, ſic dixit:

Veggio ſublimi, e ſovraumani ingegni
Di ſangue, e d'amor gionti, il Pico, e'l Pio;
Colui, che con lor viene, e da più degni
Ha tanto onor, mai più non conobb' io:
Ma, ſe me ne fur dati veri ſegni,
E'l uom, che di veder tanto diſio,
Jacopo Sannazar, che a le Camene
Laſciar fè i monti, ed abitar l' arene.

Marcus Antonius Flaminius *lib.* II. *epigr.* 20. eas Sannazarii Eclogas ſic extollit:

Quantum Virgilio debebit ſylva Maroni,
Et paſtor, donec Muſa Maronis erit;
Tantum pene tibi debent Piſcator, & acta,
Acti, *divino proxime Virgilio.*

At in primo Vol. *Delitiarum [illegible]tum Poëtarum Gallorum*, hoc legitur Epigramma de Sannazarii Piſcatoriis, & de Partu Virginis poëmate, ad Civitatem Neapolis:

Statius hic hortus voluit, patriamque, Lareſq;
Altiſono reſonans vix poſtponenda Maroni;
Syncerusque ingens aeterno carmine panxit,
Virgineoſque Partus, & Piſcatoria lina
Luſit amica ſedens ad litora Mergellines.

Quoad autem poëma de Partu Virginis, non deſunt, qui unico ore illud divinum praedicent, ac ſummis conatibus ad ſydera ex.

Digitized by Google

extollant. Beliſarius Aquavivus Neritinorum Dux, vir quippe eruditus, in epiſtola, quam ad eumdem ſcribit, inter cetera ait. *Cum orationis ſplendore contendere brevitatem; cum rotunditate ornatum; cum fluxu Carminum pulchritudinem; atque ita demum omnia numeris, & ſententiarum gravitate mandata videri, ut ad cujuſvis Scriptoris antiquiſſimi, candidiſſimique laudem accedant.*

Petrus Summontius ad Franciſcum Pudericum ſcribens, in epiſtola nuncupatoria ad Pontani Dialogum, qui *Actius* inſcribitur, ait: *Exquiſitiſſima Actii ipſius ſcripta, quibus junior luſit, partim lyrica, partim elegiaca typis tunc propediem excudenda, cumque his novas illas piſcatorio genere Eclogas; denique divinum de Chriſto opus, cui ſummam tunc imponere decrevit manum. Ut poſt neſcio quos Sedulios & Prudentios, in quibus pene nihil, praeter nudam religionem, invenias, Marones tandem Chriſtianos habeamus.*

Leo x. Romanus Pontifex, vir quippe eruditus, atque eruditorum virorum amicus, fautor, ac maecenas ex relatione habita a doctiſſimis viris de Sannazarii ingenio, atque eruditione, & de ejus opere de Partu Virginis, eum maxime commendat; atque enixe hortatur, ut poëma illud citius in lucem emittat, ejuſque exemplum ad eum mittat, ut ex ejus literis Romae datis die 6. Auguſti 1521.

Clemens quoque vii. Pontifex, cui Sannazarius eum librum nuncupavit, illum ſummis effert laudibus, ut ex diplomate ad Actium anno 1526. 5. Auguſti.

Aegidius etiam de Viterbio Cardinalis vir eminentiſſimus, quantis laudibus non commendat eum de Partu Virginis librum, & divinum illum praedicat, in epiſtola ad eundem Actium?

Petrus item Gravina poëma illud magnis effert laudibus, ac *divinum novi Carminis partum* appellat.

Lilius Gregorius Gyraldus in *Hiſtor. poëtarum, dial.* 1. *de poëtis noſtri temporis* ſic ait. Actius Syncerus Sannazarius, *cujus ingenii exquiſita quaedam monumenta legi, & in primis Piſcatorias Eclogas, nonnullaſque Elegias, & Epigrammata, in quibus quaedam ſunt omni laude digna, alia, praeter vernacula, non vidi; & quoſdam Virginei Partus, ut ipſe appellat, heroicos: in quibus, ut ſic dicam, ſtatarius poëta videri poteſt. Non enim verborum volubilitate fertur, ſed limatius quoddam ſcribendi genus conſectatur, & lima in dies atterit; ut de illo non ineleganter dictum illud Apellis de Protogene Pontanus uſurpare ſolitus eſſet, eum manum de tabula tollere neſcire. Praeter diligentiam, curamque Actii, acerrimum quoque ejus judicium, & numerorum ſcientiam in poëtica facultate cognoſcimus; quare ejus reliqua, quae condidit, ſummopere deſideramus, quae longius ille jam aetate provectus ſupprimit. Quare non ſatis mirari poſſum virum quemdam, alioquin eruditum, deſiderare in Pontano, & (ſi deis placet) in Sannazario Chriſtianam elocutionem, hoc eſt barbaram. Sed hic cum ſua cenſura, qua homines Italos perſtringit, non diutius permanebit.*

Julius Caeſar Scaliger in ſua *Poëtica lib.* vi. *cap.* 4. de Sannazario, ejuſque operibus loquens, ait: *Ex Chriſteide* (ſic enim appellabat) *aliquot carmina, ſane quam luculenta, quorum mihi nunc, cum in mentem venit, non poſſum non didiciſſe ex judicio tanti viri, qui opus divinum illud ſuum mutato conſilio, poſtea non Chriſteidem, ſed de Partu Virginis inſcriptum maluit.* Et aliquibus intermiſſis. *Cetera ibi divina omnia: ut verſus ipſos e caelo deduxiſſe videatur. Idem primus epigramma cultum dediſſe creditur a nobis, primuſque argutias terſas oſtendiſſe. In Carmine quoque paſtorali ſolus legi dignus omnium, qui poſt Virgilium ſcripſere. Memineris illud Oraculum noſtrum &c. Ecloga vero Galatea longe optima eſt. Eam ante etiam, quam ederetur, manu noſtra deſcriptam habuimus.* Dein Scaliger is laudat magni viri judicium, & judicii caſtigati, cum redegit ad pauciora, & loquens de Galatea ait: *Atque ut haec opti-*

ma, ita Salices peſſima : tametſi eam ſcio placuiſſe, cui meum judicium non diſplicebat. Dein ait: *Actius Syncerus Sannazarius, & Hieronymus Fracaſtorius, quorum uterque, cum praeter illa quatuor a nobis decantata, etiam caſtigatiſſima fluat vena, atque moderatiſſima, non poteſt committi, quin aut alter, aut ambo pari, aequabilique gloria nomen ſuum tueantur*.

Sixtus Senenſis *lib.* IV. ſuae *Bibliothecae Sanctae* ait: *Jacobus Sannazarius patricius Neapolitanus, qui & Actius Syncerus Parthenopaeus, vir ad illuſtrandam ſacroſanctam Chriſtianorum poëſim feliciſſimo ſidere natus, ſcripſit in ſecundum Lucae capitulum.* De partu Virginis libros tres, *heroicis carminibus, ita Virgilianum candorem, ſublimitatemque praeferentibus, ut Virgilium ipſum te legere, audireque exiſtimes. Operis principium eſt* Virginei partus, magnoque aequaeva parenti *&c. Claruit anno Domini* 1530.

Joannes Bonifacius e Societate Jeſu in *Virginali Hiſtoria lib.* II. *cap.* 13. *Actius Syncerus Sannazarius talis eſt in Partu Virginis celebrando, ut Virgilium nemo deſideret.*

Antonius Poſſevinus *in Biblioth. Selectae lib.* XVII. *cap.* 25. ait: *Porro ſi in hanc noſtram aetatem reſpicimus, inter epica poëmata, vel ſacra, vel de rebus honeſtiſſimis, nemo ſpernenda duxerit, quae Actius Syncerus Sannazarius de Partu Virginis, & alii quidam ſcripſere; quae ſi alii attentent nova parturitione parere, intelligent quanti poëtae fuerint hi, quos nominavimus. Ac a Sannazario quidem pauciſſimis demptis (quae voces illas Ethnicorum poëtarum ſapiunt) Divinum habemus poëma, ut merito Beliſarius Aquaviva &c.*

Idem Poſſevinus in I. *Vol. Appar. Sacri* ait: *Sannazarii librum de Partu Virginis dignum eſſe, qui, ut reliqui, praelegatur ab omnibus, & adeo perlegatur in ſcholis.*

Illud unum non praetermittam, Jacobi hujus Sannazarii numiſma ex aere conflatum me vidiſſe, in quo ex altera parte imago ipſius cernitur, ac nomen ACTIVS SYNCERVS; ex altera vero, Partus Virginis, nempe Beatiſſima Virgo Maria cum Joſepho in ſpecu, puerulum filium humi jacentem adorans, Angelis in aëre adſtantibus: ad ejus librum de Partu Virginis alludens; ex quo Sannazarius ſperabat majorem ſe gloriam adepturum, quam ex ceteris ejus operibus. Cum per viginti annos in eo opere perpoliendo inſudaſſet, cumque Arcadiam, atque italica ejus poëmata is pene odiret, nec ab aliis commendari aequo animo ferret, compertum eſt parem, imo majorem fortaſſe laudem ex italicis reportaſſe, quam ex latinis etiam de Partu Virginis libris.

At inter doctos viros hoc judicium habetur de Sannazarii latinis operibus, ut credatur in Piſcatoriis Sannazarium aequaſſe, vel proxime attigiſſe Virgilii ſtilum; in Bucolicis, et in amatoriis, ac venereis rebus ſuo elegiaco ſtilo Ovidio fuiſſe non multo inferiorem; in epigrammatibus autem, et diſticis acuto ſale conditis ſpiritum Martialis poëtae in eo fluxiſſe. Et in libro de Partu Virginis ad Claudiani ſtilum de Raptu Proſerpinae perveniſſe, vel proxime acceſſiſſe inter doctos viros exploratum habetur. Attamen Sannazario major laus, quam Claudiano eſt deferenda, ſi temporum, quibus ambo floruerunt, rationem habuerimus. Claudianus enim vixit florente Romana Repub. temporibus illis feliciſſimis, in quibus Romana eloquentia, ac poëſis maxime florebat; at Sannazarius eo tempore floruit, quo litterae fere omnes, ac honeſtae diſciplinae jamdiu ablegatae, reverti, ac vix coli caeperant.

Sunt et alii, qui Sannazarium, ejuſque ingenium, atque eruditionem ſummis laudibus celebrarunt; inter quos Andreas Mattheus Aquavivus Hadriae Dux, in *Diſputatione de virtutibus moralibus lib.* IV. *cap.* 5. qui ſic ait: *Actius Syncerus noſter Neapolitanus cultura, & ſobrietate carminum tantum Virgilio ſecundus*.

Alexander de Alexandro *lib.* I. *Dierum genialium cap.* 30. Vocat Actium Synce-

rum

Digitized by Google

rum Sannazarium *Virum ingenii cultu , & facundia ſingulari :* Antonius Galateus in libello *De ſitu Elementorum*, quem eidem Sannazario nuncupavit, vocat ipſum *virum perſpicaciſſimum*; et alibi in eodem libello ait: *Quis Syncero, niſi iniquus judex, aut invidus novitatem objiciet , qui bonorum, & doctorum judicio cum omni vetuſtate certare poteſt, atque illis , quos admiramur, antiquis comparari?* Vocat quoque eum ibi, *virum ſeveri judicii*.

Antonius Sebaſtianus Minturnus *lib.* I. *De Poëta* ait : *Actium Syncerum omnium conſenſu inter aetatis quidem ſuae poëtas , principem locum obtinere.*

Anonymus auctor vitae Hieronymi Fracaſtorii Veronenſis, quam vir quippe eruditus conſcripſit , quaeque ejus operibus praefixa eſt , loquens de celebri illo poëmate Syphilidis ab eodem Fracaſtorio conſcripto , et ejus laudibus, in lucem edito tempore Sannazarii, & vivente adhuc Fracaſtorio, ſic ait: *Quum mox Neapolim ad Jacobum Sannazarium in lucem edita deferretur, vir ille omnium noſtrae, ac ſuperioris aetatis diſertiſſimus , et Virgilianae majeſtatis affectator egregius, atque alieni carminis laudator alioqui parcus, atque amarulentus, Hyppolito Medici Cardinali, qui forte ad eum ſalutandum , nobili eruditorum corona ſtipatus, atque adeo ipſo Montano acri aemulo acceſſerat, hunc unum eſſe confeſſus ſit, a quo non Jovianus modo Pontanus , ſed ipſe quoque accurata carminis dignitate , viginti annorum lima, ac labore perpoliti eſſent, victus.*

A Paulo Jovio *lib.* III. *Hiſtor.* Appellatur Actius Syncerus, *non minus fide, quam carminis gloria inſignis.*

Hieronymus Zuritta *lib.* VI. *Chron. Aragon.* cap. 4. ad *annum* 1506. appellat Jacobum Sannazarium *excellentem, & celebriorem poëtam ſui temporis , & multorum ſaeculorum.* Quem ait eo anno a Ferdinando Catholico Hiſpanorum , & Neapolitanorum Rege veniam obtinuiſſe , ut Neapolim reverti potuiſſet . Is enim Federicum Regem e Regno pulſum , in Gallias comitatus fuerat , ejuſque partes ſecutus .

Fuit autem Sannazarius ſeveri judicii , & in commendandis aliorum ſcriptis parcus , & amarulentus , ut teſtantur praefati authores , ac etiam Jovius in ſuo *Elogio* , & in *Epiſt.* Jacobus quoque Auguſtus Thuanus *Hiſtoriarum ſui temporis lib.* IX. *anno.* 1553. ait, Jacobus Sannazarius *parcus , & amarulentus fuit alienae eruditionis laudator , quique accurata* 20. *annorum lima ejus carmina perpulivit .*

Obiit autem Sannazarius Neapoli anno 1530. cum annum ageret 72. & in templo Beatae Mariae de Partu in Mergellina, ejus Villa , poſito , a ſe conſtructo , cui coenobium fratrum Servorum adjunxit , ſepultus eſt : Ubi pulcherrimum marmoreum ſepulcrum ei erectum conſpicitur, ſtatuis , ac iconibus affabre ſculptis a Fratre Joanne Angelo Monturſulo Ordinis Servorum, ſculptore ejus aetatis illuſtri , ac inſcriptione appoſita a Petro Cardinali Bembo dictata.

D. O. M.

DA SACRO CINERI FLORES HIC ILLE MARONI
SYNCERVS MVSA PROX MVS VT TVMVLO.
VIXIT ANN. LXXII. ANN. DOM. MDXXX.

Sannazarius autem hunc ſibi diſticum vivens ejus ſepulcro deſcribendum ediderat.

Actius hic ſitus eſt , cineres gaudete ſepulti;
Nam vaga , poſt obitum, umbra dolore caret.

Porro Sannazarii Vitam Joannes Baptiſta Criſpus e Callipoli ſpeciali libello , & quidem , accurate Italice eſt complexus , qui *Romae* excuſſus eſt *anno* . 1593. *apud Franciſcum Coattinum in* 8. quique ab eodem Criſpo recognitus , & auctus recuſus eſt ibidem , eodem anno 1593. apud *Aloyſium Zannetta in* 8. item Neapoli.

Thomas quoque Porcaccus breviter ejus vitam recenſuit, eamque praefixit *Arcadiae, & Rithmorum libro* . Paulus item Jovius

ejus

Digitized by Google

ejus elogium facit in ſuis *Elogiis illuſtrium literis Virorum* . Ipſe quoque Sannazarius ſuam vitam deſcripſit in Elegia illa ad Caſſandram Marcheſiam , quae incipit :

Eſt Picentinos inter pulcherrima montes .

Ceterum Sannazarii latina opera variis in locis, ac temporibus excuſſa ſunt in Italia , & extra ; modo inter ſelecta , atque inter aliorum poëmata , modo vero ſeorſim; quandoque cum doctis quorumdam virorum annotationibus , & ex eodemmet Sannazario decerptis obſervationibus . At primo eo vivente , liber *de Partu Virginis* , *Piſcatoriae* , *& lamentatio de Chriſti morte* excuſſus eſt *Neapoli. anno.* 1526. *per Antonium Fretium Corinaldinum* , *ac Civem Neapolitanum in fol.* & Romae eodem anno *in Aedibus Minutii Calvi in* 8. Praeferunt hae duae editiones Leonis X. ac Clementis VII. Romanorum Pontificum diplomata , & Aegidii Cardinalis , & Petri Gravinae , & aliorum epiſtolas , quarum ſuperius meminimus , quae in omnibus fere aliis editionibus deſiderantur. De quo valde dolemus ea ſublata , ac erepta eſſe ; non parum enim ad ejus libri laudem , ac commendationem conducunt . Demum omnia Sannazarii latina poëmata excuſſa ſunt in II. vol. operis , quod *Delitiae* CC. *Italorum Poëtarum* inſcribitur .

AEGIDIVS DE SALERNO Medicus edidit latino carmine , etſi barbaro , & inculto (prout tempora , quibus floruit , ferebant) *de Urinarum judiciis* librum unum , *de Pulſibus* librum alterum ; quos Magiſter Gentilis de Fulgineo praeclariſſimus Medicus optimis commentariis expoſuit, verba , & ſententias explicando ; excuſſi autem ſunt cum iis commentariis , *Venetiis . anno .* 1494. *apud . . . . . & Lugduni. anno.* 1505. *apud Franciſcum Fradin in* 8. Dein recogniti , ac correcti a Magiſtro Avenantio è Camerino Medico editi ſunt *Baſileae .* 1529. *in Officina Thomae Wolfii*, aliiſque pluribus in locis . Grandonius ſcripſit etiam librum de Urinis ex ejuſdem Aegidii de *Pulſibus* tractatum , ut ipſe teſtatur in ejus libro de *Urinis* circa finem . Habetur etiam Udalrici Brinder *Epiphania* in *Urinis Aegidii* , & Gilberti cujuſdam *Commentarius* in eumdem Aegidii librum de Urinis , qui Manuſcriptus in bibliotheca Schenkiana in fol. pergameno habetur , ut tradit Joannes Schenkius in ejus *Bibliotheca Medica* . Aegidium citant omnes tum veteres , tum recentiores , qui de Pulſibus, & Urinis ſcribunt.

At quoniam jam Corradus Geſnerus in ejus *Bibliotheca* , quam idem Joannes Giorgius in ea *Bibliotheca Medica* , & Tiraquellus in libro de *Nobilitate cap.* 31. *n.* 254. Aegidium Monachum fuiſſe Benedictinum , & natione Graecum affirmant , operae praetium duximus ejus patriam indagare ; eumque Salernitanum fuiſſe comperimus, quod ex ipſius ſcriptis videtur elici . Is enim in fine ejus libri de Urinis ſic ait :

Nunc mea complecto ; reſpira, Muſa , labore,
Stringe rotam,curſum cohibe,compeſce fluenta,
Claude Muſandini torrentes fluminis undas .
Non ultra aequivoci gazas praelata Salerni,
Sparge nec Urſonis apices,nec dogmata Mauri.

Gentilis in ejus Commentario , eos verſus exponens ait: *Non praelata ultra gazas Salerni aequivoci , ideſt , ut Muſa non extenta ultra theſaurum ſcientiae probi Medici de Salerno , qui vir dicebatur* Magiſter Salernus ; *unde Salernus aequivoce dicitur de viro iſto , & de civitate , de qua erat iſte vir .* Sparge nec Urſonis apices , nec dogmata Mauri , *ideſt , non excedas terminos ſcientiae Magiſtri Urſonis , & Magiſtri Mauri , qui etiam de Urinis tractaverunt .* Nos quoque addimus , floruiſſe olim Medicum quemdam, qui Salernus vocabatur , de quo ſuo loco dicemus quem fortaſſe intelligere voluit Aegidius. Idem Aegidius in tract. de Pulſibus *Cap.* 26. *in* 3. *parte* clarius , & apertius hoc idem innuit . Cum enim aemulorum , ac invidorum

Digitized by Google

rum morſus vereatur, ait: omnia; quae in eo opere dixit, eſſe doctrinam Muſandini, & ea probata fuiſſe ab Alfano Archiepiſcopo Salernitano, ſic inquit:

Invidiae celebrata lues, furmidula fame
Peſſima pro puris ſpargens ʒiʒania granis,
Ut ſic proceſſus ſecurior, et tibi pareat
Invidus: & fatui veteris ludibria vulgi,
Verba Muſandino *maneant condita ſapore.*
Omnibus aequivoci titulum praeſtende Salerni.
Praeſulis Alfani *claro ſignata ſigillo.*

Et Gentilis in ſuo Commentario ſic explicavit: Muſandino ſapore, *ideſt ſapidis, & ſententioſis auctoritatibus* Petri Muſandini, *qui fuit patronus, & ſupremus opifex hujus facultatis, qui alium non habuit patrem, nec habiturus eſt ſequentem*. Aequivoci Salerni: *Salernum aequivocum eſt ad civitatem, & ad magiſtrum hujus artis praeceptorem Alfani; ideſt, illius ſummi magiſtri, & unici in Phiſicali ſcientia*. Praeſulis, *ideſt, Archipraeſulis Salernitani, tantis confiſa patronis poteſt malignis hoſtibus obviare.*

Ex quibus omnibus habetur Aegidium floruiſſe tempore Alfani Archiepiſcopi Salernitani, qui fuit medicinae artis peritiſſimus, ac vixit anno 1058. ut inferius in eodem Alfano dicemus; & Aegidium fuiſſe Salernitanum, & pro Salernitano ſemper fuit habitus; eo ut Paulus Gryſignanus Philoſophus, ac Medicus in libello *de Pulſibus, ac Urinis*, quem anno 1542. Salerni publice legendo conſcripſit; ſaepius Aegidium de Salerno in libello de pulſibus, & Urinis citavit.

AEMILIUS PAULUS PAPINIANUS Beneventanus, Jureconſultus ſuae aetatis diſertiſſimus, & celeberrimus; auditor fuit Cervidii Scevolae, quem prudentiſſimum Jureconſultum Theodoſius Imperator appellat *lib.* IV. Codicis Theodoſiani *tit. de Teſtamentis, & Codicillis*, quique de jure reſpondere ſolebat ut *l. a teſtatore ff.* de *Cond. & demonſt.* Ab eodem quoque Scaevola Marcum Antonium philoſophum, ac Septimium Severum Afrum Imperatores Jus Civile didiciſſe ferunt, ſub cujus diſciplina Papinianus mirum in modum profecit, & is quoque publico gymnaſio juriſprudentiam eſt interpretatus. E cujus ſchola, tamquam ex equo Trojano, pene innumerabiles, & inſignes Juriſconſulti, ac proceres doctrina, ac dignitatibus clariſſimi prodierunt, ut Lampridius in *Severo*; Jaſon in *l. poſt dotem* in principio *ff. ſolut. matrim.* Udalricus Zaſius in *l. 2. ff. de Orig. juris. num.* 109. Antonius Contius ad *Pandectas*, & Miſſingerius in *§. non eſſe autem. num.* 14. *Inſtit. de excuſat. tutor.* affirmant. Ac inter ceteros ejus diſcipulos, & auditores memorantur Claudius Venulejus, Saturninus Domitius Ulpianus, Julius Paulus, Africanus, Aeleus Martianus, Calliſtratus, Herennius, Modeſtinus, Hermogenes Thiphoninus, Celſus, Alfenus junior, Pomponius, Proculus, Metianus, & Florentinus; qui fere omnes Alexandri Severi Imperatoris a conſiliis fuerunt. Fuit autem Papinianus eminentiſſimus Jureconſultus; ab Aelio enim Spartiano graviſſimo hiſtoriarum ſcriptore *juris aſylum, & doctrinae legum theſaurus* nuncupatur, & a Lampridio *legum vertex, & juris aſylum* appellatur. Fiſci procuratorem, poſt Sptimium Severum, primo egit, cujus familiariſſimus fuit amicus, vel quod condiſcipuli fuiſſent, vel ob ſecundae uxoris affinitatem. Claruit quoque Praefecti praetorio dignitate; ſtatim enim ac Severus creatus eſt Imperator Papinianum Praefecti praetorio dignitate decoravit; quae ſumma utique, ac ſuprema, & ſublimiſſima eſt praetoriana praefectura poſt Principem; ut de ea dignitate in Papiniano habetur *in §. Vobis autem in praemio D. & l. lecta in princ. D. ſi cert. pet.*, quo magiſtratu libellos ſupplices, qui Imperatori offerebantur, agebat: ut *l. poſthumus inofficioſum. §. ſi quis inſtituta ff. de inoffic. teſtam. & l. reſcriptum in princ. ff. de diſtract. pign.* ibi reſcriptum eſt ab Impe-

peratore libellos agente Papiniano;

Habuit quoque in eo magiſtratu aſſeſſores Paulum, & Ulpianum ejus diſcipulos, ut habetur in l. *lecta. ff. ſi cert. pet.* viros quippe eminentiſſimos; quorum alter Ulpianus doctrina, & libris editis celeberrimus ſacrorum ſcriniorum magiſter fuit; & Alexandro pro tutore conſtitutus, atque annonae praefectus: ut *l. 4. C. de Contrah. Stipul.* dein praetorio Praefectus *l. 4. C. locuti*. Et Lampridius, ac Dion teſtantur. Alter vero Paulus ampliſſimis in legali diſciplina Commentariis elucubratis illuſtris, Praetor fuit, ac Conſul; tandem praetorio quoque Praefectus; & Papiniani (ut Spartianus tradit) nedum aſſeſſor fuit; ſed in praetorii praefectura ſucceſſor. Quare Alexander Severus Imperator negotia omnia utriuſque conſilio Papiniani nempe, ac Pauli conficiebat, ut Lampridius ait: & non immerito; ambo enim nobiliſſimi, & egregii *legum vertices* dicebantur, ut in *l. ſcire oportet ff. de excus. tutor.*

Fuit Papinianus tantae virtutis, ac integritatis, ut Severus Imperator, qui fidem, prudentiam, ac ſinceritatem ejus optime noverat, ac expertus fuerat, moriens filios ſuos non aliis, quam ei commendaverit. Promeruit quoque Papinianus, ob profundam ejus doctrinam, ac vitae innocentiam ab Imperatoribus ſummis elogiis commendari, ac memorari; imo, ut Joannes Coraſius in *l. cum virum n. 19. C. de fideicom.* optime obſervat, tantae fuit autoritatis, exiſtimationis, ac praetii Papinianus; ut Imperatores nunquam ejus habuerint mentionem, niſi inſigni aliquo, & honorificentiſſimo titulo praemiſſo. Ab Imperatoribus enim Caro, Carina, & Numeriano *vir prudentiſſimus* appellatur in *l. Cum virum prudentiſſimum C. de Fideicom.*, ab Imperatoribus Theodoſio, & Valentiniano in Codice Theodoſiano *lib. 1. tit. 3. de reſponſis prudentum* dicitur *excellentis ingenii vir*: imo ſic de eo ibi legitur: *Ubi diverſae ſententiae proferuntur, potior auctorum numerus vincat, vel ſi numerus aequalis ſit, ejus parti accedat auctoritas; in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat: qui ut ſingulos vincit, ita cedit duobus*. Juſtinianus quoque Imperator nedum acutiſſimi ingenii virum; ſed merito, ante omnes alios, excellentem in jure vocat, in *l. cum acutiſſimi C. de Fideic.* & *in §. & hos tres libros, in prohaem. ff.* Et excelſi ingenii in *l. generaliter §. cum autem C. de inſtit., & ſubſtit.* Summi ingenii virum in *l. p. §. ſed neque C. de Veter. jur. emul. l. cum Papinianus C. de ſentent. interloc.* Prudentiſſimum vocat in *l. cum virum C. de Fideic.* & in *l. utere C. de praediis minorum, l. cum reſponſo C. de legatis*. Pulcherrimum *in prohaemio ff. §. ne autem*. Splendidiſſimum in *l. p. §. ſed neque C. de veter. jur. emul.* Subtiliſſimum virum praefectorium in *D. §. ne autem*. Et non ſolum magnum vocat *in auth. ut Creditores §. neque enim vetus*; ſed maximum quoque appellat, ut in eadem *Auth. & in §. ſi quis igitur. Inſtit. de fidejuſſ.* Sapientiſſimum *in §. nos igitur Auth. de inſtit. & ſubſtit.* appellavit.

Papiniani reſponſa tertio anno ſcholaribus legebantur, qui ejus viri reminiſcentes, magnum exinde feſtum faciebant; quamobrem eo anno *Papiniaſtae* vocabantur. Juſtinianus autem, ne eam conſuetudinem, ac ſcholaribus id gaudium tolleret, utque in aeternum ejus viri memoria perduraret, eam conſuetudinem ſervari ſtatuit, ut in prohaemio *ff. §. ne autem ibi*: *Ut maneat viri ſubtiliſſimi Praefectorii Papiniani per hoc in aeternum memoria*.

Scripſit Papinianus multos libros in tam modica aetate, quam vixit, e quibus horum tantummodo mentionem factam eſſe reperimus

Quaeſtionum lib. XXXVII., de quibus mentio habetur in prohaemio *Dig. §. & hos tres.*

Reſponſorum lib. XIX. ex quibus octo dumtaxat tertio anno ſcholaribus legebantur; quamobrem eum feſtum, ut praediximus, faciebant: ut in prohaemio *Dig. §. tertio vero.*

Definitionum volum. II. ut in D. *§. & hos tres.*

Tractatum de Adulteriis, ut ibidem.

Ad Edictum Aedilium Curulium lib. I. ut ib.

Digeſtorum lib. XIX. De

Digitized by Google

De Hypothecaria lib. 1. ut in dicto prohaemio D. §. *ac ne tertii anni*.

In Papiniani libros aliquot veteres Juriſconſulti notas conſcripſere, nempe Julius Paulus, Domitius Ulpianus, & Martianus ejus auditores, ut in l. 1. §. *ſed neque C. de Veteri jure emul.* De Ulpiani item ad Papinianum notis l. *ait Praetor* §. *Sed quod Papinianus D. de minor.* & l. *quaeſitum* §. *idem reſpondit D. de fund. inſtruct.* & in l. 3. §. *conditio ff. de adimen. legatis*. Pauli, atque Ulpiani notas in Papiniani opera factas, irritas fecerunt iidem Imp. Theodoſius, & Valentinianus, prout ex Cod. Theodoſiano, loco ſuperius citato. De Julii Pauli notis in l. *pen.* §. *fin. ff. de rebus eorum, et l. Clodius Clodianus ff. de acquir. hered.*

Fuit autem Papinianus occiſus ab Antonino Baſſiano Caracalla Imperatore annum circiter a Chriſto nato CCXIII. hunc in modum. Cum enim Antoninus is ad Imperii apicem, favente exercitu, aſcendiſſet, ac Getam ejus Fratrem occidere decreviſſet, atque in caſtris Getae inſidias praetorianis militibus, magnis querelis, ſignificaſſet, Papinianus, tunc quoque Praefecti praetorio dignitatem fungens, fratrum concordiam mirum in modum procuravit, atque egit, ne Geta occideretur. Antoninus vero tandem Getam occidit, atque omnes ejus fautores occidere propoſuit, & a militibus occidi fecit; inter quos Papinianum: ut Spartianus in *Ant.Caracalla*, atque in *Geta* teſtatur; fuitque is militum vulneribus confoſſus. Sunt tamen qui dicant, Antoninum, occiſo Geta fratre, Papiniano juſſiſſe, ut in Senatu pro ſe, & ad Populum orationem haberet, & tantum facinus excuſaret, & ſua auctoritate dilueret, atque illum reſpondiſſe, *Non ſic facile Parricidium excuſari poſſe, quam fieri*. Alii Papinianum rogatum a Caracalla, ut orationem ſibi dictaret, qua inveheretur in fratrem, ac Papinianum reſpuiſſe, dicentem *Aliud eſt parricidam accuſare, quam innocentem occiſum*. At re vera occiſus fuit, ut Getae fautor, vel potius fratrum concordiae, ac paci conſulens. Sepultus autem fuit Romae, cujus ſepulcrum, ut tradit Bartholomaeus Soccinus in l. *cum actus ff. de condit. & demonſt.* ejus patris tempore Romae repertum eſt a ruſtico quodam in urna Argentea ejus cineribus referta, cum hac inſcriptione in argentea tabula inciſa.

AEMILII PAPINIANI JVRISC. ET PRAEFECTI PRAETORIO REQVIESCVNT OSSA. CVI INFELIX PATER, ET MATER SACRVM FECERVNT, MORTVO ANNO AETATIS SVAE XXXVIII.

At maledictum illum ruſticum tanti viri Cineres, retento argento, in Tyberim projeciſſe, dolet Soccinus. Sed exclamant omnes fere ſcriptores, hanc inſcriptionem, quae nunquam Romae, nec alibi potuit reperiri, mendoſam, falſam, & adulterinam eſſe; eamque explodunt, & deteſtantur, multis conviciis in Soccinum dictis, atque hanc apponentes, quae revera reperitur.

D. M.
AEMILIO PAVLP PAPINIANO
PRAEFECTO PRAETORIO
IVRISCONSVLTO.
QVI VIXIT ANNOS XXXVI.
DIES XI. ET MENSES III.
PAPINIANVS HOSTILIVS EVGENIA GRACILIS
TVRBATO ORDINE IN SENIO
HEV PARENTES FECERVNT FILIO OPTIMO.

Hanc autem veram & germanam inſcriptionem ad Papiniani monumentum eſſe tradunt Joannes Baptiſta Aegnatius ad Spartianum *in Severo*, Marcus Mantua in *Apophtegmatibus*, Aldus junior &c. Catellianus Cotta &c. . . . Bernardinus Rutilius &c. Hieronymus Magius *Miſcellaneorum lib.* II. *cap.* II. Joannes Coraſius in D. *l. cum virum n.* 18. Miſygerius in §. *ſed an. poſt. num.*2. *de Fideicom. hered.* Franciſcus Hotomanus in *Juriſconſultorum deſcriptione*;

Digitized by Google

Jacobus Cujacius *Obſervat. lib.* VIII. *cap.* 32.

Haec quoque inſcriptio Romae exultens recitatur ab *Epigrammatario antiquae Urbis*; item a Fulvio Urſino in *Imaginibus*, & *elogiis virorum illuſtrium*, & *eruditorum*, ex antiquis lapidibus, & numiſmatibus expreſſa. Item in *Monumentis clarorum doctrina in toto orbe terrarum virorum*, collectis per Sigefridum Rybiſch. Magius autem invehitur in Soccinum de ea Papiniani inſulſa, & falſa inſcriptione efficta, & non argenteam fuiſſe urnam, ſed e re ſatis nobiliori, ac praetioſiori, & praecellere Papiniani monumentum reliquis omnibus; in inferiori etenim parte, ſolida turris de Alabaſtrite, ſuperior de porphyretico tecto, & exornato faſtigio, peranguſto aditu, intus vero in Stylopide argento inciſum legitur.

PROH DOLOR
PRAEFECTE AEMILI INSONS FVISTI
VALE.

Et paulo inferius.

VIRTVTI HAVD VITAM POST POSVISSE PVDET.

In circuitu autem tanti monumenti, porticationes ex vario marmore concinnatae, ex more ſumptuoſae antiquitatis erant.

Aemilii Papiniani vitam plures conſcripſerunt, nempe Matthaeus Weſembecius &c. Jacobus Lectius, qui integrum librum ſcripſit *de Aemilii Papiniani vita*; ſed omnium accuratius, ac fuſius Joſeph de Ruſticis Aquilanus, qui ipſius vitam ſcripſit, quae in ejus commentariis ad l. *cum avus ff. de condit. et demonſt.* edita eſt. Papinianus quoque ſummis laudibus commendatur ab infinitis ſcriptoribus, qui de eo aperto ore loquuntur, ſunt autem hi:

Alberic. in §. *tertio autem anno. in proaemio ff.* Bal. *in l. omnes populi. col.* 2. *ff. de inſt. & cur.* Bartholomaeus Soccinus in *l. cum acutiſſimi C. de Fideicom. in princ. et in reviſ. d. l. cum avus.* Marianus Soccinus in *l. ita ſtipulatus n. p. ff de verb. oblig.* Jaſon in *l. poſt dotem. in princ. ff. ſolut. matrim.* Petrus de Ancharano in *repetit. C. Canonum ſtatuta col.* 316. *extr. de conſtitut.* Hieronymus Cagnolus in prohaemio *ff. num.* 131. Andreas Tiraquel in *l. ſi unquam C. de revocand. donationibus. in verb. donatione largitus num.* 273. Uldaricus Laſius in *l.* 2. *ff. de orig. juris.* ad finem *num.* 109. Paulus de Oriano in *l. p. in princip. ff. de Officio ejus.* Franciſcus Hottomanus in ejus libello *Deſcriptionis Juriſconſultorum.* Franciſcus Connanus in Commentariis juris civilis *lib. p. cap. ult.* Hieronymus Zanch. in *l. heredes mei §. cum ita. num.* 15. *ff. ad Senatus C. Trebell.* Catellianus Cotta in ejus *Memorabilibus. in Papiniano.* Joachymus Myſyngerius in §. *non eſſe autem. num.* 14. *Inſtit. de excus. tutor.* Antonius Contius ad *Pandectas.* Petrus Gregorius in *Syntaxi juris part.* 2. *lib.* 18. *cap.* 11. *n.* 6. Marcus Mantua in *Epitome virorum illuſtrium juriſprudentiae.* Valentinus Forſterius *lib.* 11. *hiſtor. Juris civilis Romani cap.* 76. Bernardinus Rutilius. Joannes Coraſius in d. *l. cum virum n.* 19. *C. de Fideic.* Celius Calcagninus in ejus *Oratione in laudem juriſprudentiae.* Angelus Politianus in *epiſtola ultima lib.* V. Hieronymus Magius in ſuis *Miſcellaneis lib.* 11. *cap.* 11.

Papiniani tandem imaginem, & Plautiae Secundae ejus conjugis, in gemma anulari amethyſto ſculptam, cum eorum nominibus, exſtare ait Joannes Faber Bambergenſis medicus Romanus, *Commentariis ad imagines illuſtrium virorum Fulvii* Urſini.

Quod autem Papinianus Beneventanus fuerit civis, praeter antiquiſſimam, firmiſſimamque traditionem, quae Beneventi habetur (nihil enim ea celebrius, & antiquius in Civitate illa habetur, qua Beneventani cives de ſolo fere Papiniano eorum concive gloriantur), non deſunt etiam ſcriptores

res, etſi recentiores, qui id firmant, de ea traditione potius teſtimonium perhibentes. Teſtatur autem id in primis Angelus Cato Supinas e Benevento, philoſophus, ac Medicus, in ſua docta, ac perlonga *Epiſtola* ad Ferdinandum Seniorem Siciliae Regem, quae edita eſt *Neapoli.anno*.1474. *cum operibus Matthaei Silvatici Salernitani Medici*, quae eidem Regi Angelus is dicavit; in ea epiſtola omnes fere viros litteris illuſtres, ac ſcriptores, qui e Neapolitano Regno prodierunt enumerat, Papinianum Beneventanum fuiſſe his verbis teſtatur, *ſed numquid, obſecro, defuerunt nobis praeclari Juriſconſulti; noſtri fuerunt conterranei* Papinianus *ſubtiliſſimi ingenii; Carolus doctor eximinus, Roffredus Civilis, Pontificique juris pleniſſimus, qui Beneventani fuere &c.*

In Repetitione quoque Bartholomaei Camerarii Beneventani ad §. *aeque Inſtit. de actionibus*, quae typis excuſa eſt *anno* 1521. habetur Epigramma quoddam Joannis Antonii Rutii in ejus operis laudem, in quo Papiniani patria recenſetur hunc in modum.

Saepe equidem flevit Beneventum funera magni
Roffredi: atque obitum Papiniane tuum.
Illius eloquium norunt palatia, & alter
Jura docent quantum claruit ingenio.
Succeſſit poſt has nova lux, Cameraria proles,
Nec minor eſt patriae gloria parta ſuae.
Major in hoc ſapiens fecit natura, duobus
Quae dedit, haec unus munera ſolus habet.

Marianus Frecia *lib. p. de ſubfeud. cap. de antiquo ſtatu Regni num.* 21. & in C. *de officio magni Cancellarii n.* 20 *affirmat* Papinianum fuiſſe Beneventanum.

Hieronymus Ruſcellius Beneventanus in *Epiſtola*, quam praefert Joannis Jacobi Laurentii Beneventani *Tractatus de Judice ſuſpecto*, enumerans Beneventanos cives litteris illuſtres, inter alios, ſcribit Papinianum Jureconſultum.

Joſeph de Ruſticis Aquilanus in vita Papiniani eum affirmat fuiſſe Beneventanum.

At quoque conjicitur, imo expreſſe colligi poteſt ex ipſiuſmet Papiniani dictis eum fuiſſe Beneventanum Civem; is enim in §. *heredes mei* §. *cum ita ff. adtrebell.* ſic ait. *Cum ita teſtator dixit, heredes mei quidquid ad eos ex hereditate, boniſve meis pervenerit, id omne poſt mortem ſuam reſtituant patriae meae coloniae Beneventanorum.*

Ac quamvis dubitari, ac dici poſſit, ea non eſſe Papiniani verba, ſed teſtatoris, attamen attento ſtylo, ac communi Jureconſultorum uſu, qui in Caſibus, & exemplis, ſive ſint caſus efficti, ſive veri, ſemper fere in eorum patria exempla ponunt, ut paſſim videmus; ita quoque hunc textum intelligunt atque ex his verbis expreſſe colligi Papinianum fuiſſe Beneventanum ajunt. Frecia in praecitato loco, ubi inquit gloriari Papinianum Jureconſultum patria ſua colonia Beneventanorum in *l. heredes mei* §. *cum ita ff. ad trebell.* Sic etiam eum textum intelligit Joſeph de Ruſticis in praecitata vita Papiniani n. 5.

AGATHIUS GUIDACERIUS ſacrae Theologiae, ac Hebraicae linguae publice Profeſſor Romae, & Pariſiis, edidit librum, quem *Peculium* inſcripſit, in quo *De rudimentis grammaticae Hebraicae* agitur, *Pariſiis* excuſum *anno*. 1537. *apud Wechelium*. Scripſit item *de Laudibus Pſalmorum*. Item *In primum Pſalmum*. *In orationem dominicam*, *& verba Domini in monte*, ut teſtatur *Epitome Bibliothecae Geſneri fol.* 16.

Tranſtulit ex Hebraeo in latinum *Cantica Canticorum Salamonis*, & *Commentaria* in ea edidit, quae excuſa ſunt Romae *anno* 1524. *apud Antonium Bladum in fol.* Clementi VII. Papae dicata, & *Pariſiis*. *anno* 1531. *apud Gerardum Morrium in* 4. Edidit quoque *Argumenta in omnes Pſalmos*, & commentatus eſt primum *Pſalmum cum nova translatione Romae anno*. 1525. *apud* An-

B 2

Digitized by Google

Antonium Bladum in fol. Joanni Mariae Giberto Veronenſi Epiſcopo dicata.

Gabriel Barius Franciſcanus *lib.* v. *de antiquitate, & ſitu Calabriae* aſſirmat Agathium hunc Guidacerium Calabrum *fuiſſe ex Oppido Arochae, ac presbyterum integrae vitae, linguarum* Graecae, *& Hebraicae apprime excultum, ac Romae Hebraicas litteras publice docuiſſe, ſub Leone* x. *& Clemente* VII. *Rom. Pontif. at in direptione ejus Urbis, per Carolum Borbonium facta, amiſſa ejus bibliotheca, quam multo labore, & impendio ſibi comparaverat, Luteciam Pariſiorum adiiſſe ubi per plures annos Regio Stipendio conductus eaſdem Hebraicas litteras publice eſt profeſſus. Scripſit autem rudimenta grammaticae Hebraicae linguae. Scripſit quoque ad eumdem Clementem* VII. *ſuper Cantica, & ſuper aliquot Pſalmos, & in Danielem. Obiit autem Pariſiis anno.* 1542. *annum ſuae aetatis agens* 65. haec Barius. At Sixtus Senenſis *lib.* VI. *Bibliothecae Sanctae* ait, Agathium Guidacenſem *Sacrae Theologiae in Originalibus linguis regium profeſſorem commentarios edidiſſe in quatuor, & viginti primos Daviticos Pſalmos, in quibus maxime hebraicum contextum examinat, & anno* 1540. *claruiſſe.*

ALBERICVS DIACONVS Caſſinenſis, dein S. R. E. Cardinalis in oppido Septem Fratrum in Campania ortus, vir doctus, multa conſcripſit, nempe librum contra Berengarium *de Corpore Domini*, Patrum teſtimoniis roboratum; *de Veritate Sacramenti Euchariſtiae*, in quo omnes illius aſſertiones omnino evertit, adeo, ut tanti Sacramenti defenſor dici meruerit. Diſputavit autem publice cum eo Berengario in Synodo Romana ſub Nicolao II. eumque ſolidis rationibus convinctum ad ſaniorem mentem reduxit.

Scripſit quoq. *De Virginitate S. Mariae lib.* 1.
De electione Romani Pontificis lib. 1.
Contra Henricum Imperatorem lib. 1.
De muſica Dialogum.
Diverſorum dictaminum, & ſalutationum l. 1.
De Dialectica librum.
Paſſiones Sanctorum Modeſti & Caeſarii.
De viſione ſua librum.
Vitam Sancti Dominici Sorani Abbatis.
Vitam Sanctae Scholaſticae Virginis.
Homiliam de eadem.

Hymnos de Paſchate, de Aſcenſione, de Sancta Cruce. De die Judicii. De poenis Inferni. De Aſſumptione B. Mariae. Tres ſermones de S. Paulo. de S. Apollinari. de S. Scholaſtica. in cujus etiam vitam verſus aliquot edidit.

Rithmos de gaudio Paradiſi. De die mortis. De Monacho poenitente.

De Monachis ad Petrum Hoſtienſem Epiſcopum. *Epiſtolarum ad diverſos librum.*

Floruit Albericus anno 1056. De eo Leo Oſtienſis *lib.* III. *Chron. Caſſin. cap* 35. & 31. ubi valde honorifico elogio eum celebrat, vocatque virum diſertiſſimum, ac eruditiſſimum. Petrus Diaconus *de Viris illuſtribus Caſſinenſis Caenobii cap.* 21. Arnold. Junior in ſuo lib. qui *Lignum vitae* inſcribitur. Antonius Poſſevinus primo vol. *Appar. ſacr.* Alfonſus Ciacconus in lib. *de vitis, & geſtis ſummorum Pontificum, &* S. R. E. *Cardinalium.*

ALBERICVS OLIVA NEAPOLITANVS, Clericus ſecularis, & Decretorum doctor edidit *Interpretationem, ſeu commentarios ad Ritus Archiepiſcopalis, & Metropolitanae Eccleſiae Neapolitanae*, in ſe continentem communem praxim cauſarum in utroque foro Canonico, & Civili verſantium; quae ſimul cum textu ipſorum Rituum, & conſtitutionibus Synodalibus ejuſdem Curiae Metropolitanae excuſae ſunt, & Domino Thomae Caracciolo Capuano Archiepiſcopo, & Regni majori Cappellano Regio, Regiaeque Cappellae moderatori nuncupavit; prodiit autem *Venetiis anno* 1542.

Recuſi ſunt autem hi commentarii cum *additionibus Joannis Hieronymi Campanilis* legum doctoris, Canonici Neapolitani, *De-*

Digitized by Google

Decii Epiſcopi Laquedonenſis, una cum textu Rituum, poſt Ritus Magnae Curiae, & *Commentaria Proſperi Caravitae*. *Neapoli*. 1620. *Apud Scipionem Boninum in fol.*

ALCMAEON CROTONIATA Pythagorae diſcipulus, philoſophus excellentiſſimus, in medicina etiam valde peritus, ac verſatus. Is primus ſcripſit *de Naturae ratione & ejus auctoritate*, ut tradunt Phavorinus in *omnimoda hiſtoria*, & Diogenes Laërtius. Ejus doctrinae meminerunt, ac eam referunt, Cic. *lib.* 1. *de Natura Deorum*; Plutarchus in *placitis Philoſophorum lib.* IV. *cap.* 16. & *lib.* V. *cap.* 3. 14. 16. 24. & 30. & in libro *de cauſis naturalibus cap.* 24. Cenſorinus in lib. *de die Natali*. Iſidorus etiam in lib. *Ethymologiarum* ait: *Alcmaeon hunc primum inveniſſe fabulas in perſona animalium irrationalium, et quoniam in ea arte poſtmodum floruit Aeſopus Phrygius, major pars Fabularum Alcmaei, Aeſopo fuit tributa*.

Conſtantinus Laſcaris in libello *de antiquis Philoſophis, aliiſque viris illuſtribus Calabriae, & Siciliae* ſic ait: *Alcmaeon Crotoniata Pytagoricus Philoſophus, ac medicus praeſtantiſſimus fuit, qui de Philoſophia, ac medicina complura ſcripſit, animam immortalem dixit, ac perpetuo moveri inſtar ſolis.*

In libro, qui inſcribitur *Illuſtrium Philoſophorum, & ſapientum effigies ab earum numiſmatibus extractae*, habetur hujus antiquum numiſma, cum ejus effigie; de quo ejus libri auctor ſic ait: *Alcmaeon Crotoniates philoſophus Pirithi filius. ſeptuageſima vixit Olimpiade*. De quo etiam Alcmaeo Tiraquel. *in tract. de Nobilitate cap.* 31. *num.* 264. Frater Hieronymus Maraſiotus *lib.* III. *Cronol. Calab. cap.* 9. & Joannes Georgius Schenckius in ſua *Bibliotheca medica*, qui ait, *Alcmaeon, cujus placita, ſive verba a Stobaeo, ſermone de morbo, & ſanitate allegantur*. Athenaeus *lib.* IV. *cap.* 23. citat Achaeum Crenicum *in Satyrico Alcmaeone*. Aliquot Alcmaeonis *Carmina Graeca* habentur inter *Poetas Graecos veteres* carminis heroici ſcriptores, ſive potius *Fragmenta* ab Henrico Stephano collecta, impreſſa *Coloniae Allobrogum*. *apud Petrum de la Rovere*. *in fol.*

Ariſtoteles quoque librum ſcripſit *adverſus Alcmaeonis placita*, qui deſideratur.

ALEXANDER ABBAS Caenobii Sancti Salvatoris Vallis Theleſinae, ſcripſit latine ſoluta oratione *de Rogerii Siciliae Regis rebus geſtis* libros quatuor, quibus Siciliae Regum in Campania, Calabriis, Brutiis, & Aquila, uſque ad Eccleſiaſticae ditionis fines conſtituit; quos quidem libros hortatu Comitiſſae Matildis ejuſdem Rogerii ſororis, ac Ranulphi Comitis conjugis ſcripſiſſe perhibet, atque eidem Regi Abbas ipſe nuncupavit, & obtulit. Floruit autem auctor anno 1137. editus eſt liber is primo *Caeſarauguſtae* in Hiſpania *in Officina Dominici a Parſonariis de Urſinis* Sacrae Catholicae Majeſtatis, & Regum Aragoniae thypographi *anno* 1575. *in fol.* Hieronymi Suritae Chroniſtae Regni Aragoniae opera, cum aliis libris ejuſdem argumenti, nempe *Indice rerum ab Aragoniae Regibus geſtarum* libris tribus. Ganfridi Malaterrae Monachi Benedictini libris quatuor *de rebus geſtis a Roberto Guiſcardo Calabriae Duce, & Rogerio ejus fratre*, in Campania, & Apulia, Brutiis, & Calabriis, & in Sicilia, & cum *Genealogia Roberti Guiſcardi & aliorum Siciliae Regum* ex Ptolomaei de Luca Ordinis Fratrum Praedicatorum Chronico decerpta. Dein recuſus eſt liber hic Alexandri Abbatis in tomo III. *Hiſpaniae illuſtratae, ſeu rerum in Hiſpania, & praeſertim in Aragonia geſtarum ſcriptores varii*. *Francofurti apud Claudium Marnium, & heredes Joannis Aubrii* 1606. *in fol. paginae regalis*. Idem Surita in epiſtola nuncupatoria ad Antonium Auguſtinum Tarraconenſem Epiſcopum eorum librorum incultam, & derelictam orationem & inopem ſeriem rerum eſſe ait,

Digitized by Google

ait, attamen ex quo res ipſae a nemine auctorum, quod ipſe ſciat, ad hanc uſque diem traditae ſint, viſum eſt ei, ut in publicum proferrentur.

ALEXANDER AB ALEXANDRO Neapolitanus, Abbas celebris, ac opulentae Abbatiae Sancti Eliae de Carbono in Lucania, inſignis Jureconſultus, Antonii de Alexandro (de quo inferius ſuo loco dicemus) frater, dum Romae, ubi in magno pretio habebatur, incolatum faceret *Genialium dierum* libros ſex conſcripſit, & reconditae eruditionis varietate refertos, & ſermonis candore celeberrimos; ex quibus ejus ingenii acumen, ſcribendi elegantia, ac venuſtas, & antiquitatum omnium peritia elucent: quos illuſtri Andreae Aquevivae Adriae Duci, viro eloquentiſſimo dicavit; excuſi autem ſunt *Romae. anno.* 1522. *in aedibus Jacobi Mazochii Romanae Academiae bibliopolae. in fol.* dein ſexcentis aliis in locis ac temporibus recuſi in Italia, Germania, & alibi.

Tiberius Decianus Utinenſis Jureconſultus in ſuis operibus *Criminalibus vol.* 2. *lib.* VIII. *cap.* 22. acerrime invehitur contra Alexandrum hunc de Alexandro, tamquam fide in ejus libro carentem, & ſine teſte loquentem. At vero Andreas Tiraquellus Regius in Pariſienſi Curia Senator, Jureconſultus ſuperioti aetate clariſſimus ſcripſit profuſiſſima *Commentaria* in Alexandri hujus ab Alexandro *Genialium dierum* libros, quae ſemeſtria vocavit, in quibus veterum omnium, ac recentiorum ſcriptorum loca, atque auctoritates indicat, ex quibus Alexander deſumpſit, quae ſuis in libris ſcripſit. Excuſa autem ſunt cum ipſius Alexandri libris, & ſeorſim pluribus in locis.

Paulus Aemilius Sanctorius in *Hiſtoria Carbonenſis Monaſterii* Alexandrum hunc de Alexandro celebrat, quod *genere clarus, ac clariſſimis diſciplinis excelleret, notuſque aulae Romanae Curiae, & in Romana Academia, quae doctiſſimis viris, & omni diſciplinarum gloria praecelluerat, nemini eſſet inferior, poſteritati quoque celebrandus genialibus ſuis, & placidi vir ingenii, nec fracti pectoris eſſet.*

Camillus quoque Borrellus *lib.* 1. *de Magiſtratuum edictis cap.* 9. vindicat Alexandrum ab Alexandro a calumniis Deciani, & (ut is teſtatur) *in eo ſcribendi genere forte omnes Chriſtiani orbis ſcriptores ſuperavit, ut ejus ſcripta demonſtrant, & ingenii acumen, ſcribendi elegantiam, & antiquitatum omnium ſcientiam, ac perſcrutationem praeſetulit. Obiit autem Romae Alexander die* 9. *Octob.* 1523.

ALEXANDER ANDREAS Neapolitanus civis, etſi Baroli in Apulia natus, vir Graecae, ac Latinae linguae peritus, ac rei militaris exercitatione inſignis, ſcripſit Italice *de bello in Campania geſto anno* 1556, & 1557. inter Paulum IV. Romanum Pontif. ac Philippum II. Hiſpaniarum Regem, pro Neapolitano Regno recuperando; quod Hieronymus Ruſcellus typis edi curavit *Venetiis; anno.* 1560. *apud Joannem Andream Valvaſſorem in* 4. In eo libro Alexander veritatem accuratiſſime profitetur; vidit enim omnia, atque interfuit, quamobrem liber is, ejuſdem Regis juſſu in Hiſpanam linguam translatus, & typis traditus.

Idem Alexander *Leonis Imperatoris Conſtantinopolitani* optimum, ac inſignem librum, *de ordinibus, & regimine militiae*, ſive de illuſtri militari diſciplina a Graeca in Italicam linguam tranſtulit, de ſuo Alexander eruditos diſcurſus adjiciens. Addit quoque ejuſdem *Leonis*, & *Baſilii ejus patris vitam* ex compluribus ſcriptoribus ab ipſo collectam; quae omnia a Proſpero Tramontano ejuſdem Alexandri nepote edita ſunt in lucem *Neapoli. anno.* 1612. *apud Joannem Jacobum Carlinum. in* 4. Ex eo libro facile perſpicitur Alexandrum fuiſſe virum variae, & accuratae lectio.

ctionis , nimis doctum , & eruditum , & praeſertim in militaribus rebus . Obiit autem Neapoli . anno 1593. & in templo Monialium Sanctae Crucis Lucenſis Ordinis Carmelitani ſepultus eſt, in quo haec legitur inſcriptio ·

ALEXANDRO ANDREAE EX PATRITIA PAPINIANAE VRBIS FAMILIA ORIVNDO SVB CAROLI V. CAES. AVG. AC PHILIPPI REGIS CATHOLICI INVICTISS. AVSPICIIS IN MVLTIS BELLORVM EXPEDITIONIBVS PEDESTRIVM ET EQVESTRIVM MILITVM DVCTORI STRENVO QVI DOMI FORISQVE PRAECLARAM SVAM FIDEM AMOREM OBSERVANTIAM ANIMIQVE IN ADEVNDIS PERICVLIS CONSTANTIAM ABVNDE DECLARAVIT . EXIMIVS QVOQVE MVSARVM ALVMNVS FVIT INGENIVMQVE MIRAE PERSPICACITATIS CVNCTIS IN REBVS SEMPER OSTENDIT . VIXIT ANNOS LXXIV. OBIIT MENSE NOVEMBRIS M.D.XCIII. MICHAEL ALVGIA IVRECON. AVVNCVLO MAGNO BENEM. NON SINE LACRIMIS OB TANTI VIRI MEMORIAM.

ALEXANDER ARCHIROTA Barenſis , Ordinis Sancti Benedicti congregationis Olivetanae, & Abbas, vir doctus , & in Sancti Auguſtini operibus valde verſatus ; ea enim omnia aſſiduo ſtudio , tam exacte perlegerat, ac didicerat, ut omnes ejus ſententias calleret, & (quod eſt mirandum) ejus verba fere adamuſſim , prompte , ac velociter recitaret . Scripſit latine *De origine Religionis Chriſtianae ad* Sereniſſimum Sigiſmundum Auguſtum Poloniae Regem excus. . . . Tractatum quoque *De Voto paupertatis* , ad Antonium Cardinalem Carafam , ejus religionis protectorem , qui *Florentiae* prodiit *ex Officina Bartholomaei Sermartellii. anno* . 1580. *in* 8.

Edidit etiam Italice *Diſcurſus* , *ſeu colloquia ſpiritualia* , tribus voluminibus diſtinctos : quorum primum Carolo Cardinali Borromeo nuncupavit , impreſſ. . . . Secundam vero partem , qui ſunt *Diſcurſus ſuper Evangeliis Dominicalibus*, *Adventus* , & *Quadrageſimae* , Cardinali Sanctae Severinae inſcripſit , excuſ. *Florentiae apud Sermartellium*. 1587. *in* 8. Tertiam autem partem ſuper *Evangeliis a Dominica Palmarum uſque ad diem Pentecoſtes* , ad Cardinalem Sancti Marcelli , impreſſ. *Florentiae . apud Sermatellium.* 1588. *n.* 8.

In Sacra Biblia non parum inſudavit . In ejus enim margine feliciſſime, ac magnis laboribus retulit loca omnia, in quibus Sanctus Auguſtinus in ſingulis quibuſque ejus operibus de his egit ; atque ea loca explanavit , quod opus dignum cenſuerunt eruditi viri, ut in lucem educeretur, quamvis adhuc non eſt editum .

ALEXANDER BALDUS Trojanus , Apulus legum profeſſor , edidit librum , quem *Pomilegium* inſcripſit ; in quo regulis , axiomata , & doctrinam legalis diſciplinae alphabetico ordine fuſius complectitur , textibus , ac gloſſis , ex quibus deſumuntur , ac probantur , aptatis ad Illuſtriſſimum dominum Joannem Baptiſtam de Piccolominibus Marchionem Diliceti ; excuſum eſt autem *Peruſiae. anno* . 1514. *apud Franciſcum Baldaſſaris de Cartolariis . in fol.* Addita eſt in fine ejus libri *Oratio ejuſdem Alexandri* , in qua plenius urbis Trojae ejus patriae laudes diſſerit, ac viros illuſtres armis , ac litteris recenſet .

In Epiſtola nuncupatoria ad eumdem Marchionem , ſub datum Neapoli pridie idus Decembris 1514. profitetur ſe Neapoli per annos ſex legali facultati operam dediſſe ſub celeberrimi legum Doctoris, ac fideliſſimi interpretis doctrina Domini Petrucii Minadois.

ALEXANDER PEREGRINUS Capuanus Clericus regularis Sacrae Theologiae, ac juris profeſſor , *Privilegia Clericorum Regularium* collegit , & in duos tomos diſtinxit, ac Scholiis illuſtravit ; qui prodierunt

Digitized by Google

runt *Mutinae* ; *ex typographia Juliani Caſſiani* . *in* 8. quorum alter *anno*. 1610. alter vero *anno* . 1615. excuſi ſunt . Deinde ea recognovit , & auxit , eaque in lucem protulit *Neapoli*. 1633. *apud Egidium Longum*. *in* 8. hoc titulo inſignita *Compendium privilegiorum , et facultatum Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum* : quae ab eo fuerunt collecta, digeſta, ac Scholiis illuſtrata , & Reverendis in Chriſto Patribus, ac fratribus dictae Congregationis Clericorum Regularium dicavit .

Edidit quoque *Tractatum de Duello* , in quo quidquid ab utroque jure , a Sacro Concilio Tridentino , a Summis Pontificibus de duello ſancitum eſt , praecipue vero Conſtitutio Clementis VIII. Pontif. Max. explicatur, excuſum *Venetiis*. 1614. *apud Petrum Buſinellum. in* 4. Regi pacifico Chriſto Domino dicatum.

Tractatum etiam *de Immunitate Eccleſiarum , aliorumque Sacrorum locorum* , quoad perſonas delinquentes , quae ad illa confugiunt; in quo Conſtitutio Gregorii Papae XV. *Super immunitate Eccleſiarum* praecipue commentariis explicatur : impreſſum *Cremonae*. 1621. *apud Marcum Antonium Belpierum* . in 4.Illuſtriſſimo Domino Petro Camporeo S. R. E. Cardinali , & Epiſcopo Cremonenſi dicatum .

Conſtitutiones Congregationis Clericorum Regularium Commentariis illuſtravit , quae cum iiſdem conſtitutionibus editae ſunt *Romae*. 1628. *in typographia Camerae Apoſtolicae . in* 4. Reverendiſſimis in Chriſto patribus, ac fratribus ejuſdem Congregationis dicatae.

Additiones ad commentaria Conſtitutionum Congregationis Clericorum Regularium, in quibus explicantur duo ejuſdem Congregationis decreta *de electione Vocalis* Capitulo generali interfuturi , & aliquot regulares quaeſtiones iterum ad examen adducuntur: excuſae *Romae*. 1634. *apud heredes Gulielmi Facciotti. in* 4. eiſdem Clericis Regularibus dicatae.

Obiit autem Romae die 2. Auguſti 1634. in Sancti Silveſtri aede ſui Ordinis.

ALEXANDER SALVIUS Neapolitanus legum doctor , ſcripſit Italice Tractatum *de Inventione , et liberali arte ludi Scacchorum* ad Dominum Fulvium Conſtantinum Corleti Marchionem , a ſupremis , & a Status Conſiliis in Neapolitano Regno qui excuſus eſt *Neapoli* . *apud Joannem Baptiſtam Subtilem*. *anno* . 1604. *in* 4.

Edidit quoque Italico ſermone Tragaediam, quam *La Scacchaide* inſcripſit ab inventione ludi Scacchorum depromptam,& Illuſtriſs.& Reverendiſs. Domino Joanni Beltrano de Palatio Juvarae Baſadorenſi Archiepiſcopo , & Philippi Hiſpaniarum Regis a Conſiliis, & Generali Viſitatori . in Regno Neapolitano nuncupavit : excuſa eſt autem *Neapoli* . *apud Lazarum Scorrigium*. 1610. *in* 8.

ALEXANDER TRENTACINQUIUS Aquilanus Jureconſultus illuſtris , edidit tractatum *De Subſtitutionibus* , qui in foro, & ſcholis in magna exiſtimatione habetur & Illuſtriſſimo Cardinali Stefano Benucio dicatus , excuſus eſt *Venetiis*. *apud Damianum Zenarium*. *anno*. 1588. *in fol.* Scripſit quoque *Variarum Reſolutionum* libros tres , quibus per utriuſque Juris materias diſtincta praxis , ac theorica omnibus ſuis numeris abſoluta comprehenditur ; qui poſt ejus mortem excuſi ſunt *Venetiis*. *apud Evangeliſtam Deuchinum*. *et Joannem Baptiſtam Pulcianum*. *anno*. 1609. *in fol.* ejus filiorum cura , qui Domino Odoardo Farneſio S. R. E. Cardinali , mortui patris librum dicarunt . Recuſi *Francofurti* . *typis Richterianis*. *anno*. 1610. *in fol.* hoc titulo adjecto: *Practicarum Reſolutionum libri* III.

Edidit quoque *Conſilium legale, pro civitate Aquilana in cauſa bonatenentium* , ad illuſtrem , & conſultiſſimum Aquilanum Senatum , excuſum *Aquilae*. 1595. *apud Le-*

Digitized by Google

Lepidum Facium. *in* 8. Conſcripſit quoque *Concluſiones* , & *illationes ex Conſiliis Baldi*, *et Additiones ad ea conſilia* , & primum volumen ejus Conſiliorum , ut Salvator Maſſonius *de Rebus Aquilanis* teſtatur .

Celebratur autem Alexander a Franciſco Vivio in ejus *Silva Variarum Opinionum* multis in locis, & praeſertim *in opinione* 439. *in libro primo* hunc in modum: *Mediante patrocinio ſtrenui Advocati concivis mei Domini Alexandri Trentacinque undecumque doctiſſimi*, & paulo poſt. *Unde cum acutiſſimi ingenii , et tranſcendentis intellectus idem dominus Alexander in advocando*, *et conſulendo omnia videns*, *omnia ſpeculans et ſubtiliter cuncta diſcernens*.

ALEXANDER VALIGNANUS Teramnenſis, nempe de Civitate Terami in Veſtinis, Jureconſultus prius Domini Marci Cardinalis Altemſi Auditor , dein Societatis Jeſu Religioni anno . 1566. addictus , Sacrae Theologiae ſtudiis apprime imbutus a Generali Praepoſito ejus Societatis anno 1573. in Orientalem Indiam miſſus , ut in remotiſſimis illis regionibus Viſitatoris munus impleret ; quod dein feliciſſime obivit , magno ejus Societatis decore , populorum utilitate , & admiratione , & Chriſtianae religionis , ac fidei incremento . Peragravit enim Japonenſes Inſulas , atque Chinam attigit , & longiſſimae illius navigationis tractum , qui inter Goam , ac Malacam interjacet , & Viſitator generalis ſaepius perluſtravit .

Scripſit inſignes , & praeclariſſimos *Commentarios* , *ad Japonios* , *ceteraſque Indiae nationes Chriſtianae fidei myſteriis imbuendas duobus libris* comprehenſos , quos Antonius Poſſevinus ad calcem *tomi* 1. *ſuae Bibliothecae* recolit . *Apologiam* etiam *pro Societate Jeſu* elucubravit , ut de his omnibus teſtatur Petrus Ribadineira in ſuo *Catalogo Scriptorum Societatis Jeſu* , & Philippus Alegamba in *Bibliotheca Scriptorum dictae Societatis Jeſu*.

Cumque adhuc Viſitator Generalis in his partibus eſſet , ſcripſit optimam *Relationem de quinque Martyribus* ejus Societatis , pro Chriſti fide a barbaris interemptis anno 1583. nempe Rodulphi Aquaevivae , & aliorum quatuor ad ejus Religionis Praepoſitum Generalem , quae excuſa eſt italice *Romae* , & latine *Pragae*. 1585.

Ejuſdem Alexandri Valignani vitam ſcripſit Caeſar Aluccius Theatinus ejuſdem Societatis Jeſu , quae adhuc non eſt in lucem edita , ſed manuſcripta ſervatur Theate . Obiit autem in Sinis 20. Januarii 1600. de eo multa Philippus Alegamba in ejus *Bibl. Scriptorum* Soc. Jeſu .

ALEXIUS THURIUS (Thurii Sybaris olim dicti ; erat autem priſcis temporibus *Thauria* Calabriae civitas jamdiu deſtructa , in eo loco ſita , ubi nunc eſt *Terra nova* in Citeriori Calabria) Comicus fuit , ediditque Comoedias CCXLV. Ex fabulis ejus hae ab Athenaeo citantur . *Certamen* , ſeu *Hippiſcos* . *Fratres* . *Aeſopus* . *Anteja* . *Apeglaucomenos* . *Deſultor* . *Amputatus* apocoptomenos . *Archilochus* . *Aſclepiodeides* . *Aſoto didaſcolos* , hoc eſt , Helluonum , & Luxurioſorum nepotum magiſter *Atthis* . *Brutia* . *Galatea* . *Graphe* , hoc eſt ſcriptura , aut pictura . *Gygnecoſtrateja* , mulierum exercitus . *Datilios* epulator . *Demetrius* , ſeu Philetaerus . *Gemini* . *Dorcis*, ſeu *Poppizuſa* , applaudens , adulans . *Bislugens* . *Propis*; forte mendicus. *Ciſoikizomenos*, invaſor , exactor ; forte ἐν ὀν σκιζυμένω. *Helena*. *Graeca* . *Epidauros* . *Epiderus* . *Epitropus* , tutor . *Septem apud Thebas* . *Eretricus*. *Critho*. *Ad Puteum* . *Hepacus* . *Heſione* . *Theophoretus*, hoc eſt , numine afflatus . *Theſproti* . *Thebani* . *Thraſon* . *Eques* , *Equus* . *Iſoſtaſion* . *Aequilibris* : *Deceptus* . *Cleobulina* . *Cnidia*. *Parietes calce illinens* . *Novacula* . *Cracias* , aut *pharmacopola* . *Gubernator* . *Aleator* . *Cyſnus* . *Pelvis* . *Lampas* . *Lebes* . *Leucadia* ſeu ſervi fugitivi . *Populus Alba* . *Linus* . *Locri*. *Lyciſcus* . *Sopica* . *Vates* . *Mida* . *Mileſii* .

Digitized by Google

Mileſia. *Milcon*. *Minos*. *Proci*. *Ulyſſes ſubtexens*. *Habitatus*. *Olynthius*. Homiſtia. *Opera*, ſeu autumnus. *Oreſtes Saltatrix*. *Pamphila*. *Pancratiaſtes*. *Excubiae*, ſive *Lanaria*. *Paraſytus*. *Vinolentus*. *Poetae*. *Poeta*. *Polycleja*. *Agricola*. *Pontius*. *Potochorus*. *Pythagoram imitans*. *Pylaea*. *Pyraunus*. *Rhodius*, vel *Demulcens*. *Miles*. *Commorientes*. *Concurrentes*. *Collactanei*. *Ficuum Vaſcula*. *Tarantini*. *Thetis Matertera*. *Faenerator*. *Trophonius*. *Somnus*. *Subdititius*. *Suſpicio*. *Phaedrus*. *Pholiſcus*. *Elegans*, ſive *Nymphae*. *Amans*. *Phrygius Apparatus*. *Phryx*. *Exul*. *Mentiens*. *Pſeudohypobolimaeus*, ſeu falſo ſubditus. Cori princeps περὶ αὐταρκίας. *Cyprius*.

Quaedam ex his fabulis allegantur a Suida, & aliquot ejus Carmina leguntur in *Florilegio Graeco* maximi Planudis ab Aldo Manutio, aliiſque edito. Fuit Alexis is Menandri Athenienſis comici filius; qui inter omnes novae Comoediae poëtas facile princeps, quique plures comoedias edidit, quae a Conrado Geſnero in *Bibliotheca* enumerantur. Floruitque Olympiade cxv. Filium quoque Alexis is habuit Stephanum, qui & ipſe Comicus fuit, de quo loqui credimus Athenaeum, dum Stephani cujuſdam *Opſartyticum*, citat; & alibi Stephani Comici *Philolaconem*.

ALOYSIUS ANTONIUS SOMPANUS ex Theano Sidicino, ejus tempeſtate inſignis Neapoli rei litterariae, ac grammaticae magiſter, politioribus ſtudiis apprime excultus, ſcripſit celebrem librum *De grammatica, ejusque partibus*. qui pluries editus eſt Neapoli, Venetiis, aliiſque in locis. Scripſit etiam *Elegantiarum compendium*, a Caeſare Benenato multa acceſſione auctum, quod una cum presbyteri Sergii Sarmentii Solani, ejuſdem argumenti libello, & Forenſium verborum, & loquendi generum interpretatione ab eodem Caeſare Benenato concinnata prodiit *Venetiis. anno*. 1591. *ex officina Jacobi Cornetti. in* 8. ab eodem Benenato dicatum Joanni Alphonſo, & Joanni Baptiſtae Criſpis germanis fratribus, ſub datum Neapoli anno 1566.

Scripſit quoque nonnulla alia Opera, quae etſi ad noſtras manus minime pervenerint; Benenatus tamen ejus nepos, ac diſcipulus in ipſius Sompani *Vita*, quam conſcripſit, ac *Grammaticae* liber praefert, ea recenſet; nempe, *Commentarios* in Virgilium, *Vocabularium* utile, *Obſervationes* in Horatium: in Sannazarium de partu Virginis *Scholia*: *Linguae Latinae formulas*; *Dialecticam*, *et Rethoricam*.

Collegit epigrammata ex poetis, tum priſcis, tum recentioribus, optima quaeque; quae omnia cum ipſo interiiſſe creduntur, ut Benenatus is arbitratur. Obiit autem Aloyſius Antonius Neapoli anno 1557. & in Divi Chriſtophori Aede, in Sepulcro quod ſibi vivens paraverat, ſepultus eſt, hac dein marmorea apposita inſcriptione.

HIC IACET ALOYSIUS ANTONIUS SIDICINUS GRAMMATICUS, ET ORATOR QUI VI. ET L. ANNOS MORTEM OBIIT PRIDIE CAL. MARTII M. D. LVII.

ALOYSIUS DENTICE Neapolitanus ſcripſit Italice *De Muſica dialogos duos*; alterum nempe *de Theorica*, alterum vero *de Praxi*, ex variis Scriptoribus tum Graecis, tum Latinis excerptos, in quibus interlocutores inducit Dominos Paulum Suardum, & Joannem Antonium Seronem excuſos *Romae*. *anno*. 1553. apud *Vincentium Lucrinum*. *in* 4.

ALOYSIUS DE LEO ex Oppido Montiſauri in Comitatu Moliſii, ſed origine Beneventanus, Jureconſultus, in Supremis Regni Tribunalibus cauſarum patronus, ſcripſit luculentiſſima, ac eruditiſſima *Commentaria ſuper novem libros Co-*

di-

Digitized by Google

dicis, quae excuſa ſunt *Venetiis apud Juntas. anno*. 1610. *in fol.* & Philippo III. Hiſpaniarum, & Siciliae Regi dicavit.

ALOYSIVS LILIVS Ypſicronenſis Calaber (eſt autem *Ypſicro*, ſeu *Hypſiero* Oppidum in Citeriori Calabria, ac Umbriaticenſi Diocoeſi poſitum, quod *Ziro* vulgo appellatur), mathematicis diſciplinis eruditiſſimus, ſcripſit libellum *De correctione Kalendarii*. atque ſuo excogitatu adinvenit Cyclum ad optimam Kalendarii emendationem: rem quippe multis ante ſaeculis fruſtra tentatam. Quem quidem librum, atque adinventum Gregorius XIII. Rom. Pontifex, adhibito conſilio Virorum in ea facultate illuſtrium ſecutus eſt in Romani Kalendarii correctione, ut idem Gregorius teſtatur in ejus diplomate indictionis ipſius Kalendarii a ſe correcti, ſub datum die 24. Feb. 1581. quod incipit: *Inter graviſſimas paſtoralis Officii noſtri curas etc.* in quo haec, inter alia, de Aloyſio hoc Lilio habentur.

,, Hoc vero, quod nimirum exigit le-
,, gitimam Kalendarii reſtitutionem jam-
,, diu a Romanis Pontificibus praedeceſſo-
,, ribus noſtris, & ſaepius tentatum eſt,
,, verum abſolvi, & ad exitum perduci
,, ad hoc uſque tempus non potuit; quod
,, rationes emendandi Kalendarii, quae a
,, Caeleſtium motuum peritis proponeban-
,, tur, propter magnas, & fere inextrica-
,, biles difficultates, quas hujuſmodi emen-
,, datio ſemper habuit, neque perennes
,, erant, neque antiquos eccleſiaſticos ri-
,, tus incolumes, (quod in primis hac in
,, re curandum erat) ſervabant. Dum
,, itaque nos quoque credita nobis, licet
,, indignis, a Deo diſpenſatione freti, in
,, hac cogitatione, curaque verſaremur,
,, allatus eſt nobis liber a dilecto ſilio An-
,, tonio Lilio artium, & Medicinae do-
,, ctore, quem quondam Aloyſius ejus
,, germanus frater conſcripſerat, in quo
,, per novum quemdam Epactarum Cy-
,, clum ab eo excogitatum, & ad certam
,, ipſius Aurei numeri normam directum,
,, atque ad quamcumque anni Solaris
,, magnitudinem accommodatum, omnia
,, quae in Kalendario collapſa ſunt, con-
,, ſtanti ratione, & ſaeculis omnibus du-
,, ratura ſic reſtitui poſſe oſtendit; ut Ka-
,, lendarium ipſum nulli unquam mutatio-
,, ni in poſterum expoſitum eſſe videatur.
,, Novam hanc reſtituendi Kalendarii ra-
,, tionem exiguo volumine comprehenſam
,, ad Chriſtianos Principes, celebrioreſque
,, Univerſitates paucos ante annos nos mi-
,, ſimus, ut res, quae omnium commu-
,, nis eſt, communi etiam omnium conſi-
,, lio perficeretur. Illi cum, quae maxi-
,, me optabamus, concordes reſpondiſſent
,, eorum nos omnium conſentione adducti
,, viros ad Kalendarii emendationem ad-
,, hibuimus in aliena urbe harum rerum
,, peritiſſimos, quos longe ante ex prima-
,, riis Chriſtiani Orbis nationibus delige-
,, ramus; ii cum multum temporis, &
,, diligentiae ad eam lugubrationem adhi-
,, buiſſent, & Cyclos tam veterum quam
,, recentiorum undique conquiſitos, ac di-
,, ligentiſſime perpenſos inter ſe contuliſ-
,, ſent, ſuo, & doctorum hominum, qui
,, de ea re ſcripſerunt judicio hunc prae
,, ceteris elegerunt Epactarum Cyclum.

Idem Gregorius in Apoſtolicis ejus litteris ſub datum die 3. Aprilis 1583. quae incipiunt *Cum nos nuper Kalendarium Romanum ect.*, quibus privilegium impartitur Antonio Lilio, ne Kalendarium illud a ſe indictum, eo Antonio invito, ad decennium imprimi, vel vendi a quoquam poſſit, haec, inter alia, ait: ,, Cum nos nu-
,, per Kalendarium Romanum ſumma di-
,, ligentia, & induſtria de mandato noſtro
,, correctum, & abſolutum approbantes,
,, illud una cum opere novae rationis cor-
,, rigendi ejuſdem Kalendarii, ac marty-
,, rologii juxta ipſius operis calculum a
,, quondam Aloyſio Lilio accurate confe-
,, cto, & compilato imprimi, impreſ-
,, ſumque divulgari juſſerimus, prout in

,, noſtris litteris deſuper confectis plenius
,, continetur . Nos ad laborioſam , & in-
,, defeſſam operam in hujus Kalendarii
,, reſtitutione a dilecto filio Antonio , etiam
,, Lilio Umbraticenſi , in artibus , & Me-
,, dicina Magiſtro , & dicti Aloyſii fratre
,, germano , urbis incola , egregie nava-
,, tam , debitum reſpectum habentes , ac
,, opere pretium fore cenſentes , ut cu-
,, jus diuturnis vigiliis & laboribus opus
,, reſtitutionis Kalendarii hujuſmodi magna
,, ex parte ad perfectionem deductum eſt,
,, ita quoque ejus cura , & ſollicitudine in
,, lucem prodeat , ac a mendis , & erro-
,, ribus conſervet , & propterea volentes
,, eumdem Antonium , ut etiam induſtriae
,, & vigiliarum ſuarum effectu laetari va-
,, leat , favore proſequi gratiae ſpecialis .
,, Motu proprio , non a dicti Antonii ,
,, aut alterius pro eo nobis ſemper obla-
,, tae petitionis inſtantia , ſed ex certa
,, noſtra ſcientia , ac de Apoſtolicae pote-
,, ſtatis plenitudine ; eidem Antonio , quod
,, ad decennium proximum nullus per
,, univerſum Orbem Chriſtianum conſtitu-
,, tus &c. imprimere, vel imprimi faciat,
,, ſine ipſius Antonii Lilii , vel heredum
,, licentia .

Dein imponit poenam excommunicationis latae ſententiae, cujus abſolutionem Romano Pontifici reſervavit, praeterquam in mortis articulo ac ſubdit : *Stante quod canones ipſi ſunt novi , ac novus etiam Cyclus Epactae* & deſcriptio litterarum dominicalium ideo praecipit ut nemo , praeter ipſum Antonium Lilium illud imprimere poſſit , aitque : *Fieri vix poterit , quin in impreſſione error committatur , niſi illi , qui rem plane perceperint , rationemque hujus Kalendarii penitus ignoraverint , aſſidue aſſiſtant .*

De Aloyſio quoque hoc noſtro non obſcurum teſtimonium perhibet Chriſtophorus Clavius Bambergenſis vir clariſſimus, qui unus fuit ex doctiſſimis viris ex univerſo Chriſtiano Orbe ab eo Pontifice Romam accitis ad Kalendarii ipſius correctionem peragendam , atque ejuſdem Lilii Librum , & adinventum examinandum . Dum in explicatione Romani Kalendarii ab eodem Gregorio XIII. reſtituti , quem Clementis VIII. Pontificis juſſu edidit , quae in *V. Tomo ejus Operum mathematicorum* habetur, in epiſtola ad Lectorem loquens , eam Kalendarii reformationem a multis , & praecipue haereticis , & ſchiſmaticis odio Romanae Eccleſiae fuiſſe impugnatam , quamplurimis libris editis , is eam correctionem tuetur adverſus illos , & praeſertim adverſus Michaelem Maeſtlinum Gappingenſem in Tubingenſi Accademia Mathematicum . Sic ait Clavius : *Utinam aut Aloyſius Lilius* Hyp*ſicroneus vir immortalitate digniſſimus , qui tam egregiae correctionis primus Auctor fuit , rebuſque a ſe praeclare inventis aliis praeluxit , adhuc viveret , aut certe ex rerum Mathematicarum peritis , qui Summi Pontificis auctoritate ſaepius in Urbe convenimus , ut inſtitutam Kalendarii emendationem communicatis viribus , & conſiliis perduceremus ad exitum , quivis alius hoc tempore ſupereſſet ; ſperare profecto liceret emendati Kalendarii rationem ita explicari poſſe , ut aequis pariter , & iniquis ea in re mirifice ſatisfieret .* Idem Clavius , in ejus Operis prohaemio , de eodem ſic ait . *Solus Aloyſius Lilius Hypſicroneus rem feliciter , & non ſine Dei optimi maximi benignitate aſſequutus eſt , cum talem Cyclum excogitaverit qui Calendario ſemel inſcriptus ; in perpetuum novilunia monſtret , etiamſi ad retinendum in ſua ſede Aequinoctium , nonnunquam dies ex anno ſit eximendus .* Idem quoque Clavius in eodem opere *lib.* II. *Cap.* 4. prope finem , ſic de Lilio . *Maxima ergo gratia , & laus Aloyſio Lilio tribuenda eſt , qui tam artificioſum Epactarum Cyclum excogitaverit , qui Calendario inſcriptus perpetuo novilunia commoſtret , & ad quamcumque anni magnitudinem tam facile poſſit accommodari .*

Julius Caeſar Scaliger Librum ſcripſit *de Correctione Calendarii* , in quo Liliani Calendarii ſaepius meminit , atque illud acriter impugnat ; at idem Chriſtophorus Clavius validiſſime tuetur Kalendarium Gre-

go-

gorianum, & Lilii adinventum, atque tum contra Scaligerum, tum vero contra alios *Apologiam conſcripſit*. Meminit quoque ipſius Aloyſii Lilii Medici, atque Aſtrologi, & Antonii Lilii ejus fratris, medici pariter, & Aſtrologi, ex Oppido Ypſicro, qui Kalendarium illud ordinarunt, frater Hieronymus Maraſiotus *lib.* III. *Chron. & antiquitatum Calabriae Cap.* 18.

ALOYSIVS RICCIVS, vide *Joannem Aloyſium* Riccium.

ALOYSIVS DE SANCTO SEVERINO patritius Neapolitanus, Princeps Biſiniani, & Comes Saponariae, legum doctor in ſacra pagina, Theologia, doctrinis politicis, & moralibus valde verſatus, edidit librum, quem inſcripſit, *Conſiderationes ſpirituales*, qui *Neapoli. ex Officina Lazari Scorigii* prodiit *anno*. 1629. *in* 8. admodum Reverendo D. Thomae Pelliciono Clerico Regulari, ejus a ſacris confeſſionibus patri, ab eo dicatus. *Conſiderationes devotiſſimas reſpicientes myſteria Incarnationis Dominicae, & variis Sanctorum Patrum doctrinis collectas, & ad uſum pſallentium Sacratiſſimae Deiparae Virginis Roſarium magno labore diſpoſitas*, impreſſas *Neapoli*. *anno*. 1640. *apud Franciſcum* Hieronymum Collignium. *in* 4.

Collectaneum, ſeu Catenam Sanctorum Patrum, & aliorum veterum auctorum in pſalmos Regis David, tribus voluminibus contextum; quorum primum eſt in primos quinquaginta pſalmos, excuſum *Neapoli.* 1635. *apud Dominicum Montanarium. in fol.* ſecundum vero in ſequentes quinquaginta pſalmos, a quinquageſimo primo uſque ad centeſimum incluſive, quod prodiit *Neapoli*. 1637. apud *Robertum Mollum. in fol.* Tertium autem in ultimos quinquaginta pſalmos a centeſimo primo uſque ad centeſimum quinquageſimum incluſive; impreſſum *Neapoli.* 1638. *apud Jacobum Gaffarum.* in *fol.*

ALOYSIVS TANSILLVS Nolanus, poëta Italicus, dulcis, atque elegans, ſuaque aetate celeber, edidit italico carmine nonnulla; quibus nomen ſuum ad nos tranſmiſit. Scripſit enim adhuc adoleſcens carmine etruſco librum, cui titulus eſt: *Stanze di coltura ſopra li Horti delle donne*, & in lucem emiſit. Dein eum auctor recognovit, & totum fere de novo reformavit, ac dimidio auxit, & *Vindemiatorem* nuncupavit, impreſſum *Venetiis. apud Baldaxarem Coſtantinum. anno* 1549. in 4. At quoniam obſcoena verba inſeruit, quae bonis moribus adverſantur, & eos corrumpunt, ac licentia, & loquendi libertate (vindemiatorum more) vindemiatorem loquentem inducit, Tridentinus Index merito eum legi prohibuit. Eos libros Franciſcus Antonius Donus in ejus *Bibliotheca* magni facit, *et pulcherrima eſſe*, ait, *carmina, arguta, & dulcia*.

Conſcripſit italice heroico carmine. *Lacrimas Sancti Petri*, quae poſt ejus mortem prodierunt in lucem Joannis Baptiſtae Attendoli Capuani Opera, ab eodem Attendolo recognitas, & correctas, excuſas *in Vico Aequenſi. anno*. 1586. *apud Joſephum Cacchium, & Joannem Baptiſtam Cappellum. in* 4. quas Urbis Nolae Electis, ac Magdalenae de Roſeis Carafae Marchioni Lainae dicavit Attendolus, quorum hortatu eas correxit, ac evulgavit. Dein recuſa ſimul cum *Lacrymis Magdalenae* conſcriptis ab Eraſmo Valvaſſore, & aliis quibuſdam *Rithmis ſpiritualibus* D. Angeli Grilli, nunquam antea excuſis *Januae*. 1587. *apud Hieronymum Bartolinum*. in 8. Dein excuſſis *Carmagnolae. apud Marcum Antonium Belonem* 1588. *in* 8. Demum idem liber prodiit *Venetiis. anno*. 1606. *apud Baretium Baretium*. in 4. a Thoma Coſto emiſſus; qui illum manu ſcriptum penes heredes Joannis Baptiſtae Cappelli impreſſoris Neapolitani repertum, ſincere excudi curavit; additis argumentis a Lucretia Marinelli poëtiſſa, noſtra aetate celeberrima, editas; & quatuor centum fere *Stanſiis* ejuſdem Tan-

ſilli additis. Annexus eſt autem diſcurſus ejuſdem Coſti, in quo oſtendit, ac probat poëma illud germanum, ac ſincerum eſſe, & perfectius, idemque ab auctore compoſitum; e contra vero illud prius ab aliis impreſſum, fuiſſe corruptum potius, ac depravatum. Ceterum Bernardinus Rota in ſuo Epigrammatum libro ad Tanſillum, de eo libro loquens, ſic ait:

Dum Senis cantas Lacrymas beati,
O pium Cantum! o Lacrymas beatas!
Undique, & ſacris numeris reſultat
Collis, & aequor.

Tres quoque Tanſilli *Comoediae* Italicis Rithmis conſcriptae facete quidem ac ſale reſperſae *anno*. 1610. prodierunt ſeorſim e *Civitate Vicentiae*, ex *Officina Petri Joannini*. *in* 16. a Jacobo quodam Doroneto emiſſae. Sunt autem, *Il Sofiſta*. Il *Cavallarizzo*. *Il Finto*. Contra ſunt, qui putant Comoedias has, quae ſub Tanſilli nomine evulgatae ſunt, Petri Aretini opera fuiſſe; quae enim ſub Tanſilli nuncupatione exiit, & *il Cavallarizzo* dicitur, eſt Aretini Comoedia, quae *Maniſcalco* vocatur. *il Finto*, eſt *Hipocrita*. il *Sofiſta*, eſt *Philoſophus* Aretini.

Rithmorum quoque Tanſilli *liber* editus eſt. Scripſit etiam Italice *Madrigalium librum*, quem vocavit *la Farfalla*, in ejus amaſiae laudem *ad Farfallam* . . . . . notiſſimum animal alludens, qui excuſus eſt.

Scimus quoque Tanſillum complura Italicorum Carminum Volumina conſcripſiſſe, quae adhuc in manuſcriptis latitant. E quibus vidimus duo praegrandia volumina penes Aſcanium Pignatellum Biſacionum Ducem; & eorum conſimile exemplar apud Cyrium Maſtrillum: quorum alterum continebat *capitula*, jocoſo, jucundo, & ingenioſo carmine; alterum vero, *Sonetti*, *Canzoni* & *Madrigali* elegantia, ac concinna. Vidimus quoque non parvum aliud Volumen apud Matthaeum de Roſa *Rithmorum Tanſilli*. Aliud quoque poëma tertio rithmo, quod inſcripſit, *Il Podere*, *o la Villa*, in tria longa capita diviſum; quibus deſcribuntur qualitates, quae habere debet Villa, ut laudari poſſit, & Joanni Baptiſtae Veneri dicavit. Cumque autem morte praeventus extremam ei manum minime impoſuiſſet, pervenit ad manus Laelii Brancatii Archiepiſcopi Tarentini, ad cujus requiſitionem Marcus Antonius Petilius Jureconſultus in meliorem formam redegit: apud quem etiam ſervatur.

ALOYSIUS VULCANUS, ex Oppido Padulae in citeriori Principatu, Civis Neapolitanus, Ord. min. Obſervantium, theologus, ac concionator. edidit Italice librum, cui titulus eſt: *Vera*, *& nova*, *deſcriptio totius Terraeſanctae*, *& peregrinationis ſacri montis Synai*, excuſa *Neapoli*. *anno*. 1563. *apud Joannem Mariam Scottum*. *in* 8. & Fratri Angelo de Averſa ejus ordinis Theologo dicavit. Auctor eſt probatae fidei, & oculati teſtimonii; vidit enim omnia, & in ea regione peregrinatus eſt anno 1557 & per aliquot annos ibi commoratus. Edidit quoque Italice librum, quem inſcripſit *Gemmam Caeleſtem*, *& pretioſum Theſaurum Sanctarum indulgentiarum* impreſſum *Neap. apud Joannem Jacobum Carlinum. anno*. 16.. *in* 4. Enrici Bacchi ſumptibus, qui illum v. I. D. Horatio Venetiae Canonico Neapolitano, & Curiae Archiepiſcopalis Judici dicavit. Conſcripſit etiam librum, quem praetitulavit: *Il Santiſſimo Viaggio della Celeſte Geruſalem*, *neceſſario a ciaſcun Criſtiano*, *che felice*, *e beato eſſer deſidera*. qui editus eſt *Neapoli*. *anno*. 1590. *apud Horatium Salvianum in* 12.

ALPHANUS, ſive ALFANUS, nobilis Salernitanus civis, ac primo Clericus, dein Caſſinenſis Caenobii Monachus, & Abbas Sancti Benedicti de Salerno, demum Archiepiſcopus Salernitanus creatus an-

annum circiter 1058. philoſophus ac Medicus, & Theologus inſignis fuit, ac poëta, ſcripſitque

De unione Verbi Dei , & hominis lib. I. De unione Corporis , & animae lib. I. De quatuor humoribus Corporis lib. I. Ex Geneſi fol. 31. De paſſione Sanctae Chriſtinae Virginis , & Mart. lib. I. Paſſionem Sanctorum duodecim fratrum Martyrum Beneventanorum.

Carmine: *Epitaphiorum, Hymnorum, & Carminum lib.* I. nempe *Epitaphia* VII. & *de Sancta Sabina* Cantus , ſeu verſus, & *hymnos* III. *de S. Chriſtina* II. *de S. Benedicto* II. ad Pandulphum Marſorum Epiſcopum; *de S. Petro Apoſtolo* I. de *Sancto Mauro* II. de *Sancto Matthaeo Apoſt.* , & *Evang.* III. de *S. Fortunato* , & *ſociis* II. *de S. Nicolao* I.

Verſus vero , & alia Carmina ſunt. *Ad Attonem Epiſcopum Teteñſem verſus* . *Ad Giſulfum Salernitanum Principem verſus*. *Ad Sigiſmundum Monacum Caſſinenſem verſus*. *Epiſtolas ſeptem ad diverſos* carmine *Oratio* ejuſdem metrica *in laudem Monachorum Caſſinenſium* . *De ſitu* , *conſtructione*, & *renovatione ejuſdem Caenobii* . Metrum ſapphicum endecaſyllabum *de Sancto Mauro*.

Haec autem Alphani Opera ſingillatim recenſentur a Petro Diacono Caſſinenſi in lib. de *Viris illuſtribus Caſſinenſis Caenobii cap.* 19. & pleraque eorum habentur manuſcripta in Bibliotheca Caſſinenſis Caenobii , ex quibus edita eſt, dumtaxat *Paſſio SS. duodecim fratrum Beneventanorum apud Aloyſium Lipomanum* , *tom.* IV. & *Moſandrum in tomo* VII. Surii die primo Septembris . Aliqui vero *Hymni* excuſi ſunt in III. *vol. poëmatum Proſperi Martinengii* . *Romae* . 1589. *in* 4.

Homiliam quoque Alphanus eleganter conſcripſit *in Evangelium* : *quod legitur in feſto Sancti Matthaei Apoſtoli*, & *Evangeliſtae* ; ut teſtatur Gaſpar Muſca , *in Catalogo Epiſcoporum* , & *Archiepiſcoporum Salerni* . De Alphano hoc Salernitano Archiepiſcopo multa Leo Oſtienſis in ſuo *Chronico Caſſinenſi* . In prologo enim ejus Chronici ad Oderiſium Abbatem, appellat Alphanum hunc Archiepiſcopum Salernitanum , *virum ejus temporis ſapientiſſimum* , *qui & ſcientia*, & *eloquentia incomparabiliter tunc pollebat*.

Idemque Leo *lib.* II. *cap.* 9. ipſius meminit & *lib.* III. *cap.* ubi eum vocat *prudentiſſimum* , *ac nobiliſſimum Clericum* , & *maxima familiaritate fuiſſe conjunctum*, ait, *cum Deſiderio Caſſinenſis Caenobii Abbate*, & *Cardinali* , *qui dein fuit Pontifex Max.* & *Victor* III. *appellatus*, *eumdemque Alphanum mira Canendi peritia* , & *Medicae artis ſcientia non parva pollere*. Et *lib.* III. *Cap.* 8. ait , a *Giſulpho Salerni Principe expetitum* , *Alphanum hunc primo apud Salernum in Monaſterio Sancti Benedicti de Salerno Abbatem creatum* ; *dein Salernitatum Archiepiſcopatum fuiſſe adeptum*. Et in *lib.* III. *cap.* 35. *virum fuiſſe* dicit *in ſcripturis ſanctis eruditiſſimum* , & *notitia Eccleſiaſticorum dogmatum ad plenum inſtructum*. Ex ejus Operibus, ac libris ab eo conſcriptis *nitido* , *ac lucidiſſimo Sermone* recenſet, *nempe Paſſionem S. Chriſtinae*, & *librum Hymnorum*, & *verſuum*. Sanctus Petrus Damianus in ejus epiſtolis meminit Alphani hujus Salernitani Archiepiſcopi , nempe *lib.* I. *in epiſtola* 17. & *lib.* VIII. *epiſtola* 5. in qua vocat eum *virum veracem* , *ac prudentem*.

De eo etiam Joannes Trithemius *in lib. de Scriptor. Eccleſiaſt.* Corradus Geſnerus in ejus *Bibliotheca* , & D. Arnordus Uvion in ſuo *Lignovitae lib.* II. *cap.* 31. qui inter Sanctos ejus ordinis eum recenſet.

ALPHONSUS AVENDANUS Beneventanus ſcripſit *Commentarium in Pſalmum* CVIII. quod prodiit *Venetiis.apud heredes Melchioris Seſſae*. *anno*. 1587.

ALPHONSUS JANUARIUS patritius Neapolitanus, poëta edidit latino metro librum, quem inſcripſit , *Carmen ſacrum ad*

Digitized by Google

ad Clementem VII. Pontificem max. impreſſ. *Neap.* 1533. *in typographia Joannis Sulsbacchii Hagenovenſis Germani. in fol.*

ALPHONSVS FERRVS Neapolitanus philoſophus, & Medicus Pauli III.Rom. Pontif. chirurgus primarius, Romae, & Neapoli chirurgiam per multos annos privatim, ac publice legendo profeſſus eſt ac longo medendi uſu exercitatus. Vt in praefatione ejus libelli *De caruncula* teſtatur. Multa ſcripſit, nempe *De Sclopetorum, ſive Archibuſorum vulneribus, libros* III. ad excellentiſſimum heroëm Don Garziam de Toleto in Regno Neapolitano Hiſpanorum Ducem. Item *Corollarium de Sclopeti, ac ſimilium tormentorum pulvere*: excuſ. *Lugduni.* 1557. *apud Matthiam Bonhemme.*

De Caruncula, ſive Callo, quae cervici veſicae innaſcitur, ad Philippum Archintum. Qui quidem libri habentur in opere magno *de Chirurgia Tiguri. apud Geſneros fratres. anno.* 1555. *in fol.*

De morbo gallico, et ligni ſancti natura, uſuque multiplici, libros IV., nempe de ligno ſancto I. de morbis a capite ad pedes curandis per lignum ſanctum II. de morbo gallico III. de exhibendo vino ex ligno ſancto librum IV. Qui quidem libri habentur in opere magno *De morbo gallico*, quod *Venetiis* excuſum eſt *anno.* 1566. *apud Jordanum Zilottum. in fol.* & in primo tomo *de morbo gallico* editionis Venetae *anni.* 1599. *apud Baretium Baretium in fol.*

Prodierunt inſuper *Francofurti*. 1575. ex *typographia Concii. in* 8. de *Tormentariorum, ſive Archibuſorum natura, & curatione* libelli duo; alter Alphonſi Ferri Neapolitani, cui adjunctus eſt tractatus *de Carnucula, ſive Callo*, alter vero Joannis Franciſci Rotae Bononienſis.

ALPHONSVS DE LEONE Neapolitanus. Ordinis Clericorum regularium legum doctor edidit *Recollectionem communium Concluſionum de Officii, & poteſtate Confeſſarii, tempore jubilaei*, in tres partes diviſam. In prima agitur de Jubileo anni ſancti 1625. in ſecunda de Jubilaeo extraordinario, per duas hebdomadas concedi ſolito; in tertia de indulgentia, quae acquiritur ex Sacrificio Miſſae, ad Illuſtriſſimum Dominum Cyprianum Pavonium Epiſcopum Ariminenſem: impreſs. *Venetiis.* 1265. *apud Joannem Guerilium. in* 4.

Communium, & practicabilium Concluſionum conſcientiae Caſuum Recollectiones ſub tractatu de Officio, & poteſtate Confeſſarii. Opus quippe utile, praeſertim iis qui ab onere tot libros, qui in hac materia quotidie prodeunt, revolvendi cupiunt ſe eximere: ad Eminentiſſimum Dnum Martinum. S. R. C. Cardinalem Ginettum impreſſ. *Arimini. apud Joannem Tymberium* 1630. *in* 4.

Edidit libellum *De poteſtate Confeſſarii*, ſeu ſecundam partem ſui tractatus *communium ac magis practicabilium concluſionum caſuum conſcientiae* excuſſ. *Neap.* 1630. apud *Octavium Beltramum. in fol.* Beato Cajetano Thieneo Clericorum regularium Fundatori, ac patrono praecipuo dicatum.

Scripſit quoque tractatum *De officio Cappellani*, ſive qualiter Sacerdos ratione beneficii ſeu cappellaniae, legati, aut ſalarii obbligari poſſit ad miſſas pro alio celebrandas. Ubi clara, ac facili methodo ex variis deciſionibus Rotae Romanae, aliorumque Tribunalium deciduntur fere innumeri caſus circa materiam jurium patronatus, ac legatorum; qui paſſim fieri ſolent pro miſſis celebrandis: impreſ. *Neap.* 1635. apud *Franciſcum Savinum. in* 4. Eminentiſſimo Domino Martio Cardinali Ginetto dicatum.

De cenſuris excommunicationis, & ſuſpenſionis, ſeu recollect. ſeptem communium ac practicabilium opinionum, de officio, & poteſtate Confeſſarii circa poenitentes, cenſuris

I. A

I. *A jure communi*. II. *Ab homine etiam in communi*. III. *Excommunicationis in genere*. IV. *Excomunicationum in particulari*: ordine alphabetico explicatarum. V. *Excommunicationis Canonis*: *Si quis ſuadente &c.* 17. 9. 4. VI. *Suſpenſionum in Communi, & in particulari*: alphabetico quoque ordine dilucidatarum. VII. *Abortus procurationis*. *Tireticos, ligatos, atque adſtrictos*. Opus non ſolum Confeſſariis, ſed etiam Praelatis, & Judicibus Eccleſiaſticis, & Saeculatibus perneceſſarium; tum ob varietatem, & multiplicitatem rerum, quae in eo pertractantur, tum etiam quia in ipſo ſolo faciliter, & breviter, ipſi invenire poſſunt quidquid circa hanc materiam auctores hucuſque in lucem editi ſcripſerunt. Accedunt quoque Additiones earum doctrinarum, & auctorum, qui poſt interpolatam operis impreſſionem ad auctoris manus in dies devenire, ac colligi potuerunt. Impreſſ. *Neapoli. apud Camillum Cavallum*. 1644. *in fol.* Eminentiſſimo ac Reverendiſſ. Aſcanio Card. Philomarino Archiep. Neap. dedic.

ALPHONSVS VILLAVT Neapolitanus Cl. Doctor, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Caſſinenſis, ſive Sanctae Juſtinae de Padua, dein Abbas. Edidit *Practicam Canonicam criminalem ſecundum juris communis, ac Doctorum antiquorum, & recentiorum decreta, nec non & ſecundum praxim laudabiliter noſtra tempeſtate fere in omnibus eccleſiaſticis Curiis obſervatam*, cum is eſſet Prior Monaſterii Sancti Severini Neapoli, quae excuſa eſt *Bergami. anno.* 1585. *in* 4. 1586. & 1589. *in* 4. & *Francofurti.* 1538. Tractatum *de Uſuris*, qui excuſus eſt *Venetiis*. 1589. *in* 4.

Dein cum Monaſterii Sancti Benigni de Janua ejus ordinis Abbas eſſet, edidit *Conſultationes deciſivas, quae ad varios caſus, tam in Pontificio, quam in Caeſareo jure in praxi ſunt tractatae*. *Venetiis*. 1601. *apud Damianum Zenarium*. quas Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Dominico Pinello S. R. C. Cardinali dicavit. Cumque Abbas eſſet ejuſdem Caenobii Sancti Benigni conſcripſit *Speculum Viſitatorum, ac Commiſſariorum, ſive Methodum, ac rationem procedendi, proceſſuſque abſolute formandi in Cauſis criminalibus criminaliter contra Clericos, atque ſaeculares motis, quae eo judicio, ac rerum uſu explicatur*, ut praxis abſolutiſſima, tum eccleſiaſticis, tum ſaecularibus magiſtratibus in hujuſmodi Cauſis adminiſtrandis habeatur: impreſſ. *Venetiis. anno.* 1601. *apud Baretium Baretium*. *in* 4. & D. Hieronymo de Roſellis de Peruſio Praeſidi, & Patribus Diffinitoribus Capituli Generalis Congregationis Caſſinenſis dicavit. *De extenſione legum tam in genere, quam in ſpecie* magnum volumen, perutile theoricis, & practicis in utroque Foro: impreſſ. *Venetiis. anno.* 1602. *Apud Damianum Zenarium*.

Cumque Abbas eſſet Monaſterii Sancti Severini Neap. edidit *Tractatum de rebus Eccleſiae, non rite alienatis recuperandis, atque in integrum reſtituendis, una cum fructibus inde perceptis, nec non de bonis immobilibus cujuſque univerſitatis, ac Collegii ſaecularis male alienatis, & denique de poenis infligendis ipſis injuſtis alienatoribus*: impreſſ. *Bononiae apud Joannem Baptiſtam Bellagambam*. 1606. *in* 4. quem idem auctor dicavit Illuſtriſſimo D. Alexandro Pareto S. R. E. Cardinali Montiſalti Vicecancellario.

Item Italica lingua ſcripſit librum, quem vocavit *Guida, e teſoro de' tribolati*. qui *Venetiis* editus eſt *anno*. 1587.

AMALTHEA SYBILLA *Cumana*, e celebri Cumarum civitate in Campania, prope Puteolos, Glauci filia fuit Phaebi, & Dianae Sacerdotis, ut Virgilius in VI. *Aeneid.*, & Ovidius XIV. *Methamor.* teſtantur, qui quidem Glaucus Antedonis cujuſdam Cumani civis filius fuit, qui cum in villa non procul a Bajano ſinu contra

Digitized by Google

Principis mandatum piſcaretur, edictumque contempſerit, piſces adhuc palpitantes in mare iterum rejecti ſunt, quamobrem is ira ſuccenſus in mare ſe demerſit. quod innuit Martialis *lib.* IV. *epig.* 30.

Sybilla autem haec, ut Lactantius Firmianus *lib.* I. *cap.* 6. Iſidorus *lib.* VIII. *Etymol. cap.* 8. Plin. *lib.* XIII. Solinus *cap.* 7. affirmant novem libros ad Tarquinium Priſcum Romanorum Regem attulit, pro quibus trecentum Philippeos aureos petiit. Rex vero ob pretii magnitudinem mulieris inſaniam ſprevit, quae coram Rege tres ex eis libris combuſſit, ac pro reliquis ſex idem pretium poſtulavit. Tarquinius autem multo magis inſaniiſſe putabat, quae aliis tribus exuſtis, idem pretium de reliquis expetebat. Rex mulieris pertinaciam admiratus, reliquos tres libros trecentum aureis coëmit, quorum poſtea numerus auctus eſt Capitolio refecto. At Solinus *cap.* 8. ait, tres tantummodo libros Sybillam Cumanam Tarquinio attuliſſe, & eam vixiſſe Olimpiade L. Aulus quoque Gellius *lib.* I. *cap.* 19. tres libros ſcripſiſſe ait, ex Varrone. Quem quidem librum Romani Pontifices Gentiles conſulebant ad Cornelium uſque Syllam; tunc enim una cum Capitolio combuſtus eſt. Ii vero libri num ab ea Sybilla compoſiti fuerint citati anctores reticent; verum ab ea editos crediderim; quandoquidem & Sybillae omnes Oraculorum libros conſcripſerunt; librorum enim Sybillinorum a Sybillis ſcriptos Plutarchus in *Problem.* 83. & Scoppa in ſuis *Collectaneis cap.* 13. aliique meminerunt.

Cumanam Sybillam centum reſponſa in palmarum foliis ſcribere conſueviſſe, teſtatur Virgilius in VI. *Aeneid.* & Juvenalis *Satyr.* 8. ejuſque Sacellum apud Avernum lacum ſitum eſſe in Puteolana regione, & Virgilius, ubi ſupra, teſtatur, & locus demonſtratur. Ejus ſepulcrum in Sicilia fertur adhuc eſſe, quod & Solinus quoque *cap.* 8. affirmat.

Porro Sybillae hujus aſſertio eſt, quod ſaecula per metalla diviſit, atque diffinivit, quo tempore imperaret, ſolemque decimum, atque poſtremum eſſe voluit, quibus omnibus finitis ſaeculis rurſus eadem renovari; ut Servius ſuper *Eclog.* 4. teſtatur.

Quod vero ad hujus Sybillae nomen Lactantius *lib.* I. *cap.* 6. & Suidas ajunt, Sybillam Cumanam, nomine *Amaltheam*, vocari, & ab aliis *Demophile*, vel *Herophile* appellari. Joannes quoque Boccacius in *lib. de Illuſtribus mulieribus*, ait, *Amaltheam*, ſive *Deiphobem* vocari.

Miror a Sancto Juſtino Philoſopho, & Martyre, qui floruit anno Chriſti CL. in *Exhortatione ad Graecos* referri, quod is audivit, cum Cumas petiit, eam nempe Sybillam Babilone ortam, ac Cumas inde petiiſſe (quod minime verum eſſe clare patet ex his quae ſuperius diximus); ſic inquit Juſtinus loquens de veteri Sybilla: *Hanc Babilone ortam, Beroſi, qui Chaldaicam hiſtoriam ſcripſit, filiam, ad Campaniae oras, neſcio quomodo perveniſſe ferunt, ubi reſponſa dedit in urbe, cui Cumae nomen eſt, ſexto a Bais (qui locus thermas Campanas habet) lapide. Vidimus ſane, ea in urbe cum eſſemus, locum quemdam, ubi baſylicam ingentem uno fabrefactam ſaxo conſpeximus, rem profecto maximam, & admiratione omni digniſſimam; ubi oracula eam edidiſſe, qui res patrias majoribus ſuis quaſi per manus traditas acceperant, affirmabant. In media Baſylica nobis illi oſtenderunt tria ſolia, ex eodem exciſa lapide, quibus aqua repletis laviſſe ibi eam, & ſtola ſumpta in penitiſſimam ſe Baſylicae aedem extructam ſaxo abdere, atque in media ea Aede, ſuper ſublimiore gradu, & throno conſidere ſolitam, & ſortes ad eum modum promulgaſſe dixerunt.*

AMATUS Caſſinenſis Caenobii Monachus dein Epiſcopus, etſi incertae ſedis; fuit ſuae aetatis verſificator inſignis; ſcripſit ad Gregorium VIII. Pont. Max.

De

Digitized by Google

De geſtis Apoſtolorum Petri , & Pauli Carmine *libros* IV. *De laudibus ejuſdem Pontificis lib.* I. *De duodecim lapidibus lib.* I. *De Civitate Caeleſtis Hieruſalem lib.* I. *Hiſtoriam Normannorum lib.* VIII. ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem , ut inquit Petrus Diaconus Caſſinenſis in *lib. de Viris illuſtribus Caſſinenſis Monaſterii*.

Meminit quoque ipſius Leo Oſtienſis *lib.* III. *Chron. Caſſin. cap.* 25. qui mentionem facit dumtaxat ejus librorum *De geſtis Apoſt. Petri, & Pauli* verſu conſcriptis , & *Hiſtoriae Normannorum* . Vixit autem auctor hic annum circiter 1070.

AMBROSIUS FONTANA Neapolitanus Ordinis Sancti Franciſci Obſervantium edidit Italicè *Apologos* ad Illuſtriſſimum Dominum Aloyſium Carrafam Hoſtiliani Principem, & Sabloneti Ducem , excuſ. *Neap.* 1608. *apud Joannem Jacobum Carlinum. in* 12.

AMBROSIUS LEO Nolanus philoſophus, ac medicus inſignis, Graeca , ac latina lingua peritus: multa conſcripſit nempe:

Caſtigationes in Averroem. Qui liber praegrandis eſt, ac veluti totius philoſophiae theſaurus habetur; ſunt autem quaſi commentarii in ſingulos Ariſtotelis libros, ſervato eorum ordine: quem librum Leoni X. Pontifici Max. dicavit , impreſſum *Venetiis. anno.* 1517. *apud Bernardinum, & Mathiam de Vitali ,Venetos fratres. in fol.*

Edidit *Opus quaeſtionum , ſeu problematum*, ut pulcherrimorum ita utiliſſimorum , cum aliis pleriſque in rebus cognoſcendis, tum maxime in philoſophia , ac medicinae ſcientia, quod *Venetiis* prodiit. *anno.* 1523. ex *officina eorumdem fratrum de Vitali. in fol.*

Tranſtulit e Graeco in Latinum *Ariſtotelis librum de virtutibus* : quem Camillus Leo ejus filius Jacobo Antonio de Caeſarinis Nolano , Regenti Magnae Curiae Neapoli nuncupavit : qui excuſus eſt cum ejus libro *De nobilitate rerum* , ut inferius dicemus.

Actuarii Joannis Zacchariae filii de Urinis libros VII., ex Graecis latinos reddidit ad Camillum Leonem filium , qui editi ſunt *Baſileae. apud Cratandum. anno.* 1528. *in* 8. & *Pariſiis.* 1548. *in* 8. & apud *Jacobum Gazellum* eadem forma. Et ut ait Tiraquellus in Tractatu *De nobilitate. cap.* 31. non ineleganter vertit. At Jacobus Gouphylus eam Ambroſii translationem ad Graecorum exemplarium fidem recognovit, & ſcholiis atque obſervationibus illuſtravit, quae Pariſiis edita eſt *anno.* 1548. *apud Joannem Boygni.*

Scripſit quoque *Chronicum Nolanae urbis* ad Henricum Urſinum Nolanorum Principem, excuſ. *Venetiis. anno.* 1514. *apud Joannem Rubrum Vercellanum. in fol.* Quod dein recuſum eſt , cum libro , qui *Italia illuſtrata* nuncupatur, ſive rerum, urbiumque Italicarum ſcriptores varii, qui prodiit *Francofurti.* anno 1600. *ex officina Camberiana. in fol.*

Edidit etiam *Dialogum de Nobilitate rerum*, qui ſimul cum Ariſtotelis libro *de virtutibus* a ſe translato excuſus eſt , poſt Ambroſii obitum, a Camillo Leone ejus filio, qui illum eidem Henrico Nolano Principi dicavit ; prodierunt autem *Venetiis. anno.* 1525. *ex Officina Melchioris Seſſa, & Petri de Ruvanis ſociorum. in* 8.

Ceterum in nuncupatoria epiſtola Camilli Leonis ad eumdem Henricum Nolae Principem, quae libello *De nobilitate rerum & virtutibus* praefixa eſt, Camillus ait Ambroſium ejus Patrem alios reliquiſſe libros, non adhuc in lucem editos , partim a ſe conſcriptos, partim vero ex Graeco in latinum converſos , inter quos eſt *libellus de Biſexto*: alius *de E. & I.* in quo multa docte, & erudite pertractavit. *Dialogus de vi ridendi*, quem inſcripſit *Gallucium*. *Lucubrationes in* VI. *Methaphiſices*. *Libellum de ſignis pluviarum, & Ventorum*. *Adnotationes in theriacam*.

Digitized by Google

Itaque Ambroſius fuit vir doctiſſimus ; ac bene omnia , quae ſcripſit , explicavit Romana , ac pura lingua , & praeſertim ejus Chronicum Nolanum , & libellum de nobilitate rerum . Eraſmus Rotoredamus in ſuis *Adagiis*, quae dein expurgata , ſub nomine Pauli Manutii , prodierunt , in *adagio tanquam in ſpeculo , & tanquam in tabula* , ait , *iis de rebus acutiſſime multa diſſeruiſſe Ambroſium Leonem Nolanum in Quaeſtionibus ſuis*. Et in *proverb. 63.* ait , *Ambroſius Leo Nolanus Philoſophus hujus tempeſtatis eximius , & in perveſtigandis diſciplinarum myſteriis incredibili diligentia ſolertiaque praeditus , neque non mediocriter exercitatus , in evolvendis , & excutiendis libris utriuſque linguae* . Et in *verb. muſicus ſcientiſſ.* & in *Centur.* VII. 3. *Chiliadiſ. proverb. 66.* ait ; *Ambroſium Nolanum in perveſtigandis naturae myſteriis non dubitaverim cum quovis veterum Philoſophorum conferre , &c.*

Marinus Freccia in *lib. de ſubfeudis in cap. de antiquo Regni ſtatu* , loquens de civitate Nolae , atque ejus Epiſcopo , meminit Ambroſii Nolani , quem vocat *Homerum Nolanum* .

AMBROSIUS NEAPOLIT. Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Epiſcopus Lamecenſis , & Mantuanae Eccleſiae ſuffraganeus , ſive Propraeſul pro Domino Sigiſmundo Cardinali Gonſaga & Mantuano Epiſcopo; vir fuit Graecis & Hebraicis litteris eruditus , Theologus , & concionator illuſtris , ac Philoſophus inſignis . Multos & eruditos libros conſcripſit , qui a Fratre Hieronymo Seripando in *Compendio rerum geſtarum Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini* (quod ſimul , cum *tribus conſtitutionibus* editum eſt *Romae. anno* . 1551.) item a Joſepho Pamphilo Epiſcopo Signino in *Chronico Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini* , & a Fratre Thoma Gratiano in *Anaſtaſi Auguſtiniana de ſcriptoribus ordinis* Eremitarum , & ab Antonio Poſſevino in 1. *vol. Apparatus ſacri* , enumerantur. Sunt autem hi:

Adnotamenta in Platonis Alcibiadem , ſive *de natura hominis,& de voto.* ad Jacobum cognomento Probum Planellae comitem . *Commentaria in Parmenidem* , vel *de uno omnium principio , & de Judaeis* . ad Federicum Gonſagam Marchionem Buzoli . *De Mundi genitura* ; ubi ſex dierum opera explanantur . *Adnotationes diſtinctae in librum de Cauſis* . ad Urbini Ducem . *De Fato* . contra Petrum Pomponatium , pro Alexandro Aphrodiſaeo , ad Papam Clementem VII. *Contra Aſſertores mortalitatis animae.* ad Sigiſmundum Gonſagam S. R. E. Cardinalem . *De vera , & Catholica fide . Conflictationes contra Lutherum* . ad Joannem Matthaeum Gibertum Epiſcopum Veronenſem . *Quod non ſit abroganda Miſſa , ſecundum ritum S. R. E. ordinata, contra Lutherum* . *Quadrageſimale* , quod vulgo *Gentilis* appellatur . *Sermones per Adventum , uſque ad Epiphaniam* . ad Federicum Gonſagam . *Conciones ſuper ſalutationem Angelicam , & Canticum Mariae* . *De tribus Magdalenis , & de Unica Magdalena* .

Servantur autem opera haec omnia MSta. ut idem Pamphilius ait Mantuae in Bibliotheca Conventus Sanctae Agnetis ejus ordinis ; ubi is valde ſenex ab humanis deceſſit annum circiter 1525.

Ex his operibus nil vidimus in lucem editum , praeter *Concionum librum latine , ac dialogice* editarum ; in quibus quidem concionibus interlocutores inducit Sacerdotem , & gentilem , quapropter *Gentilis* inſcribitur; eo quod homo gentilis in his primas agit . Excuſus eſt autem liber hic *Venetiis . anno . 1523. , mandato , & expenſis haeredum quondam viri nobilis , & ſociorum . in 8.* Illuſtriſſimo Marchioni Joanni Franciſco Gonſagbae, ac Luzariae Domini dicatus .

Fuiſſe eum ex familia Aſicola perſuadetur ex Epigrammate Zambelii Ariminen-

Digitized by Google

nenſis, praepoſito Quadrageſimalis libro ejuſdem Ambroſii, ubi de eo libro ſic:

Ortus hic ex puro Solymorum ſemine ſurgit.
Irrigat hunc Nilus: poma dat Aſſyria.
Dat flores bene olentes Graecia. Cetera donat
Italia. Aricolum, quae dedit Ambroſium.

Angelus tamen Boccha Epiſcopus Tagaſtenſis Auguſtinianus in ſua *Bibliotheca* eum *Gentilem* cognominat. & proinde is forſitan *Gentilis* nomine inſignivit opus ſuum quadrageſimale.

AMBROSIUS STAGBANUS Tarentinus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Sacrae Theologiae Magiſter, & concionator illuſtris, edidit Italice *Chronicum* ejus Ordinis, nempe de antiquitate, de Sanctis ac Beatis dicti ordinis, duobus tomis diſtinctum; quod inſcripſit *Tempio Eremitano, de' Santi, e Beati dell' Ordine Agoſtiniano;* quorum primus excuſus eſt *Neapoli*. 1608. *apud Tarquinium Longum. in fol.* Sanctiſſimo Domino Paulo V. Pontif. Max. primario dicatus; ſecundario vero Reverendiſſimo Patri Magiſtro Fratri Jo: Baptiſtae Aſti Januenſi, Vicario Generali Apoſtolico totius Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini.

ANDRAEAS ARGOLUS e Tiliacotio, oppido in ulteriori Aprutio poſito, Philoſophus, ac Medicus, & in Mathematicis diſciplinis, & praeſertim Aſtrologicis valde eruditus fuit. Romae diu commoratus, dein in celeberrimo Patavino Gymnaſio mathematicam profeſſus edidit:

Tabulas primi mobilis, quibus veterum rejectis prolixitatibus Directiones facillime componuntur. ad D. Marcum Antonium Columnam, excuſas *Romae. apud Guilielmum Facciottum*. 1610. *in* 4.

Ephemerides ad longitudinem almae urbis Romae ab anno MDCXXI. *ad* MDCXL. *ex Prutenicis tabulis ſupputatas.* Addidit *Iſagogen, & Canones abſolutiſſimos praecepta omnia Aſtrologica complectentes &c. Romae. apud eundem* 1621. *in* 4.

Novas Caeleſtium motuum Ephemerides ad longitudinem Almae Urbis ab anno MDCXX. *ad* MDCXL. *ejuſdem Auctoris tabulas ſupputatas, quae congruunt cum Danicis, Rodulphinis, & Tychonis Brahae e caelo deductis obſervationibus*. Additi ſunt *Aſtronomicorum libri* III. *in quibus plurima ſcitu neceſſaria, & perjucunda tractantur. Romae. apud Facciottum* 1629. *in* 4. *Tom.* II. ad Principem Philippum Columnam.

Dein hi libri ab Auctore ab erroribus correcti, & locupletati prodierunt in lucem hoc titulo inſigniti. *Ephemerides juxta Tychonis hypotheſes, & e caelo deductas obſervationes. volum.* III. quorum primum ab anno MDCXXXI. ad MDCLV. complectitur, excuſum eſt *Patavii. apud Paulum Frambotti. anno*. 1938. *in* 4. Secundum vero ab anno MDCLVI. ad MDLCXXX. prodiit *ibidem apud eumdem* eadem forma. Tertium vero *Ephemerides annorum L. juxta Tychonis hypotheſes; & accurate e Caelo deductas Obſervationes ab anno* MDCXXX. *ad annum* MDCLXXX. excuſ. *Venetiis*. 1638. *apud eundem* eadem forma Majeſtati Reipublicae Venetae. Franciſco Erizzo Sereniſſimo Principi. Auguſtiſſimis Patribus dicatas.

Edidit quoque *Problemata Aſtronomica; Romae*. 1604. *in* 4. *De Diebus Criticis, & de AEgrorum decubitu lib.* II. excuſos *Patavii. anno*. 1639. *apud eundem* in 4. Illuſtriſſimo D. Joanni Paulo Vidman Baroni, & Sumereg. ac Sancti Paterniani in Charintiis domino dicatos.

Leo Allatius in ſuo libro, qui *Apes Urbanae* inſcribitur, ſive *de Viris illuſtribus* teſtatur Andream hunc Argolum alia quaedam conſcripſiſſe, quae editionem expectant, nempe: *Commentaria in Elementa Euclidis. Tabula ſecundorum mobilium ſecundum Tychonis Hypotheſes*, quibus facili methodo planetarum loca, tam in longitudinem, quam in latitudinem ſupputantur

tur ad quodcumque tempus, redacto Martis cacilo, abſque taedioſa ſuppoſitione. *Catholicae, & probatae Aſtronomiae Epitome.* quae tum partem ſphericam, tum theoriam planetarum, juxta Tychonis Brahae Obſervationes, & Hypotheſes continet. *Commentaria in libros* IV. *Ptolomaei, cum* textu Graeco, & Latino. *De novis ſtellis noſtro aevo genitis, aliiſque Phaenomenis. Practica Medicinalis.*

ANDREAS DE BARVLO Apulus (eſt autem Barulum, ſive Barolum inſigne in Apulia Oppidum, quod ob ejus magnitudinem, & Civium copiam, & urbanitatem a Regibus quandoque Civitas eſt appellata, vocaturque italice *Barletta*) Jureconſultus fuit inſignis, & celeberrimus. Floruit autem tempore Federici II. Imperatoris; & Siciliae Regis, ſub quo ſupremos aliquot in Regno geſſit magiſtratus; fuit nempe ejus Fiſci patronus, ac Conſiliarius. Sub Rege quoque Carolo I. aliis dignitatibus inſignitus eſt, pluraque munera functus; fuit enim Curiae Regiae Magiſter; Rector Neapolitani Studii; Regius Conſiliarius; ac aliquandiu Fiſci patronus; & juris Civilis in publico Neapolitano Gymnaſio interpres.

Scripſit *Commentaria ſuper tribus poſterioribus libris Codicis.* quae etſi a pleriſque antiquis, & neotericis doctoribus eſſent allegata adhuc tamen in privatis bibliothecis MSta latitabant. Tandem trecentum quinquaginta fere poſt annos typis edita ſunt in lucem, ex vetuſtiſſimo Codice, reperto in bibliotheca olim Regentis Ferdinandi Fornarii Regiae Camerae Locumtenentis, quae apud Patres Societatis Jeſu, Domus profeſſae, Neapoli habetur; impreſſa autem ſunt *Venetiis. Anno.* 1611. *apud Seſſas.* in 4.

Ea autem Commentaria (utpote, quae ab ejus auctoris tempore evulgata ſunt per univerſum fere Chriſtianum Orbem) paſſim citant antiqui, & recentiores Doctores, tum Regnicolae, tum quoque exteri; & praeſertim, qui in iiſdem tribus libris Codicis ſcripſerunt, veluti Odoffredus Bononienſis, antiquus Doctor, qui floruit anno 1260. in ſuis *Commentariis* ſuper iis tribus libris Codicis, qui saepius librum hunc Andreae de Barulo citat, atque ad verbum fere ejus doctrinam refert; Jacobus de Belviſu; Nicolaus de Neapoli; Joannes de Platea; Bartolus; Baldus; Petrus Rebuffus; & alii. Lucas de Penna pluries ejus libri meminit, & praeſertim in *libro Ordinis* in principio *C. de decr. decurionum lib.* x. inquit, *ait enim Dominus Andreas de Barulo, qui tempore Federici Imperatoris hos libros expoſuit. Et Conſuetudinis in L. qui fundos C. de omni agro deſerto lib.* XI. ubi meminit Domini Andreae de Barulo Fiſci patroni ſub Federico II. Imperatore, & *in l. certa forma* C. *de jure fiſci, lib.* x. refert doctrinam Domini Andreae de Barulo ad illam legem. *Cynus etiam in l. fin.* C. *ſi aliena res pignori data ſit.* Napodanus in *Rubr. de Jure Congrui. Eſt quaeſtio in quibus Caſibus ſtetur dicto Coloni; in prohemio pagina* 120. Jaſon etiam in *l. fin.* C. *de Conſtituta pecunia.* Additio *ad Spearl. de feudis in addit.* IX. Afflic. in *Conſtitut. praeſent. provinciae n.* 3. & in *Conſtit. Juſtiniani nomen n.* 30. Alex. in *l. p. §. lex. ff. ad l. Falcid.* Joannes Thomas Minadous *Conſ.* 6. *n.* 2. & plerique alii.

Scripſit etiam Andreas *Gloſſam*, ſive *Commentarium ſuper Conſtitutionibus Regni.* quod Iſernia ſaepius in ſua *Gloſſa ſuper iiſdem Conſtitutionibus* citat. Etenim in *Conſtit. minoribus ſub tit. de jure baliſ.* ait, *bene gloſſata eſt per valentem modernum Doctorem Dominum Andream a Barulo conſtitutio haec.* Idem Iſernia in *conſtit. praeſenti lege ſancimus*, in principio, allegat gloſſam *magni viri, & famoſi doctoris Domini Andreae de Barulo in dicta Conſtitutione.* Idem Iſernia in *coſtitut. in aliquibus, ſub tit. de ſucceſſ. Filiorum Comitum, & Baronum*, ſimiliter citat Andream de Barulo ibi. Idem Andreas de Iſern. ſaepe alle-

Digitized by Google

allegat modernos in aliqua ex legibus trium librorum Codicis, & praeſertim *in L.* 1. *in verb. condemnatorum*, *& proſcriptorum*, *quae ſit regalia*, quos intelligit Andream de Barulo, ut obſervat, & teſtatur Liparulus ibi. Idem Andreas de Iſernia in conſtit. *Si quis aliquem in tit. de percuſſione illicita cum armis*, citat Andream de Barulo *in cap.* quod incipit, *Si quis alium cepit*, ſub *tit. de pace tenenda*.

Edidit inſuper Andreas hic *Commentarium ſuper Longobardorum*, ſive potius *libellum de differentiis juris Romani*, *& Longobardi*: qui ſimul cum earum legum textu ſeorſum, & cum corpore juris civilis in authenticorum volumine excuſus eſt.

Scripſit quoque ſollemnem *Tractatum in materia Ceſſionis*; qui incipit: *Utile & quotidianum eſt de Materia Ceſſionis tractare*, *&c. quem* citat. Affl. *in l.* §. *quis obbligavit*, *de feudo dato in vicem legis commiſſoriae n.* 27. At impreſſorum & librariorum injuria effectum eſt, putamus, ut Afflict libro non *Andreas de Barulo*, ſed *Antonius* legatur; Antonius enim de Barulo nobis incognitus eſt.

Sed quoad ejus familiam pertinet Marinus Freccia *lib.* 1. *de ſubfeudis cap. de antiquo ſtatu Regni n.* 35. ait Andream, *dictum de Barulo*, *fuiſſe de familia* Accomiajoco *de Ravella*. Idem Frecia in *tract. de praeſentatione Inſtrumentorum part.*8. *quaeſt.* 2. *num.* 25. Andream, inquit, *qui dicitur de Barulo patricium Ravellenſem*, *diuturno tempore in Ravelli civitate legiſſe*, *ubi antiquitus recollectabantur*, *& ordinario legebantur Leges Civiles*, *& ibi dedit Recollectas in tribus libris Codicis*. Idem etiam innuit ibidem *in quaeſt. prima num.* 27. Camillus vero Borellus *conſt.* 33. *num.* 49. ait Andreas *de Barulo*, *qui primus ſcripſit utili*, *ac ſollemni apparatu ſuper tribus noviſſimis libris codicis*, *fuit de familia* Acconzajoco.

At ejus familiam revera *Bonellam* fuiſſe comperimus, quae vetuſta, ac nobilis Baruli floruit, & adhuc floret; ut Regii Archivii acta nos docent, in quibus haec de Andrea habentur. *Andreas de Barulo juris Civilis profeſſor regius fidelis*, *Curiae regiae Magiſter*. *In regiſtro* 1260. *lit.* A *fol.* 28. *Andreas* Bonellus *de Barulo juris civilis profeſſor*, *Rector Neapolitani ſtudii cum annua proviſione unciarum auri quinquaginta* 1269. *lit. S. fol.* 125. *a t. &* 50. *&* 1271. A *fol.* 78. *Andreas Bonellus de Barulo juris Civilis profeſſor*, *conſiliarius*, *familiaris*, *& fidelis regius*, *cui idem Rex donat domum in Barulo*, *ob ejus ſervitia* 1269. C. *fol.* 176. *a t. Andreas Bonellus de Barulo juris civilis profeſſor*, *cui Rex facultatem concedit extrahendi gratis ſalmas* 200. *frumenti e Baruli portu*, *in Meſſanam*, *vel Syracuſas*. 1269. S. *fol.* 129. *a t. Andreas Bonellus de Barulo juris civilis profeſſor*. 1269. *C. fol.* 176. *Magiſter Andreas de Barulo juris civilis profeſſor*, *dilectus conſiliarius*. 1271. B. *fol.* 127. *at.* C. *fol.* 60. *Andreas de Barulo juris civilis profeſſor*, *Fiſci patronus in abſentia Magiſtri Andreae de Capua Fiſci patroni* 1269. *C. fol.* 176. *a t. Andreas de Barulo juris civilis profeſſor*, *lector Neapoli in eodem jure civili*, *cum gagiis unciarum auri* 60. *pro ſalario ſuo & unciarum* 8. *pro veſtibus ſuis* 1271. A. *fol.* 78.

Tandem de Andrea Barulo Marcus Antonius Mantua Patavinus in *Epit. Virorum illuſt. in juriſprud. num.* 29.

ANDREAS BASTELLUS e Melphia Apulus, artium, & medicinae doctor, Inſignis Neapoli medicus effulſit. Hunc D. Joannes Zunica Mirandae Comes, ac Regni Neapolitani Prorex Hiſpanias revertens, anno 1595. ſecum duxit, ac Matriti, & Valliſoleti (ubi curia Philippi III. Hiſpaniarum, ac Siciliae Regis reſidebat) per aliquot annos eſt commoratus . . . . habitus, cumque Neapolim reverti pararet, jam hujus regni Prothomedici dignitate a Rege decoratus, obiit Val-

Valliſoleti die 5. Septembris 1602. & in Divae Mariae Annuntiatae apud Clericos Minores ſepultus eſt. Scripſit autem:

Speculum medicinae omnibus Medicae artis profeſſoribus, atque ſtudioſis valde commodum, & perutile. In quo tractatur de pulſibus, urinis, febribus, aegritudinibus particularibus, peſte, morbo gallico, ratione victus, ſanguinis miſſione, medicamento purgante, cum ſelectione medicamentorum ab antiquis alacritate, & a modernis moderatorum, omnia ad facillimam intelligentiam, ordinemque peripateticum accuratiſſime redacta. Impreſſ. *Matriti. anno. 1599. apud Licentiatum Varez a Caſtro. in 4.* eidem Domino Mirandae comiti dicatum.

Scripſit *Libellum contra logicalem decadem Franciſci Mariae Storellae Alexanenſis*. impreſſ. *Patavii. 1562. in 4.* abſque nomine impreſſoris, qui prodiit Nicolai Dominici Licienſis opera; qui in epiſtola ad Lectorem de Andrea hoc noſtro bis verbis teſtimonium perhibet. *Quamobrem Andreas juvenili ſua aetate mirabili ingenio indutus, qui quidem dialecticam Lupiis publice legit, & philoſophiam in almo Licienſi gymnaſio magno eruditorum concurſu profeſſus eſt, omnique decore dignus veri, juſtique cultor*.

ANDREAS CAPANUS Neapolitanus . . . . ac Galli Baro Juriſconſultus, ſcripſit *Tractatum de Jure Relevii* totius fere Orbis Chriſtiani Regnorum Cathedris, ſubſelliis, & aulis utriuſque Siciliae, Hiſpaniarum, Galliarum, Germaniae, Britanniae, Lombardiae, Sabaudiae, caeterarumque Romanae ditionis partium perneceſſarium; ſive *Commentarios ad Conſtitutionem Regni Neapolitani, poſt mortem, ſub titulo de morte Baronis Nuncianda Imperatori*. In quibus refutationum, paragii, ſubventionum, adohaeque materia pertractatur, quatenus ad Relevii ſolutionem ſpectat, interjectis ſupremorum tribunalium Deciſionibus. excuſ. *Neapoli. anno. 1630. apud Secundinum Roncaliolum. in fol.* Excellentiſſimo D. Ferdinando a Fan de Ribera Duci de Alcalà, in Neapolitano Regno Proregi dicatos.

Edidit quoque *Tractatum de Jure adohae*. in quo de Vaſſallorum ſervitiis, donativis, ſubventionibus, ac de nonnullis regalibus impoſitionibus tractatur. Impreſſum *Neapoli. 1636. per Franciſcum Savinum. in fol.* Excellentiſſimo Domino D. Emanueli a Stunica, & Fonzeca Montisregis Comiti, ac in Regno Proregi dicatum.

Edidit quoque *De vita & militia tractatum*, in quo alimenta, ſeu appanagia, militiaque, ſecundogenitis debita a primogenito ex feudis juris Francorum fructibus tractantur. Additis D. Jo. Franciſci Reverterii, & D. Annibalis Moles Praeſidis Regiae Camerae Summariae, & Regiae Cancellariae Regentium de hac re *Deciſionibus*, nec non Petri de Gregorio *de vita, & militia*, *Dote de paragio & judiciis Cauſarum Feudalium* tractatus, impreſſ. ſimul *Neapoli apud Jacobum Gaffarum. anno. 1642. in fol.* Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo D. Ramiro Philippo de Guſman domino domus de Guzman, Medinae de las Torres Duci, Hoſtiliani Principi Sablonetae, Mondraconis, & Trajecti Duci &c. & in praeſenti Regno Proregi Locumtenenti, & Capitaneo Generali dicatum.

ANDREAS FERRARIUS Nolanus, Canonicus, ac Theſaurarius Cathedralis Eccleſiae Nolanae, edidit Italice *Tractatum: Del Cemeterio Nolano, con le vite di alcuni Santi, che vi furono ſepolti*. excuſum *Neapoli. anno. 1644. apud Franciſcum de Thomaſi. in 4.* Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Gentili Albertino Principi Sancti Severini dicatum.

ANDREAS GENUTIUS Neapolitanus Juriſconſultus, ac Etruſca lingua ſcriben-

Digitized by Google

bendi peritus, edidit Italice ſoluta oratione librum, quem inſcripſit, *Il Re Dioſino*. quem in duas partes diviſit, quarum alteram Illuſtriſſimo ac Excellentiſſimo Duci Medinae de las Torres in Neapolitano hoc Regno Proregi dicavit, *Neapoli* in *Typographia Roberti Molli* excuſum. *anno*. 1638. *in* 12. alteram vero partem Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Caſtellae Admirato in eodem Regno Proregi nuncupavit; excuſa eſt ibidem *apud Franciſcum Savium*. 1644. eadem forma.

Item *Cataſtrofe delle lagrime umane* in lucem prodidit primum apud *Franciſcum Savium* 1638. Illuſtriſſimo Epiſcopo Nuceriae dicatum *in* 12. poſtmodum recuſa 1640. *apud Egidium Longum*. *in*. 12. admodum Reverendo Patri Fratri Joanni de Neapoli Miniſtro Provinciali, ac Generali Diffinitori Minorum de Obſervantia. Typis quoque mandavit ſub nomine *Ernandi Tivega Satira & Antiſatira*, *Contra gli abbigliamenti degli uomini, e delle donne*. 1640. *apud eundem Egidium*. *in* 12.

ANDREAS GUARNA, etſi Cremonae natus e Salerni tamen Civitate oriundus (in qua ejus familia inter perſpicuas, & patricias emicabat), poëta fuit elegans, ac humanioribus ſtudiis excultus. Edidit librum, quem inſcripſit: *Bellum grammaticale*, *ſive de Bello inter Grammaticae Reges*, *de principatu Orationis*. ſive, ut alii Codices habent, *Nominis*, *& verbi Regum*, *de principalitate Orationis inter ſe contendentium*, *librum unum*. quem is Paulo Caſſio, ſive Corteſio Juriſconſulto nuncupavit, & *Venetiis* primo prodiit *anno*. 1533. *apud*. *Petrum de Nicolinis de Sabio*. *in* 8. In eo Andreas Guarna Salernitanus nuncupatur, dein variis in locis, ac temporibus recuſus, Baſileae Witembergae, & alibi. Edidit etiam *Carmen* elegantiſſimum, ut nobis relatum eſt, quod *Simiam* inſcripſit, quod adhuc non vidimus. Fit ejus mentio in marmorea inſcriptione, quae Cremonae conſpicitur in aede Sancti Dominici, quam fratres Ordinis Praedicatorum incolunt in familiae Sacello.

ANDREAS DE ISERNIA, quae vetuſta eſt Civitas in Samnio (nunc in provincia Comitatus Moliſii poſita), Juriſconſultus fuit praeclariſſimus, ac Feudiſta praeſertim inſignis; qui & doctrinae veritate, ac ſoliditate *Feudorum Evangeliſta* in Regno appellatur. Fuit quoque, ut ex ſcriptis ejus conſpicimus, maximus Hiſtoricus, atque operum Ciceronis, & Senecae ſtudioſiſſimus, Canoniſta inſignis, ac Theologus praeclarus in ſacra pagina, ac ſanctorum Patrum lectione eruditus; in forenſibus rebus magnus practicus, & in Curiis longo tempore aſſuetus. Caroli I. & II., & Roberti Neapolitanorum Regum a Conſiliis fuit; pluriesque ſub iis Regibus ſupremis functus eſt Magiſtratibus. Fiſci enim fuit prius Patronus, dein Judex Magnae Regiae Curiae, ac itidem Magnae Regiae Camerae Magiſter Rationalis; atque plurium Oppidorum Dominus, ſuaque tempeſtate in magno pretio habitus. Obiit autem anno 1316., ac valde diſtat ab Andrea illo de Iſernia, qui ſupremos quoque Magiſtratus geſſit, atque occiſus eſt anno 1353. ut alibi ſuo loco dicemus. Scripſit *Commentaria ſuper tribus libris Feudorum*, quae in Neapolitano gymnaſio publice explanantur, ejuſque doctrina in Neapolitani Regni Foris non modicam auctoritatem, ac locum obtinet; nefas enim arbitrantur ab ejus doctrina recedere. Ejus liber ſuper Feudis pluries variis in locis excuſus eſt, pluresque extant manuſcripti Codices in bombacino, ac regio pappo, & membrana antiquis caracteribus exarati; adeo ut librariorum & impreſſorum incuria effectum ſit, ut litterae varietas difficultatem ejus doctrinae adjecerint: quamobrem Camerarius (ut ſuo loco inferius dicemus) non parum in reſtituendo Andreae veram lectionem elaboraverit, inte-

tegrumque Andream edere pollicitus ſit. At Nardus Liparulus Nicoterae Epiſcopus hoc idem praeſtare ſatagens, ex pluribus, atque emendatis Codicibus varias lectiones magnis laboribus reportavit, atque maxima ſtudiorum utilitate congeſſit; non parvam enim Regnicolae in Andreae doctrina intelligenda, atque explicanda operam navarunt: nam poſt eam intellectam, ut veram, ac ſolidam venerantur, & ſequuntur. Camerarius quoque in Repetitione *Cap. Imperialem in §. praeterea ducatus* Iserniae literam difficilem videri ait, Iserniae morem in ſcribendis Commentariis obſervans; qui, ut paucis ſe expediret, modo argumentis contrariis, quae ipſe non format, reſpondet; modo vero aliquas quaeſtiones, quae obſtare his, quae ſcribit, cogitat, tacitis illis, ſolvit: ita denique ad rem redit.

At difficilior redditur, & obſcurior, quod debitus ordo non fuerit in eo libro ſervatus; de quo aliquot Scriptores conqueruntur. Alvarotus enim *in praeludiis Feudorum* ait, Andream *utilitate magis, & redundantia, quam ordine laudandum*. Sigiſmundus quoque Loffredus *in §. ſi quis per 30. in fin. ſi de Feudo defuncti fuerit controverſia*, valde dolet Andream, *quod ſuper uſibus Feudorum ſcripſerit inordinate, & obſcure*.

Sed obſcuritas ejus doctrinae, & ordo non ſervatus ab innumeris ejus occupationibus proficiſcuntur; & Andreas ex eo excuſatur, quod is nedum familiaribus, ſed publicis etiam negotiis judicandi in tot ſupremis, quos functus eſt Magiſtratibus, & legendi etiam fortaſſe, ac ſcribendi muneribus aſſidue praepeditus tantum otii nanciſci non potuerit, ut ejus Opera plenius perficere, revidere ac emendare, atque eis extremam manum imponere valuerit. Ut etiam ipſe, ſe excuſando, teſtatur in *praeludiis feudorum n. 15.* hunc in modum: *Ob hoc ego Andreas de Iſernia legum doctor, licet indignus, curiarum diutius occupatus negotiis, aliquas horulas furari mihi decrevi, quibus ad profectum maxime rudium, quia non grandis, non ſum grandium cibus, librum feudorum litterali expoſitione plurimum indigentem expoſui, & Deo propitio pro viribus ingenii declarari gloſſas & dicta magnorum ſuper ipſo libro conſcribentium, plures ſummas omittens, quia non eſt niſi ſaepius loqui ff. de leg. 2. Maevius. §. eum qui, niſi ubi vidi fore id utile, aut ſupplendum, aut declarandum, aut aliter eſſe dicendum*. Ceterum Paris de Puteo in Andreae de Iſernia ſcriptis *Breve Compendium in materia reintegrationis feudorum* exaravit. Sigiſmundus item Loffredus *Paraphraſes Feudales in Andream* edidit. Fabritius quoque Guardatus Neapolitanus Juriſconſultus, *Andreae Feudalis doctrinae* ſtudioſiſſime edidit accuratiſſimum atque optimum *Repertorium*, *ſeu Concluſiones ex ejuſdem Andreae Commentariis in uſibus Feudorum Alphabetica ſerie ſelectas*, quod excuſum eſt. *Neapoli*. 1639. *apud Jacobum Gaffarum in 4.* omneſque Scriptores Feudorum Iserniae doctrinam magni faciunt, atque, *ut Aurigam* (ut Camerarii verbis utar) *obſervant*.

Edita ſunt autem in lucem *Andreae ſuper Feudis Commentaria*, primum *Neapoli. anno*. 1477. *in fol. regali*. *apud Sixtum Rieſſinger Alemanum*, *ſub Ferdinando ſeniori Rege*. Quae Petrus Aloyſius Riccius Neapolitanus legum doctor, ac Comes Palatinus ſummis vigiliis correxit, & idem Sixtus impreſſor; ac Franciſcus Tuppi Neapolitanus Joanni Baptiſtae de Bentivoglis de Saxoferrato Regio Conſiliario, ac Duci Urbini a ſecretis dicavit. In fine autem ejus libri ſic legitur: *Praeſtantiſſima, & utiliſſima lectura in uſibus Feudorum clariſſimi Andreae de Iſernia Legum Evangeliſtae impreſſa Neapoli ſub aureo ſeculo & auguſta pace Ferdinandi Regis Clariſſimi &c.*

Item recenſae ſunt eae *Lecturae in uſibus Feudorum*. *Venetiis*. *anno*. 1502. *in fol. a Philippo Pincio Mantuano*. *in fol.* cum figura Sancti Antonii. Prodierunt quoque. *Nea-*

Digitized by Google

Neapoli . *anno* . 1571. *cum Nardi Liparuli explicationibus* . in fol. *in aedibus ejuſdem Nardi excuſae* . Et *Francofurti*. 1548. recuſae cum ipſius *Liparuli lucubrationibus* . *in fol.*

Scripſit quoque Andreas *Lecturam* , *ſive Commentaria ſuper Conſtitutionibus Regni Siciliae* . quam vulgo per excellentiam , & antonomaſiam , (fortaſſe figuram peregrinam) Andreae Regnicolae Jureconſulti communiter appellant ; quae excuſa eſt cum textu earum Conſtitutionum . *Venetiis* . *anno* . 1506. *impenſis* , *ac ope Franciſci Cochi Neapolitani*. In cujus initio ſic legitur : *Incipit peregrina lectura utriuſque juris Monarchae* , *& legum Evangeliſtae Domini Andreae de Iſernia* , *ſuper Conſtitutionibus* , *& gloſ. Regni Siciliae &c.*

Edidit quoque *Repertorium Conſtitutionum* , *ac Capitulorum Regni* , & Gloſſarum ipſius Andreae de Iſernia ſuper dictis Conſtitutionibus , quod ſimul excuſum eſt cum Conſtitutionibus.

Commentarium quoque *ſuper legibus Longobardis* , *ſeu potius tractatum de Differentiis inter jus Romanum* , *& Longobardum* , ut Afflictus ait , *de his qui Feudum dare poſſunt* §. *& quia num.* 10. qui quidem Tractatus habetur poſt ipſius librum ſuper feudis .

Scripſit *Commentarium ſuper titulum de Statutis* , *& Conſuetudinibus contra libertatem eueriae* , ſcilicet tollendis , caſſandis , & removendis ; quod habetur in fine ſui Commentarii in uſibus Feudorum.

Extant quoque ejuſdem Andreae *Singularia quaedam numero novem* , quae in ſecundo volumine *Singularium Doctorum* excuſo *Venetiis* . *apud Heredem Hieronymi Scoti* . *anno* . 1578. *in fol.* habentur .

Scripſit etiam *Ritus Regiae Camerae Summariae* , *ſive ritus Dohanarum* ad fiſcalium nempe jurium materiam pertinentes , ut Affl. *in* §. *p. de Controverſia inveſtiturae num.* 47. affirmat. Lucas quoque de Penna *in l. ſi tempora C. de fide inſtrumentorum lib.* x. *col.* 3. meminit ejus libri dum ait, *vide quod notat Andreas de Iſernia lib. feud. quae ſint regalia ſuper Verbo Vectigalia* . *Et de tali materia ſpecialem ipſe libellum compoſuit ; quem Ritus dohanarum appellavit* .

In eos autem Ritus idem Andreas Commentarios ſcripſiſſe creditur , qui ejus doctrinam , & ſtilum apertiſſime redolent . Eos quoque Ritus profuſis Commentariis interpretatus eſt inſignis doctor Goffredus de Gaëta Regiae Camerae Summariae Praeſidens , dein magni Camerarii Locumtenens ; qui Alphonſi ſenioris Regis aetate vixit anno 1450. Quae una cum textu Rituum , digna ut ederetur cenſemus , additis Deciſionibus , quae poſt eorum tempora factae ſunt.

Scripſit itidem Andreas *Commentaria ſuper Codicem* ; quae non habemus , ut aliqui ex ejus ſcriptis obſervant . Afflictus *in deciſ.* 304. *n.* 15. ait , *Andream ſcripſiſſe in Codice* ; & multoties quando ſe remittit *ad plenius dicta per ipſum* , intelligitur ſcilicet in Codice . Idem Afflictus hoc etiam innuit *in l. hac edictali de pace juramento firmanda in uſibus feudorum in* §. *illicitus n.* 6. & Capicius *in C. imperialem fol.* 15. *col.* 2. Idem quoque Andreas in ejus libris ſuper Feudis pluries citat, ac ſe remittit *ad ea* , *quae dixit in aliquibus legibus Codicis* . Nempe , Andreas in *tit. de pace juramento firm. verſ. item ſacramenta puberum num.* 44. remittit ſe *ad ea quae plene dixit in l. Orphanotrophos. C. de epiſc. & Cler.* Et in *tit quae ſint regalia* . *in Verb. Vectigalia in additione* 2. *verſic. omnia loca* , *num.* 14. citat ea , *quae ſcripſit in l. an in totum* C. *de aedificiis privatis* .

Scripſit *ad l. penult. C. de petitione hereditatis in* §. *ſi quis per triginta in ſp. ſi de Feudo deſtructus fuerit contractus* . Et Lucas de Penna in *l. p. C. de colla. donat. lib.* x. *Col. p.* citat Andream de Iſernia *in l. penult. C. de aedificiis priv.*

Ex Andreae ſcriptis *ſuper Codice* habemus dumtaxat , quod is ſcripſit in *Auth. habita C. ne filius pro patre* ; quod in fine

Digitized by Google

ejus libri, ibi praeſumptio cedit probationi &c. Item ſcripſit *ad l. ſi quis miſſus ff. ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem miſſus eſt*; ut idem Andreas ait in *tit. de pace juram. firm. verſ. item ſacram. pub. num.* 45. Item *in l. omnes populi ff. de juſtitia, & jure*; ut is ait *in C. p. de Feudi cognitione n.* 2. in fine. Ad *l. Conſtitutiones ff. de appellat.* ut inquit *in tit. quae ſint regalia num.* 86 ad *l. ſi quis ingenium §. in civilibus ff. de Captivis, & poſtlim. reverſis*; ut dicit in *tit. quae ſint regalia n.* 83. In titulum *ff. de Jure Fiſci*; ut refert in *tit. quae ſint regalia n.* 28. Ad *l. auxilium ff. de minoribus*; ut ait *in tit. de prohib. alien. per Federicum n.* 28. Ad *l. aliquod §. referre ff. de regulis juris*, ut aſſerit in *tit. de ſtatutis contra libertatem eccl.* in verbo *mille Marcharum n.* 3. Ad *l. fructus ff. de rei vindic.* ut dicit *in tit. de Cap. Corrad. n.* 6. In *l. ſi quis filio exheredato §. quid tamen ff. de injuſto teſtamento*, ut is dicit, *in tit. quae ſint regalia n.* 87. In *l. ſi quis amodo qualiter quiſque ſe defendere debet in lib.* Legum Longobardorum, ut dicit in *tit. quibus modis Feudum amit. num.* 12. Item in C. *per principalem* 8. *quaeſt.* 2. ut is teſtatur *in tit. quae ſint regalia*, in verbo *vectigalia*, in additione 2. num. 16. In l. 2. *de operis novi nunciatione*, ut is ait *de Cap. Corrad. n.* 23. Ad C. *Abbate de verb. ſignif.* ut inquit *de Cap. Corradi n.* 23. *Commentum* etiam *ſuper extravagantem ad reprimendum*, ut Joannes Fichardus *in* 2. *d. ſuo indice* librorum legalium.

Elucubravit quoque Andreas *libellum* quem vocavit *De' Ordine judiciorum*; qui adhuc in manuſcriptis latitat apud aliquos. Ejus libri meminit Camillus Salernus *in addit. ad Conſuetud. Neapolit.* in prohemio earum Conſuetudinum, ſuper verbo, *in ſtilo dictaminis*; ubi ſic ait: *De multiplici ſtilo circa ordinem judiciorum habetur in aureo libello Andreae de Iſernia, de ordine judiciorum, qui fortaſſe (Deo dante) prodibit in lucem*.

Lucas de Penna *in l. Unica C. de imponenda lucrativorum deſcript. lib.* x. *n.* 40. *col.* 6. vocat Andream de Iſernia *doctorem Illuſtrem*; quo elogio ipſum exornat pariter aliis in locis. Et in *deciſ.* 39. *n.* 9.

Andream de Iſernia ſummis laudibus extollit Angelus, qui floruit anno 1400. *Conſil.* 110. *incipien. ſanctiſſima col.* 6.

Matthaeus Afflictus in prohem. *Conſtitut. Regni num. p.* vocat *excelſum juris doctorem Andream de Iſernia*, & in prohem. ſuper *libris feud. n.* 8. appellat eum *illuſtrem, & maximum doctorem praecipue in Feudis*. Et in *Conſtit. dilationes col.* 1. ait, *ei magnam deberi reverentiam patremque Feudorum appellari*. & in *tit. Imperat. Lothar. n.* 2. *in uſibus Feudorum*, inquit, *eſſe in hoc Regno magnae auctoritatis; diceremque aliquid contra ejus opiniones non ſecus eſſe, ac ponere os in Caelum*. Et in *tit. de eo, qui ſibi n.* 9. *in fin.* & *in §. ſi quis de manſo n.* 18. *de controverſia inveſtiturae*, ait; *in materia Feudali obtinere principatum, ac peregregie intellexiſſe Feuda & in §. ſi vaſa culpam n.* 1. *ſi de Feudo fuerit controverſ.* Idem Afflictus, ait, *quod Andreas de Iſernia eſt magnae auctoritatis in deciſionibus cauſarum in Regno iſto; & ejus opiniones ſervantur in Regno prae ceteris doctoribus; & maxime in materia Feudali*. Et in *deciſ.* 248. ait, *quod ipſe audivit ab antiquis advocatis opinionem Andreae ſemper a judicibus fuiſſe obſervatam*.

Jaſon in *l. Gallus §. etiamſi parente col.* 6. *ff. de liberis, & poſthumis*, & *in l. ſi quis pro emptore col. p. in fine* 1. *quaeſt. Bartoli ff. de uſucap.* Andream de Iſernia *magnum Feudiſtam appellat.* Idem Jaſon *in praeludiis Feudorum n.* 23. inquit Andream *fuiſſe ſummum feudiſtam; & qui feuda illuſtravit, & ob id merito doctorem illuſtrem* appellat.

Curtius junior, qui floruit anno 1536. in *conſil.* 138. *incip. habita: num.* 20. *ma-*

ximum

Digitized by Google

ximum *feudiſtam* Andream appellat.

Antonius Capicius *in repet.* C. *imperialem; de prohibita feudi alienat.* per Feder. *col.* 68. *in fin. fol.* 16. ait, *oportet nos Regnicolas ſequi Andream noſtrum Iſerniam, cui ſolemus in omnibus adhaerere*. Idem Capicius *in* §. *callidis col.* 2. *in Regno tenemus opinionem Andreae, a quo numquam diſcedimus*.

Andreas de Iſernia *Feudiſtarum omnium facile princeps* vocatur a Sigiſmundo Loffredo *Conſil. p. num.* 207. qui etiam Loffredus in C. p. *de natura ſucceſſionis feudi*, ait, quod ipſe *multum in feudis Andreae tribuit*, & *in C. p. Imperator Lotharius*, alias ſub tit. *Conſtitut. Feud. Domini Lotharii* in 2. col. de Andrea ait. *Ego, qui multum defero acumini ingenii Andreae de Iſernia feudiſtarum omnium facile principis, ob benevolentiam, qua tanti viri ingenium, atque memoriam proſequor*. Thomas Grammatius *voto* 30. *incip. illuſtriſſime n.* 16. appellat Iſerniam *maximum feudiſtam*.

Bartholomaeus Camerarius *in repetit. C. Imperialem de prohib. alien. per Feder. fol.* 68. *col.* 4. ait; *in Regno tanta eſt auctoritas gloſſarum Iſerniae, & Bartholomaei de Capua, quod vix quaeramus, quare dixerunt; ſed quia ipſi dixerunt, ut de Pythagora recitatur*. Idem Camerarius *in Conſilio feudali, poſt Fanetium, fol.* 367. ait: *Andreae, tanquam feudorum Aurigae, non minus haerere debemus, quam Bononienſes Carroccio*. Idem etiam Camerarius *in repetit. Cap. an agnatus n.*151. & 152. Andream de Iſernia, Lucam de Penna, & Nicolaum de Neapoli, citat, aitque *horum humanam trinitatem in juribus Regni veneramur*.

Marinus Freccia *lib.* 2. *de ſubfeud. Cap. ſed ut verius. num.* 6. ait, *magna eſt auctoritas Andreae de Iſernia in hoc Regno, quem omnes magnopere veneramur, propter ſubtilitatem ingenii, & veritatem doctrinae*.

Robertus Maranta *in* 2. *diſput. n.* 14. appellat Andream de Iſernia *feudiſtarum omnium facile principem, eumque eſſe*, ait, *magnae auctoritatis in Regno:*

Joannes Vincentius de Anna *alleg.* 67. *num.* 42. dicit, Andream de Iſernia *eſſe ſummum feudiſtam*.

Vincentius de Franchis *deciſ.* 65. 651. *in fin.*

Joannes Baptiſta Caccialupus de Sancto Severino, qui floruit anno circiter 1450. *in tract. de modo ſtudendi in utroq. jure*, in 5. *documento*, inter aliquot doctores ſolemnes in jure civili, commemorat Andream de Iſernia, Commentatorem feudorum, & Conſtitutionum Regni.

Jacobus Spiegel Seleſtadienſis, Germanus in ſua *Nomenclatura Juriſperitorum*, qui in jure civili, & pontificio nomen ſunt adſecuti (quae in fine ejus *Lexicon juris* habetur) appellat *Andream Iſernitanum nobilem interpretem uſuum feudalium*.

Andreas de Iſernia *ſummus feudorum interpres*, *vocatur* a Valentino Forſterio *hiſtoriae juris civilis Rom. lib.* 111.

Bal autem in ſuo quodam *Conſilio* in materia Feudali, quod fecit, quando venit Neapolim tempore Reginae Joannae primae, illudque recitat Matthaeus Afflictus in *praeludiis feudorum num.* 85. de Andrea de Iſernia loquens, ſic ait. *Videmus igitur, quod tam egregius doctor, qui vidit, & recitavit dicta multorum aliorum, & modernorum, tam varie loquitur, & multoties ſeipſum contradicere videtur, ſicut in praedictis locis, & in aliis diverſis, quae curioſus lector reperire poterit, ſcripſit, & poſuit*. At Bal videtur potius loqui de ſe ipſo, qui ſemper ſibi contrarius in qualibet re eſt, ut omnes Juris-Conſulti optime norunt.

ANDREAS LANFRANCHUS Neapolitanus, ordinis Clericorum Regularium Theatinorum, edidit: *Opuſcula Theologica, ſelectis Sacrae Scripturae locis, & Sanctorum Patrum auctoritate roborata*, quorum tomus primus excuſus eſt *Neapoli*. 1635. *apud La-*

Digitized by Google

Lazarum Scorigium. in 8. Sanctiſſimo Domino Urbano VIII. Papae dicatus.

Secundus vero tomus *Opuſculorum moralium in duas partes diviſus. Opus ad dirimendas hujus temporis controverſias, praeſertim de tributis, & donativis, ſanam continens doctrinam, ſanumque Conſilium.* impreſſum eſt *Neapoli. anno. 1638. apud Octavium Beltrano. in fol.* Eminentiſſimo Domino Fratri Antonio Barbarino S. R. E. Cardinali, & majori Poenitentiario dicatus.

ANDREAS MATTHAEVS AQVAVIVVS de Aragonia, Hatriae Dux, Princeps Theremi, ſive Interemnatum, ac Marchio Bitonti Neapolitanus; vir quippe eruditus, Graeca, & Latina lingua peritus, tranſtulit e Graeco in latinum Plutarchi ***Libellum de virtute morali***, atque edidit in eum Plutarchi libellum, ac tranſlationem ***Commentarium in libros*** IV. diviſum ad Trojanum Caracciolum Melphiae Principem ejus generum, & Joannem Caracciolum ejus filium; quae omnia una cum Plutarchi Graeco textu excuſa ſunt *Neapoli. apud Antonium de Friſiis Corinaldenſe, ac Civem Neapolitanum. anno. 1526. in 4.* Dein recuſus eſt liber is in Helenopoli Germaniae urbe *anno. 1609. apud Joannem Theobaldum Schonnuetterum. in 4.* Domino Octavio Aquavivo S. R. E. Cardinali, & Archiepiſcopo Neapolitano dicatus a Julio Bellio Juſtinopolitano.

Extat quoque in *2. volum. Deliciarum* CC. *Ital. Poët.* Rannutii Gheri Marelli Polonii Romani de Andrea Matthaeo Aquavivo Carmen.

Ob ejus doctrinam, & bellicam virtutem a quamplurimis viris doctis Scriptoribus, ac praeclaris poëtis ejus aetatis celebratur.

Joannes Pontanus in *lib. de Magnanimit. in princ.*, Andream hunc Matthaeum Aquavivum in litteris, ac re militari valde commendat, atque (ut ejuſdem Pontani verbis utamur) *ejus patrem delectatum, tantum bellicis ſtudiis, optaſſe, ut ejus filii militaribus ornamentis laudes eas adjungerent, quae e litterarum comparantur ſtudiis, atque cognitione; & ſumma cura, ac ſingulari diligentia praeſtitiſſe, ut idem Andreas Matthaeus, ceterique ejus filii, quamdiu aetas cujuſque tulit, optimis ſub praeceptoribus inſtituti, ita erudirentur, ut cum aetas ipſa firmior jam, magiſque robuſta ad tubam vocaſſet, ac gladium, ipſis e ludis litterarum, atque hiſtoriarum delectationibus animi magnitudinem, eumque ea pariter maximorum Ducum, atque Imperatorum exempla in aciem afferrent. Nam etſi Andreas Matthaeus ſic bonarum artium ſtudiis dedit operam, ut equeſtribus tamen copiis dimenſis etiam in bellis non ſemel fortiter ſimul, prudenterque praefuerit, & militare decus, ac belli gloriam ita eſt aſſecutus, ut philoſophia, ceteraeque artes bonae ipſo Andrea Matthaeo & auctore, & magiſtro glorientur. Et ſeni jam ipſo Pontano, atque annos plurimos maximis in rebus agenti, gloriari etiam liceat, vidiſſe tandem Principem virum, & in mediis philoſophantem belli ardoribus, & philoſophum inter libros, naturaeque ratiocinationes tractantem ducum artes, maneraque imperatoria, utrumque cum dignitate, neutrum ſine ſuo & decore, & laude*: haec Pontanus, qui etiam ſeq. carm. eum celebravit

Cernis, ut exultet patriis Aquavivus in armis
Duraque ſpumanti fraena relaxet equo?
Quis mites illum Permeſſi hauſiſſe liquores
Credat, & imbelles excoluiſſe lyras?
Conſurgunt niveae fulgenti in caſſide criſtae;
At clypeus torvo Gorgonis ore tumet.
Macte animo, rigidum muſas qui ſtringere ferrum,
Qui Martem doctos cogis amare choros.
Haec Ducis eſt virtus, non uni inſiſtere palmae;
Sed nomen factis quaerere, & ingeniis.

Marius AEquicola *in lib. de opportunitate* appellat *Andream Matthaeum Aquavivum, Ha-*

Digitized by Google

Hatriae Ducem, ea tempeſtate, *heros bene litteratum, & rei militaris ſcientiſſimum. Et lib.* III. *Mantuanae Hiſtoriae* ait. *Quis non revereatur Andream Matthaeum Aquavivum Hatriae Ducem, Julii viri bellicoſiſſimi filium ob multos reſpectus dominum honore dignum; ſed praeſertim ob ſingularem ejus doctrinam, & in litteris peritiam, quae in tot Regni procellis, ac viciſſitudinibus ſemper tutum eum reddidit? A Ferdinando I. Rege dilectus fuit, ab Alphonſo II. perhumaniter complexus, a Carolo VIII. Francorum Rege ſummo loco habitus. A Federico ſervatus, ab Aloyſio XI. militum Ordinis Sancti Michaëlis numero adſcriptus; tandem a Ferdinando Catholico Rege divitiis, & ſtatu auctus.*

De Andrea Matthaeo Aquavivo Lucas Gauricus in ſuo libello *de vera nobilitate* ſic ait: *Andreas autem Matthaeus Aquavivus Hatrianorum Dux, revera ſtrenuiſſimus in rei militaris diſciplina, atque ſcientiarum omnium encielopedia (uti ex ſuis ſcriptis elicitur) & graece, & latine celeberrimus, veram majorum ſuorum nobilitatem adauxit, atque illuſtravit.*

Sigiſmundus Loffredus *in C. p. §. praeterea vaxallus. quae ſit prima cauſa beneficii amitt.* meminit *illuſtris, prudentis, magnanimi, & fortiſſimi viri domini* Matthaei Aquavivi *Hatriae Ducis fortiſſimi, & inter ſtrenuos Duces, graecis, & latinis litteris eruditiſſimi.*

Hieronymus Zurita *lib.* VIII. *Chron. Aragon. cap.* 34. ad annum 1509. ait *Ferdinandus Catholicus Hiſpaniarum, ac Siciliae Rex, cum Neapoli moraretur ac in Hiſpanias tunc reverſurus eſſet, Proregi, quem ejus loco Neapoli reliquit, praecepit, ut oculos conjiceret in Andream Matthaeum Aquavivum Hatriae Ducem, ut qui magnae eſſet virtutis, & prudentiae, & ab omnibus valde aeſtimatus, & inter omnes praelatus.*

De militari tandem ipſius virtute, & de his, quae ſibi contigerunt in bellis, quae ejus tempore in Regno Neapolitano exorta ſunt, & quae in iis bellis ab eodem Andrea Matthaeo geſta ſunt, hi auctores teſtantur Joannes Albinus *in lib. de bello inteſtino*. Franciſcus Guicciardinus *lib.* v. ejus *hiſtoriae Italiae*. Camillus Portius *in lib. de Conjuratione Baronum*. Philibertus Campanilis *in lib. de familus nobilibus Neapolitanis*, in familia Aquaviva; qui latius de eo, & fere vitam ipſius inſcribit.

ANDREAS MOLFESIUS e Ripa Candida, oppido Melphienſis dioeceſis, Clericus regularis ejus Ordinis, qui Theatini vocantur, ſacrae Theologiae, ac utriuſque juris profeſſor, edidit *Commentaria ad Conſuetudines Neapolitanas, per quaeſtiones diſtributa*. In iis Commentariis ſucceſſionum, & renunciationum omnium alimentorum, dotium, & donationum propter nuptias ampliſſimam materiam diligenter explicat. Acceſſerunt ejuſdem auctoris *Conſilia*, quae his rebus elucidandis valde faciunt. Prodierunt autem *Neapoli. ex typographia Lazari Scorigii. 1613. in fol.* Deiparae Virgini Caelorum dicata.

Edidit quoque tomum ſecundum, qui continet, non ſolum *Additiones* ad totum primum volumen, verum etiam *varias quaeſtiones diverſarum materiarum*, tum ad explicationem prohemii, tum etiam de contractibus inter virum, & uxorem, de conſenſu mulieris viro praeſtito in alienationibus, ac de curialibus, ſive notariis, & eorum inſtrumentis ampliſſimam materiam explicat; acceſſerunt etiam alia triginta ſeptem *Conſilia materiarum, admodum practicabilium, & in utroque foro reſolutarum*. excuſus eſt autem *Neapoli. 1616. apud Lazarum Seorigium. in fol.* Excellentiſſimo Domino D. Franciſco e Caſtro Caſtrenſium Comiti, Tauriſanorum Duci, olim in hoc, tunc autem in Regno Siciliae Proregi dicatus.

Tomus deinde tertius ſuper *Conſuetudinibus Neapolitanis* jam ſub praelo eſt. Elucubravit inſuper *Promptuarium utriuſque juris*,

Digitized by Google

ris, *Divini*, *Canonici*, & *Civilis*, ſeu *ſummam moralis theologiae & caſuum conſcientiae*. ad Illuſtriſſimum Dominum Alexandrum Perettum Cardinalem Montaltum s. R. E. Vicecancellarium, in duas partes diviſum; quarum prior excuſa eſt *Neap. apud Scipionem Bonnium* 1619. *in fol.* poſterior vero poſthuma impreſſa eſt ibidem apud *Lazarum Scorigium*. 1621. *in fol.* in cujus principio ejus vita deſcripta eſt.

Obiit autem Neap die 8. Auguſti 1620. in domo Sanctorum Apoſtolorum ejus Ordinis.

ANDREAS PROVENSALIS Neapolitanus ex Drepano celebri Urbe in Trinacria claro ſtemmate oriundus, Juriſconſultus, cauſarum prius patronus inſignis; deinde inter Regios Conſiliarios cooptatus anno 1626. per viginti circiter annos id munus peregit, religione, & doctrina conſpicuus. Edidit *Obſervationes*, & *gloſſemata ad Conſuetudines Neapolitanas*, & Napodani, ac celebriorum, qui interpretandis Conſuetudinibus floruerunt, loca luſtranda, quae hactenus latuerunt in tenebris; quas morte praeventus non abſolvit, & poſt ejus obitum in lucem prodierunt excuſae *Neapoli. anno.* 1646. *apud Jacobum Gaffarum. in fol.* a Joſepho Provenzali Duce Sancti Agapiti ejus ex . . . . fratre Duca nepote, Domino Duci Arcos Regni Proregi dicatae.

Obiit vero is Neapoli die 10. Martii, & ſepultus eſt in templo Sancti Joſeph Monialium Carmelitanarum diſcalceatarum Sanctae Matris Thereſiae. De eo pariter egimus in libro noſtro, *De origine*, & *inſtitutione Sacri Regii Conſilii*.

ANDREAS PISCARA CASTALDUS Neapolitanus Ordinis Clericorum regularium, qui Theatini vocantur, dein ejus Ordinis Generalis Praepoſitus, edidit librum, quem inſcripſit *Sacrarum Ceremoniarum juxta Romanum ritum*, *ex uſu Clericorum Regularium accuratam diſtributionem*, *Capituli Generalis auctoritate in lucem editam*, opus non ipſis Regularibus modo, verum etiam aliis quibuſvis Eccleſiaſticis apprime utile, excuſ. *Neap. apud Joannem Jacobum Carlinum*. 1613. *in fol.*

Item *Praxim Ceremoniarum*, *ſeu Sacrorum Romanae Eccleſiae Rituum accuratam tractationem*; in qua Eccleſiae Miniſtri cujuſcumque Ordinis in omnibus functionibus, etiam Pontificalibus exacte inſtituuntur, impreſſ. *Neap. apud Lazarum Scorigium*. 1625. *in fol.* dicatam Deo Opt. Max. & Trino.

Obiit autem Neapoli in Aede Sancti Pauli ſui Ordinis die 10. Maji 1629.

ANDREAS SANCTA MARIA Neapolitanus legum doctor, edidit latine librum qui inſcribitur *Iſoplanomia*, *ſeu de armorum*, & *legum collatione*, & *paritate*, ipſo Andrea Conciliatore, quem Domino Fulvio Conſtantio Regiam Cancellariam Regenti dicavit, impreſſ. *Neapoli*. 1621. *apud Secundinum Roncalionem*. *in* 4.

Edidit quoque Italice heroico Carmine librum quem praetitulavit, *Venere Sbandita*, *ovvero il conquiſto del Terzo Cielo*. *Poema eroico morale*, qui excuſus eſt *Neapoli*. 1632. *apud Egidium Longum*. *in* 8. Sereniſſimo D. Ferdinando Secundo Medicaeo Magno Etruriae Duci dicatus.

ANGELLUS AMATUS Neapolitanus praeclarus Juriſconſultus, ac in cauſis patrocinandis, enodandiſque juris ambiguitatibus accuratiſſimus, dein regii patrimonii patronus, demum Regiae Camerae Praeſes, & ad publici juris feudalis Cathedram adlectus eſt. Edidit *Conſiliarium*, *ſive reſponſorum legalium centuriam primam*, adjectis in fine *deciſionibus cujuſque reſponſi*, & Excellentiſſimo Domino Franciſco de Caſtro Tauriſani Duci, Caſtri Comiti, & in Siciliae Regno Proregi nuncupavit, excuſ. *Nea-*

Digitized by Google

Neapoli. 1618. *apud Conſtantinum Vitalem. in fol.*

Scripſit etiam *Secundam Conſiliorum Centuriam*, quam morte praeventus in lucem non edidit; ſed ejus haeredes propediem edere cogitant.

Prolegomena quoque Feudalia edidit, ad *tit. quae ſint regalia*, & *ad cap*. 1. *an agnatus*. quae excuſa ſunt *Neapoli*. *in* 4. abſque die, & conſule, & nomine Thypographi.

Obijt autem Neapoli die 10. Septembris 1626. & in Sancti Severini, & Soſii templum Patrum Caſſinenſium in gentilitio ſacello ſepultus eſt, cui Jo: Baptiſta Urſus in ſuo *Inſcriptionum libro* hanc appoſuit inſcriptionem.

AGNELLVS COGNOMENTO FAMILIAE CONDIMENTO NATVRAE ORNAMENTO DOCTRINAE MERITO VIRTVTIS AMATVS. CAVSARVM NON FVTILI CONTENTIONE SED LIBRAMENTO IVRIS PATRONVS. PATROCINIO ADVOCATVS FISCI AEQVITATEM COLVIT ODIT SYCOPHANTIAM. MOX REGII PRAESES PATRIMONII PVBLICVSQVE FEVDORVM INTERPRES AEQVA PRO FISCO ET IN FISCVM LANCE GRATIAM CONTEMSIT MONVITQVE ET MONET BONIS REGIAM ADIRI ARTIBVS BONIS CAELVM. OBIIT AN. AET. SALVM. CIϽIϽCXXVI.

AGNELLVS CAROLA Neapolitanus legum Doctor, & Sacrae Theologiae profeſſor, edidit opuſculum *De praebenda Theologali*, *& ſtatuta lectione Sacrae Scripturae*. In quo, praeter eminentiſſimorum Concilii Tridentini Interpretum hucuſque ad materiam hanc deſiderata Reſponſa; multa etiam ſive in externo, ſive interno foro verſantibus, nova, & utilia concinnantur. excuſ. *Neapoli*. 1636. *apud AEgidium Longum*. *in* 4. Eminentiſſimo Principi Dominico Ginnaſio S. R. E. Cardinali dicatum.

AGNELLVS PAVLILLVS Neapolitanus Poëta, edidit Carmine Italo, ſecundum antiquas fabulas, *Judicium Paridis* Tragicomoediam. item *Raptum Helenae*, Tragicomoediam, ad Ferdinandum Caraſam Sancti Lucitr Marchionem. *Incendium* quoque *Trojae* Tragoediam, ad Vincentium Caraſa de Ariano, quae omnia excuſa ſunt *Neapoli*. *apud Joannem Mariam Scottum*. *anno*. 1566. *in* 8. & Excellentiſſimo Domino D. Peraſanno e Ribera Alcalenſium Duci, ac in Neapolitano Regno Proregi dicavit.

ANGELVS CAELESTINVS e Montecorbino Ord. Minorum Obſervantium Theologus, ac Theologiae lector, ac concionator illuſtris, & Generalis; qui in pluribus Italiae urbibus magno plauſu concionatus eſt. Multa italice edidit; ſcripſit enim Sermonum partes quatuor, ſive ut ipſe vocat, *Ragionamenti*, quibus unicum, ex quatuor mundi partibus, nomen indidit, nempe:

Orientem Chriſti, *ſive primam partem Orientalem*; videlicet Sermones Theologicos, ſcripturales, & morales ſuper Evangelium Virginis Annuntiatae *Miſſus eſt*: & ab eo habitos Neapoli in regali eccleſia Sancti Didaci ejus Ordinis. excuſos *Venetiis*. *apud Joannem Guerrilium*. *anno*. 1618. *in* 4. ac Sereniſſimae Beatae Virgini Caeli Reginae, mundi Imperatrici, & Matri Verbi incarnati dicavit. Deinde valde auctos iterum *Venetiis* ibidem apud eundem. *anno*. 1619. *in* 4. Sereniſſimo Principi Antonio Priulo Venetorum Duci, & Univerſae Reipublicae Venetae nuncupatos.

Occidentem Chriſti, *ſive ſecundam partem occidentalem*; nempe Sermones theologicos, ſcripturales, & morales ſuper eo, quod de Chriſto ſcripſerunt quatuor Evangeliſtae ex eo tempore, quo ad mortem damnatus fuit, ac ſepulcro traditus. excuſos *Venetiis*. *anno*. 1618. *apud eundem in* 4. Cruce ſignatis ſigno Tau, ac piis contem-

Digitized by Google

templatoribus Crucifixi dicavit:

Aquilonem peccatoris, & ejus exitum de Aegipto, ſive tertiam partem, quae Aquilonis, dicta eſt, ſermones pariter theologicos, ſcripturales, & morales ſuper parabola Prodigi, typi expreſſi peccatoris; & ab eo habitos Neapoli in eadem regali Eccleſia Sancti Didaci; Chriſto auctori, & Redemptori orbis dicatos: excuſo *Venetiis*. 1618. *apud eundem*. *in* 4.

Epithalamia Evangelica Verbi Incarnati ſponſi Eccleſiae ſpiritu prophetico compoſita, & decantata a Virgine Matre ejus benedicta, a Zaccharia, a Simeone ſanctis Sacerdotibus, quorum Cantici triginta ſermonibus ſcholaſticis, & moralibus inibi explicantur. ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. Joannem Tepolum Patriarcham Venetiarum, & Dalmatiae Primatem: excuſa *Venetiis*. 1620. *apud eundem*. *in* 4.

Conciones omnium feſtivitatum Beatae Virginis, quibus cum inventione, ordine, & unitate ſubjecti aperiuntur, ac deteguntur dona, privilegia, gratiae, magnitudines, praeeminentiae, & myſteria earum feſtivitatum; ab eo habitas in praecipuis Italiae Civitatibus, variis temporibus, ac occaſionibus; quas nuncupavit Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Fabricio Verallo S. R. E. Cardinali, & ejus Religionis Minorum Obſervantium protectori: excuſas *ibidem apud eundem*. 1619.. in 4.

Conciones totius Adventus uſque ad Quadrageſimam, tum dominicalium dierum tum etiam feſtorum, eo tempore contingentium; habitas in Aede Divae, Mariae Annunciatae hujus Civitatis Neapolis; tres vero poſteriores habitas in Archiepiſcopali templo Urbis Florentiae: excuſas *Venetiis*. 1619. *in* 4. *apud eundem*. Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Alexandro Martio Mediceo Florentino Archiepiſcopo dicatas.

Ragionamenti Teologici nell' Orazione Dominicale impreſſ. *Neapoli apud Joannem Jacobum Carlinum*.

Ragionamenti Teologici, e Scritturali in quelle parole di Luca Miſſus eſt. excuſ. *Neap. apud eun. Jo. Jacobum Carlinum*.

Ragionamento nel Simbolo degli Apoſtoli, impreſſ. *Neap. apud Lazarum Scorigium*.

Obiit autem Salerni in Conventu Sancti Nicolai ejus Ordinis die 21. Martii 1629.

ANGELVS CONSTANTIVS patritius Neapolitanus, Cantalupi oppidi regulus, poëta etruſcus, ac hiſtoricus inſignis extitit. Aliqua ſcripſit italice tum carmine, tum ſoluta oratione; nempe *Hiſtoriam Regni Neapolitani* ab obitu Federici II. Imperatoris, Neapolitanorum Regis, qui contingit anno 1125. uſque ad Ferdinandum I. ejus Regni Regem anno 1486. duobus voluminibus contentam. Ac priorem partem, quae continet geſta ab eo anno 1125. uſque ad 13... in lucem edidit *Neapoli*. *anno*. 1572. apud *Mattiam Cancer*. *in* 4. Cum alteram partem tunc edere intenderet, dein auctam, & emendatam integram in libros XX. in lucem emiſit; quae *Aquilae* excuſa eſt *apud Joſephum Cacchium*. *anno*. 1581. *in fol.* domino Ferdinando Caracciolo Aerolae Duci, & Biſcari Comiti nuncupata. Eam hiſtoriam perpolito quidem, ac erudito ſtilo concinnavit; in qua etiam Neapolitanum Regnum a Pandulphi Collennucii calumniis in ſuo Compendio tuetur.

Ejuſdem auctoris exſtant *Rithmi* in libro, cui titulus *Fiori di Rime*; quos collegit Hieronymus Ruſcellus ex variis, ea tempeſtate clarioribus poëtis; & excuſus eſt *Venet. apud Jo: Bapt. & Marchium Seſſa fratres*. 1558. *in* 8.

Apologiam trium Sedilium Neapolitanae Urbis, italice pedeſtri oratione, ad Neapolitanam Nobilitatem pertinentem, edidit. Et quamvis ſub *Antonii Terminii* nomine prodierit, Angeli tamen hujus Conſtantii opus fuiſſe nemo eſt, qui ambigat. Ideo autem ſub Terminii nomine, tunc jam mortui, is liber prodiit, ne odium, ac ſimultates nobilium virorum in eum, adhuc vi-

viventem, provocaret, ac concitaret. Nam & ibi tria Sedilia adverſus reliquorum duorum convicia, & objecta tuetur, & praeſertim adverſus librum quem Joannes Baptiſta Carafa contra tria Sedilia moliebatur; atque in eodem libro de Conſtantina familia ejuſque laudibus, nobilitate, atque origine accurate agitur, quod Angelo haec tractare minime licebat, ſed alteri.

ANGELUS FONTICULANUS Aquilanus, ſcripſit latine eleganter quidem, ac perpolite *De bello Aquilae geſto. anno.* 1423. adverſus Aquilanam Civitatem a Bracchio Fortebracchio, e Montone Peruſino, Italicae quondam militiae Imperatore, in quo Bracchius obiit anno 1424. celebriores hiſtorias tum veteres, tum recentiores prope adaequans. Quem librum a Franciſco Vivio Aquilano, adhuc in manuſcriptis latitantem, repertum in ejus *Silva communium opinionum in jure* inſeruit; atque in lucem edidit. Dein excuſ. eſt ſeorſim liber hic *Aquilae. anno.* 1580. *apud Joſephum Cacchium Aquilanum. in fol.*

Scripſit quoque Epigrammatum librum, qui Aquilae a Donato Lucentino e Piccolomineis nondum typis traditus aſſervatur: ut tradit Salvator Maſſonius *in libro De rebus Aquilanis.*

ANGELUS PALEA Juvenatienſis, & Fr. Bartholomaeus de Urbe veteri Ordinis Sancti Franciſci de obſervantia, in Coenobio Arae Caeli Romae exiſtentis, longo temporis ſpatio curandis infirmis ejus Coenobii fratribus praefecti, pharmacopolae artem bene callentes, atque in ea exercitati, ediderunt latine *In antidotarium Joannis filii Mesuae cenſuram, cum declaratione ſimplicium medicinarum, & ſolutione multorum dubiorum, ac difficilium terminorum, & receptarium quam caſtigatiſſimum. opus ſane tam medicinae ſtudioſis, quam aromatariis neceſſarium*, quod *Venetiis. anno* 1543. *apud . . . . . .* prodiit *in fol.* & *Lugduni. apud Joannem Fellonium.* 1550. *in* 8. quod ipſi dicarunt Guilielmo Pellicerio Montiſpeſſulani Epiſcopo, Abbati Scalariarum, atque Chriſtianiſſimi Regis Gallorum Conſiliario, & aequeſtarum Magiſtro. Et quamvis liber is ſit tam neceſſarius & in pharmacopolarum manibus verſatiſſimus, & ſine eo vix ea ars poſſit exerceri; attamen Petrus Andreas Matthiolus in *Commentariis ſuper Dioſcoride* eum librum ſaepius carpit. Vixerunt autem Auctores anno 1543.

ANGELUS SANGRINUS ex oppido nempe Sagri in Aprutinis, fuit ex familia Fagia, quamobrem aliquot ejus Opera prodierunt ſub nomine *Angeli Fagii Sangrini*, pleraque vero *Angeli Sangrini*. Fuit etiam Monaſterii Caſſinenſis Monachus, dein inſigniora, ac celebriora ejus ordinis Coenobia rexit Abbas, & praeſertim Neapolitanum, Cavenſe, & Caſſinenſe; & Praeſes generalis Caſſinenſis ejus Ordinis praefuit. Latino Carmine multa ſacra cecinit, ac etiam pedeſtri oratione conſcripſit; quorum aliqua in lucem edita ſunt; nempe:

Poëſis Chriſtiana, quam edidit cum eſſet Abbas Coenobii Divae Juſtinae Patavii. impreſſ. *Patavii. apud Gratioſum Perchacinum.* 1565. *in fol.* *Angeli Fagii Sangrini Carmina ſacra de pietate in Deum ab auctore recognita, & caſtigata* impreſſ. *Venetiis.* 1520. *apud . . . . . in* 4.

Vita Sancti Benedicti Latino Carmine aereis iconibus decorata, quam inſcripſit *Speculum, & exemplar Chriſtianorum.* & Excellentiſſimo & Illuſtriſſimo Principi Octavio Farneſio nuncupavit, excuſ. *Romae.* 1587. *apud Bartholomaeum Bonfadium. in* 4. & *Florentiae.* 1609. *in typographia Sermartelliana. in* 4.

Tractatum *de Oratione quadraginta horarum*. excuſ. *Florentiae.* 1587. *Tridenti*, & alibi. *In Pſalterium Paraphraſis* diverſo

Carminis genere. impreſſ. *Venetiis*. 1540. & *Baſileae*. 1561. *apud Nicolaum Epiſcopium juniorem*. *in* 4.

Quae autem in lucem non prodierunt haec ſunt: *De ineffabili Jeſu Chriſti nomine*. Carmen heroicum. *In ſeptem Jeſu Chriſti noviſſima verba*. *Meditationes item ſeptem*, eodem Carmine. *De miſericordia, amore, & bonitate Dei erga peccatorem*. *De ſpe peccatoris in Deum*. *Speculum peccatoris*. *Pareneſes ſex in Hebdomadam ſanctam*. *De nominibus Jeſu*. *De contemptu divitiarum, & vanitate humanae vitae*, eodem genere Carminis. *De Jeſu pietate, & amore in peccatorem*, Elegiae duodecim. *Triumphus Divini Amoris*. *In Nativitatem Domini, & omnes alias ejuſdem feſtivitates*, Carmen ſapphicum. *Epicedium in mortem Domini*. *De Jeſu beneficiis erga hominem*. *De laudibus B. Mariae Virginis*, vario Carminis genere lib. I. *Hymnorum de Sanctis* diverſo metro *lib.* II. *De paſſione Domini*, Elegiae duodecim. *Aureae ſententiae, e Davidis Pſalmis excerptae*, Carmine elegiaco. *Vitae SS. Benedicti, Mauri, Placidi, & Jo. Baptiſtae*, Carmine heroico. *Vita* Altera ejuſdem *Sancti P. Benedicti*, Carmine ſapphico, & ſoluta oratione; quae moralem expoſitionem continet. *Pſalterium glorioſae Virginis Mariae*, Carmine ſapphico. *Vita Sancti Guilielmi Anachorethae*, Verſu ſapphico. *De Martirio Monachi*, Carmine . . . . .

Praeter haec ſcripſit *Sermonum, homiliarum, & dialogorum ſoluta oratione lib.* I. *Vita Sancti Potiti martyris*, Sapphico verſu *lib.* I. *Vita Sancti Wilhelmi Politiani Anachoritae*, eodem verſu *lib.* I. *Vita Beati Joannis Apuli Biſontini Monachi Caſſin.* verſu ſapphico *lib.* I. *De Sanctis Patribus Cavenſibus*, Carmen heroicum. *De Vita, & obitu Pauli Pici Papienſis* Monachi Caſſinen. heroicum. *De nonnullis Caenobii Montisregalis rebus componendis, Dialogus*, interlocutoribus B. Virgine Maria, & Rege Gulielmo. *Caroli V. Imperatoris laudes*, heroico verſu. *De dirimendo inter Turcas Foedere*, ad Henricum II. Gallorum Regem lacrymabile phaleucium. Servantur autem haec manuſcripta, & alia plura hujus auctoris opera in Bibliotheca Caſſinenſis Coenobii, & Venetiis apud RR. PP. Theatinos. Ea quoque opera memorantur ab Arnoldo Uvion in ſuo *Ligno vitae lib. . . . cap. . . .* & ab Antonio Poſſevino in I. *vol. Apparatus Sacri fol.* 39. & in additionibus *fol.* 10.

Obiit vero in Caſſinenſi Caenobio, anno 1593. aetatis ſuae anno 93. aſſumpti autem habitus in eo Monaſterio anno 74.

Sixtus Senenſis *lib.* IV. *Bibliothecae ſanctae fol.* 302. & Antonius Poſſevinus in III. *vol. Apparatus ſacri fol.* 195. vocant illum *non ignobilem poetam*.

ANGELUS SCIALOYA e Terra Novi, Provinciae Principatus Citerioris legum doctor fuit. Edidit *Praxim Forjudicatoriam, ſeu de modo procedendi in Regno Neapolitano ad ſententiam forjudicationis contra reum abſentem in ejus contumacia vigore Conſtitutionis Regni, poenam eorum &c. Neapoli. anno.* 1645. *apud Camillum Cavallum. in fol.* Domino Michaeli Salamanchae Regenti regiam Cancellariam ſupremi Senatus Italiae apud Catholicam Majeſtatem dicatam.

ANGELUS THYCUS e Morciano, Hydruntinae provinciae philoſophus, & in Patavina Accademia publicus Logicae profeſſor; edidit *Quaeſitum, & praecognitiones libri Praedicamentorum Porphyrii, quae cum opinionibus omnium noſtri temporis Philoſophorum recenſentur*. ad D. Didacum e Mendotia Caeſaris apud Paulum III. Rom. Pontif. legatum. excuſum eſt *Patavii. anno.* 1547. *apud Bernardinum de Bindonis Mediolanenſem, & Jacobum Fabrianum ſocios. in fol.*

Item edidit *Lectiones de praecognitionibus Lo-*

Digitized by Google

Logices, quae prodierunt *Venetiis*. *anno*. 1547. *in fol.* abſque nomine impreſſoris.

Antonius Riccobonus *Commentariorum de Gymnaſio Patavino lib.* I. *cap.* 15. teſtatur *Angelum Thyeum Patavium ad Logicam explicandam anno* 1524. *fuiſſe accitum*; *eamque per plures annos fuiſſe interpretatum*.

ANGELUS VULPIUS a Montepoloſo, in Lucania, Ordinis Minorum Conventualium fuit ſacrae Theologiae Magiſter, Provincialis Hyberniae, & in Caenobio Neapolitano Divi Laurentii ordinis ſtudii Regens. Edidit *Commentaria in Sacrae Theologiae Summam Joannis Duns Scoti Doctoris ſubtiliſſimi*, *quibus ejus doctrina elucidatur*, *comprobatur*, *ac defenditur*. *opus*, (ut titulus habet) *ex ejuſdem Scoti contextu*, *non minus induſtrioſe*, *quam fideliter excerptum*, & *a nemine uſque modo typis traditum*; quod in plures partes, ac tomos diviſit; quorum primus tomus prioris partis excuſus eſt *Neapoli*. *anno*. 1622. *apud Lazarum Scorigium. in fol.* Domino Marcello Cardinali Lantes ejus ordinis protectori dicatus. Tomus vero II. partis primae prodiit *ibidem apud eundem*. 1622. *in fol.* Joanni Garziae Mellino Cardinali nuncupato. Tomus III. primae partis excuſus eſt *ibidem apud eundem*. 1628. Fratri Felici Franciſchino Caſſiani, totius Ordinis Minorum Conventualium Miniſtro Generali dicatus.

Tomus I. partis II. prodiit *ibidem apud eundem*. 1631. *in fol.* Domino Dominico Cardinali Gymnaſio nuncupatus. Tomus II. partis II. editus eſt *ibidem apud eundem*. *anno*. 1633. Domino Antonio Barberino Cardinali Sancti Honufrii dicatus. Tomus III. partis II. excuſus eſt. *Neapoli*. 1635. *apud Lazarum Scorigium*. *in fol.* Eminentiſſimo Domino Franciſco Cardinali Barberino dicatus.

Tomus I. partis III. prodiit *anno*. 1637. *apud eundem Lazarum*, Summo Pontifici Urbano VIII. dicatus. Tomus II. partis III. editus *anno*. 1640. *typis Agnelli Caſſettae*. Reverendiſſimo P. Magiſtro Joanni Baptiſtae Berardicello a Lacino ejuſdem Ordinis Generali Miniſtro dicatus. Tomus III. partis III. excuſus eſt *typis* ejuſdem *Agnelli Caſſettae*. *anno*. 1641. dicatus Eminentiſſimo Cardinali Antonio Barberino Magno Camerario.

Tomus I. partis IV. editus eſt in typographia *Camilli Cavalli*. *anno*. 1642. Eminentiſſimo Franciſco Barberino Cardinali Vicecancellario dicatus. Tomus II. part. IV. impreſſus apud eundem *Cavallum*. *anno*. 1644. Molitur alias partes uſque ad num. 20.

Item ſcripſit Italice *Brevem narrationem vitae*, *martyrii*, *ac miraculorum inv ictiſſ. Sancti Gregorii martyris*, *Apoſtoli*, *Archiepiſcopi*, & *Primatis magnae Armeniae*, *tutelaris nobiliſſimi Coenobii Sanctimonialium Neapolis*, *ſub ipſius ſancti nomine*, *ac patroni totius Regni*, & *hujus Civitatis Neapolis*, quam dicavit Beatiſſimae Virgini Mariae Matri Dei, & eidem Sancto Gregorio: excuſa eſt autem *Neapoli*. 1636. *apud Lazarum Scorigium*. *in* 4.

Lucas Waldignus in *Annalibus Minorum tom.* I. ad annum 1634. *n.* 15. *fol.* 519. agens de fundatione Conventus Sancti Laurentii Neapolis meminit ejus auctoris lucubrationum, quas hucuſque in lucem emiſit in primum librum Scoti, aitque *hominem per univerſas academias fuiſſe commendatum*, *ſitimque addere plurium ejuſdem argumenti voluminum*.

Obiit autem Neapoli in Conventu Sancti Laurentii ejus Ordinis die 20. Martii 1647.

ANNIBAL BRIGANS ex Civitate Theatina, in Marrucinis, Philoſophus, ac Medicus, tranſtulit ex Luſitana, in Italicam linguam *Libros* IV. *Hiſtoriae ſimplicium aromatum*, & *aliarum rerum*, *quae deferuntur ex Indiis Orientalibus ad uſum medicinae pertinentium*: editos a D. Garzia ab Horto Luſitano inſigni Medico Pro-

re-

Digitized by Google

regis Indiarum ; quos quidem libros vir clariſſimus Carolus Cluſius verterat in latinum , ac in epitomen contraxerat , *cum aliquot ejuſdem Cluſii annotationibus*. Ac etiam ex Siviliana in Italicam linguam vertit duos alios *Libros Nicolai Monardi Medici Siviliani , de iis rebus , quae deferuntur ex Indiis Occidentalibus , cum ejuſdem Monardi tractatu de Nive , & potu frigido*. quae omnia excuſa ſunt ſimul *Venetiis*. *anno*. 1616. *apud Joannem Salis*. *in* 8. Floruit autem Annibal anno circiter 1560.

ANNIBAL CANALIS e Vico, in Apulia, apud Montemgarganum, Societatis Jeſu; edidit Italice Tomum I. *De Vitis Patriarcharum , ſeu Inſtitutorum Ordinum Religioſorum*. *Romae*. 1623. *apud Stephanum Paulinum , & Guilielmum Facciottum*. *in fol.* Scripſit quoque reliquas Decades IX. quas habet praelo paratas ; ſcripſit & alia quae non ſunt adhuc edita.

ANNIBAL MASCAMBRVNVS Patritius Beneventanus Epiſcopus Stabienſis ; edidit latine librum , in quo contendit , ac probat corpus Sancti Bartholomaei Apoſtoli Benevento ſervari , non autem Romae. Liber autem ſic praetitulatur , *Diſſertatio de corpore Divi Bartholomaei Apoſtoli Romaene , an Beneventi aſſervetur* : qui excuſus eſt *Montisfuſculi*. *anno*. 1636. *apud Laurentium Valerium*. *in* 4. Eminentiſſimo Domino Franciſco S. R. E. Cardinali Barberino dicatus.

Cumque a Philippo IV. Hiſpaniarum Rege praeſentatus fuiſſet ad Archiepiſcopalem Reginam Eccleſiam , quae regii juriſpatronatus , ac Romae praeconizatus eſſet , priuſquam ejus eccleſiae poſſeſſionem adipiſceretur , obiit Neapoli die 26. Feb. 1644. & in templo Sanctae Clarae ſepultus eſt.

ANNIBAL MOLES Juriſconſultus , etſi ex Hiſpania oriundus (e Gerunda enim in Iberia ejus majores Neapolim advecti ſunt) , is tamen Neapoli eſt genitus , & in urbe Gravina natus ; ubi Franciſcus ejus Pater regius Provincialis Theſaurarius , & Juricaſtri, prope Gravinam , dominus reſidebat : ex Beatrice quoque Toloſa Neapolitana matre natus. Plures , & ſupremos in Regno functus eſt Magiſtratus ; primo enim Magnae Curiae Judex , dein Regiae Camerae Summariae Praeſidens fuit , mox Regiam Cancellariam Regens in ſupremo Italiae Conſilio apud Philippum II. Hiſpaniarum Regem : & in Hiſpaniis per aliquot annos commoratus ; demum Neapolim reverſus Regiae Cancellariae in Regno Regens praefuit, & magni Prothonotarii vices exercuit.

Scripſit autem *De legitima ſucceſſione in Portugalliae Regno pro Rege Catholico*. & *De ſucceſſione Ducatus Britanniae pro ſereniſſima Infanta*: excuſa ſunt autem *Neapoli*. 1608. *apud Joannem Jacobum Carlinum , & Conſtantinum Vitalem*. *in* 4. poſt ejus mortem D. Thomae Moles ejus filii cura.

Scripſit quoque *Deciſiones , tam Regiae Camerae* , dum is ibi praefuit Praeſes, *quam Regii Collateralis Conſilii*, cum Regens adſtitit , quae adhuc non ſunt aeditae ; ſed cito in lucem prodituræ expectantur .

Obiit autem Neapoli die... 1607. extat autem Neapoli marmorea ejus inſcriptio in Sancti Spiritus Fratrum Praedicatorum aede, hunc in modum.

ANNIBALI MOLES INTEGRITATE ET GRAVITATE PRAESTANTI IN PVBLICIS ET MAXIMIS NEGOTIIS AGENDIS IVREQVE REDDENDO SVMMA CVM LAVDE VERSATO A PHILIPPO II. CATHOLICO REGE IN HISPANIA AD SVPREMVM ITALIAE CONSILIVM COLLOCATO MOX NEAPOLIM AD REGIA IVRA TVENDA MISSO QVOD ITA IN CVNCTIS OPTIME SE GESSIT VT MORTVVS TRISTE SVI DESIDERIVM RE-

RELINQVENS IN POSTERVM MEMORIA SIT SEMPER VICTVRVS IVLIVS MOLES FRATRI CARISSIMO AMORIS MVTVI AC MERITORVM CAVSA PC. M. D. C. VII.

ANNIBAL PICA Aquilanus Juriſconſultus, quem Bernardinus Cyrilius *lib.* X. *Annalium Civitatis Aquilae* appellat *legum doctorem valde honoratum ;* & Hieronymus Picus Fonticulanus in brevi ejus *Deſcriptione ſeptem illuſtrium Italiae Civitatum* vocat *Juriſconſultum celeberrimum*, ac dicit *Gubernatorem fuiſſe Senarum*, *& Commiſſarium electum a Carolo V. Caeſare inter Florentinos, & Senenſes*.

Conſpicitur in Civitate Senarum in Palatio Magiſtratus, ſeu Capitanei Juſtitiae inſcriptio in marmore inciſa, cum inſignibus familiae Picae, hunc in modum.

DOMINVS ANNIBAL AQVILANVS EX PICORVM FAMILIA V. I. D. ET GENEROSVS EQVES POST RECVPERATAM LIBERTATEM SECVNDAM GESSIT PRAETVRAM ANNO MDXIX.

Scripſit doctum volumen *Conſiliorum, ſive Reſponſorum legalium;* quod manuſcriptum habetur.

ANNIBAL ROSSELVS, Calaber, Ordinis Minorum obſervantium, Philoſophus, ac Theologus inſignis fuit; & in celeberrimo Conventu Sancti Bernardini Cracoviae ejus Ordinis theologiae, & philoſophiae profeſſor. Edidit profuſiſſima, atque erudita *Commentaria in Mercurii Triſmegiſti antiquiſſimi Philoſophi, ac naturalis Theologi libros*, qui *Cracoviae* ſex magnis voluminibus in folio excuſa ſunt, nempe:

In Pymandino ejuſdem *Mercurii liber* I. *de Sancta Trinitate* impreſſ. *Cracoviae in typographia Lazari. anno.* 1585. *in fol.* Reverendiſſimo Patri Fr. Franciſco Gonzaghae ejus ordinis Generali Miniſtro dicatus.

Ad Pymandinum liber II. *de Spiritu Sancto, & de Angelis*, ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum D. Ferdinandum Medices S. R. E. Cardinalem: impreſſ. *Cracoviae* apud eundem. 1586.

Tomus IV. *ad Pymandinum de Caelo*, ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Principem Dominum Staniſlaum Karn-Kouski de gratia Archiepiſcopum Gereſnen. Legatiſnatio, Regni Poloniae primatem, ac primum Principem: impreſſ. *Cracoviae. apud eundem.* 1584.

Tomus V. *Ad Pymandinum, De elementis, & deſcriptione totius Orbis*, ad Stephanum Primum Poloniae Regem: excuſ. *Cracoviae. apud eundem.* 1586.

Tomus VI. *ad Aſclepium* ejuſdem *Mercurii Triſmegiſti de immortalitate animae*, qui eſt primus Aſclepii: excuſ. *Cracoviae. apud eun. anno.* 1590. ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum D. Joannem Demetrium Solikowski Archiepiſcopum Leopolienſem.

Antonius Poſſevinus in ſuo *Apparatu ſacro* meminit libri *de Sacramentis* conſcripti ab hoc Roſſelo.

ANNIBAL TROYSIVS Cavenſis Juriſconſultus; ſcripſit *Commentaria ſuper aliquot Pragmaticas Neapolitani Regni*, quae Jancolae de Vicariis Salernitano Magiſtro ſuo anno 1533. conſcripſit, ut nuncupatoria epiſtola docet. Praefert etiam is liber ejuſdem ſui magiſtri epiſtolam ad eundem Annibalem, in qua librum, atque auctorem maxime commendat. Is quoque Annibal pariter eum librum nuncupavit dominis Hieronymo de Colle, Sigiſmundo Loffredo, Joanni Frigueroae, & Cicco de Loffredo Regiam Cancellariam Regentibus. Ea quoque *Commentaria recognita* fuere ab eodem Joancola, atque a Joanne Thoma de Moriandis Regio Conſiliario de ordine Sacri Regii Conſilii, *& cura, ac apoſtyllis Petri Pauli de Anna* Cavenſis cl. doctoris edita ſunt *Venetiis. anno.* 1545. in

in fol. Eadem *Commentaria ſuper Pragmaticis cum multis additionibus* ab ipſo auctore noviter editis, recuſa ſunt *Neapoli*. 1554. *in fol.* eidem Janculae de Vicariis dicata. Demum pluries recuſa ſunt, ſimul cum aliis auctoribus, qui ſuper pragmaticis Regni Commentarios ediderunt; ut inferius in Scipione Rovito dicemus.

Edidit etiam *Expoſitiones*, *ſive Commentaria ad Ritus Magnae Curiae Vicariae Regni Neapolis*, quae ſimul cum eorumdem Rituum textu, atque appendicibus Joannis Michaelis Troyſi Cl. doctoris; & Hieronymi de Lambertis ſimiliter Cavenſium, in lucem edita ſunt, quae is auctor Joanni Thomae Minadoi Regio Conſiliario anno 1545. dicavit. Habetur etiam ejuſdem Minadoi ad Annibalem Epiſtola, qua librum, & Troyſium non parum laudat. Addita etiam eſt *Explicatio nonnullarum recentiorum Pragmaticarum Caroli V. Caeſaris*: quae omnia excuſa ſunt *Neapoli*. *anno*. 1548. *apud Joannem Paulum Suganappum. in fol.* Recuſa ſunt quoque ea commentaria ſuper Ritibus, ſimul cum textu Rituum, & Commentariis Proſperi Caravitae pluries, ut in eodem Caravita dicemus.

ANTONIUS PONTUS Conſentinus ſcripſit latine librum, cui titulus eſt *Rhomitypion*; in quo omnia, quae notatu digna ſunt urbis Romae, & nova & vetera breviter, & facile ſcribuntur; ac etiam hujus mundi varietas, inſania, ac fragilitas depingitur; totius terrae quoque ſitus, aëris, & ſuperiorum omnium cognitio, quicquid eſt ab ultima circumferentia ad centrum Univerſi, & breviſſima coſmographia continetur: quae Domino Joanni Ruſo Conſentino Archiepiſcopo dicavit: excuſa ſunt autem *Romae*. *anno*. 1573. *apud Jacobum Mazocchium*. *in* 4. item ibidem *anno*. 1524. *apud Antonium Bladum de Aſula. in* 4.

Scripſit quoque latine *de Bello Tuniſienſi*, ad Carolum Caeſarem Auguſtum Imperatorem, ut ipſius nuncupatoria epiſtola docet ſub datum e Guletta 16. Kal. Septembris 1535. Teſtatur quoque in ea epiſtola, id opus inter tumultus bellicos tumultuario calamo de Tuniſienſi bello per tranſtra, & arenam inculte nimis, incommode, ac breviter ſcripſiſſe. Habetur is liber manuſcriptus penes legum doctorem Franciſcum Antonium Purpuram Neapolitanum. Gabriel Barrius *lib.* 11. *de Antiqu., & ſitu Calabriae fol.* 125. meminit Antonii Ponte Conſentini *in utraque lingua eruditi*.

ANTONINUS STABILIS a Sancto Angelo, ad Faſanellum, Ordinis Praedicatorum, divini verbi declamator inſignis; ſcripſit latine ſatis docte, ac erudite *Introductorium duplici ternario comprehenſum*, ad ſingula Quadrageſimae Evangelia pro concionibus habendis appoſite relatum, ex Sacris Scripturis, decretis Pontific., ac aliorum doctorum monumentis diligenter excerptum, una cum viginti ſuper ſexcentum figuris ad varia applicabilibus, eorundem Evangeliorum coordinatione, quamplurimiſque doctrinis, prophetiis, figuris, & dictis ad amariſſimae Jeſu Chriſti paſſionis ordinem devote explicandum, maxime condncentibus, in quinque libros diſtributum: Reverendo Fratri Joanni Dominico Vignutio Ravennati, Sacrae Theologiae Magiſtro Ordinis Praedicatorum in toto Venetiarum dominio generali Inquiſitori, impreſſ. *Venetiis*. *anno* 1610. *apud Nicolaum. Miſſerinum in* . .

ANTONIUS AGELLIUS ſive ut Italice, ac vulgo appellatur *de Ajello* Neapolitanus, Ordinis Clericorum Regularium, qui Theatini vocantur dein Acernenſis Epiſcopus a Clemente VIII. Rom. Pontif. anno 1594. creatus, Theologiae, ac Sacrae Paginae profundiſſimus profeſſor, ac doctrinae eruditione, & linguarum varietate

tate celebris. Tres enim praecipue externas linguas apprime callebat, Hebraeam nempe, Graecam, ac Caldeam. In corrigendis ſacris libris, ac in latinam linguam transferendis diu laboravit Romanorum Pontificum juſſu; per duodecim enim continuos annos cum aliis eruditis viris, & linguarum cognitione praeſtantibus id munus exercuit. In Conciliis nempe Generalibus tum Graecis, tum Latinis edendis ſub Gregorio XIII. vacavit, in quorum emendatione plurimum inſudavit, ac praeſtitit; ac plus laboris impendit, quam ſi ea denuo atque ex integro tranſtuliſſet. Cum compluribus enim textibus Graecis, collatis exemplaribus, multa correxit loca tum notorie depravata librariorum, ac ſcriptorum incuria; tum quoque male verſa. Et Concilio Epheſino, quod inter generalia, tertium numeratur, ſpeciali ejus labore addidit *Sancti Cyrilli Alexandrini Epiſcopi libros* V. *Graece ſcriptos adverſus Neſtorium*, qui adhuc in MSStis latitabant; qui praeterquam textum Graecum accurate correxit, cum pluribus MSStis codicibus illum conferens, vertit quoque ipſos in latinam linguam; additis *duabus Graecis Epiſtolis ad Succeſſum Epiſcopum, & alia Procli Patriarchae Conſtantinopolitani ad Armenos*, quas in latinum quoque vertit. Ex his vero Conciliis prima quatuor latine, & graece excuſa *ex Typographia Vaticana* prodierunt.

In emendatione Sacrae Bibliae Graecae LXX. Interpretum diu inſudavit, cum aliis doctiſſimis viris, quampluribus vetuſtis, ac MSStis exemplaribus collatis, ex univerſo Chriſtiano orbe Romam delatis; quae tandem *ſub Sixto* V. *Pontif. Romae* excuſa eſt.

Dedit quoque operam *Correctioni Bibliae Latinae, ac Vulgatae editionis*, quae ex decreto Sacroſanctae Tridentinae Synodus emendari debebat, atque ei, aliiſque demandata eſt, cum innumeris antiquiſſimis exemplaribus collata in lucem prodiit: ac *ſub Clemente* VIII. *Biblia reviſa eſt*, eo etiam accito.

Tranſtulit etiam e Graeco in Latinum impulſu Antonii Cardinalis Carrafae religioſiſſimi, atq. erudit iſſimi viri S. *Cyrilli Epiſcopi Alexandrini de Adoratione in ſpiritu, & veritate* lib. XVII. quos Sixto V. obtulit; excuſi ſunt autem *Romae. anno*. 1588. *apud Georgium Ferrarium. in fol.*

Pſalterium Sancti Petri de Urbe emendavit juxta antiquam correctionem a S. Hieronymo editam, quod Canonicis, & Capitulo Eccleſiae illius Patriarcalis ſemper in uſu fuit; & tandem cum ejus emendatione, & cenſura, Clementis VIII. juſſu recuſum *Romae* eſt, & illius Eccleſiae uſui continuatum.

Scripſit *Commentarium* in *Lamentationes Jeremiae Prophetae ex Graecis auctoribus collectum, & in eaſdem ſuam Explicationem* excuſum *Romae. anno*. 1589. *apud Franciſcum Zannettum. in* 4. Illuſtriſſimo Domino Marcantonio Columnae S. R. E. Card. & Epiſcopo Praeneſtino dicatum.

Commentarium quoque *in Habacuc*, quod excuſum eſt *Antuerpiae*. 1597. *in offic. Plantin. apud Joannem Moretum. in* 8. Eccellentiſſimo Domino Antonio a Cardona e Corduba Duci Sueſſano, & Catholicae Majeſtatis apud Romanum Pontificem oratori dicatum.

Commentarios edidit *in Pſalmos, & divini officii Cantica* praegrandi volumine, ibique maximo labore, ac ſumma diligentia multas expoſitiones diverſorum Graecorum Patrum, quorum opera adhuc edita non ſunt, collegit, excuſ. *Romae. in typographia Vaticana*. 1606. *in fol.* Paulo V. Pontif. dicatas.

Expoſitionem inſuper *ſuper Proverbia Salomonis, & ſuper omnes Prophetas minores*. Quae etſi expleta ſit, ob ingraveſcentem tamen aetatem, & adverſam valetudinem, quae eum invaſit, non valuit illam in lucem edere; nec aliis ejus laboribus, nempe *Commentariis in majorem partem Sacrae Scripturae* extremam manum imponere.

Obiit autem Romae anno 1609. in domo Sancti Silveſtri ejus Ordinis, aetatis ſuae annorum 76.

De Antonio Agnellio, ejuſque vita, eruditione, ac libris ab eo editis Jo: Baptiſta de Tuſo Epiſcopus Acerrarus in *Hiſtoria Cler. Regularium cap. 71. ſol. 271.*

Meminit quoque ipſius Caeſar Baronius in *Annotationibus ad Martyrol. Romanum. die 15. Auguſti, in V. Sacramenta portantum*: ubi appellat *ſuum Antonium Agellium Graecis facultatibus egregie exculptum*.

ANTONIVS DE ALEXANDRO patricius Neapolitanus a tenera aetate civilem ſcientiam eſt amplexus; cujus amore flagrans patriae ſuae doctoribus non contentus celebriora Italiae gymnaſia petiit. Etenim Ferrariae, Seniſque Franciſci Aretini Juriſconſultorum illius temporis principis auditor fuit; ſub cujus diſciplina aſſiduo ſtudio, ac exercitatione mirum in modum profecit: & Doctoris gradum ſuſcepit. Ac in patriam reverſus, didiciſſe ſolum non contentus (ne ſibi ſoli natus videretur), ea, quae didicerat, profiteri publica Cathedra decrevit; ut virtutem ſuam in patria propagaret. Et, ubi primum leges interpretari in patrio gymnaſio caepiſſet, famam ſuam uſque ad ultimos Europae fines expandit; ita ut non ex Regno, & univerſa Italia ſolum, ſed etiam ex Galliis, Hiſpaniiſque ad illum audiendum paſſim, & gregatim confluxerint.

Erat enim vir in utroque jure conſultiſſimus, acris, & maximi ingenii; in animi ſententia explananda facilis; in perſuadendo admirabilis; quo exercitio uſque ad extremum ſenium indefeſſus perfunctus eſt; e cujus diſciplina, tamquam ex equo Trojano innumerabilis Juriſperitorum numerus Supremis Magiſtratibus, ac jure dicendo illuſtrium, prodiit. Et quamvis jura in publica Cathedra edoceret, Clientum tamen cauſas in foro agebat, & inter primarios cauſarum patronos habebatur. Etenim eminentiſſimae juris peritiae omnes fere corporis, & animi dotes, quae in homine expectari poſſunt adjunxerat; Erat autem ingenio promptus; uſu exercitus; ſermone elegans; eloquio diſertus; vehemens orator; conſiliis providus; ſimplex; non pretii, ſed juſtitiae, & veritatis amator, & illarum acerrimus propugnator; calumniantibus hoſtis gravis; vita integerrimus; in veterum monumentis, ac hiſtoriis non mediocriter verſatus.

Hunc optime noſcens Ferdinandus Senior Neapolitanorum Rex anno 1458. eum, etſi adoleſcentem, ad Pium II. Rom. Pontif. Oratorem miſit pro graviſſimis rebus; nempe pro obtinenda Regni Corona, Andegavenſibus Ducibus mirum in modum adverſantibus. Eumque Pontifex ille doctiſſimus de juribus ſui Regis diſſerentem audivit, & admiratus eſt Antonii facundiam, & doctrinam; & non ipſe modo, ſed omnis ille ampliſſimorum Patrum conſeſſus. Regreſſus eſt igitur Antonius ſummo cum omnium plauſu, & laetitia tum ob coronam ſuo Regi obtentam; tum etiam ob Inveſtiturae Diploma, ipſius conſilio conſcriptum. Sicq. Rex, ejuſque ſucceſſores graviſſimas quaſque Legationes Antonio demandarunt tractandas. Etenim ad Joannem Aragoneum Regem, & ipſius Ferdinandi patruum Orator bis delegatur; & in priori Legatione nuptias inter dictum Regem Ferdinandum, & Joannam Reginam iniit. Dein ad Gallorum Reges bis Legatus, ſed magni momenti, ac praeclara negotia geſſit. Fuit inſuper ad Romanos Pontifices Innocentium VIII. ſemel, Alexandrum VI. bis pro ſummis rebus miſſus, & nunquam non voti compos rediit. Quamobrem Aragoneis Regibus ſemper cariſſimus fuit, ac praeſertim eidem Ferdinando, a quo multis muneribus, atque honoribus affectus, & cohoneſtatus eſt; ab eo enim praeter Equeſtrem dignitatem (qua fuit munifice donatus), in Supremum quoque Regium Senatum adlectus eſt anno 1465., dein anno 1460. Viceprothonotarii dignitate collata, Sacro Conſilio praefectus; quae munera, ac dignitates nedum ſub Rege Ferdinando I.

ve-

verum etiam ſub Regibus Alphonſo II. Ferdinando II. Carolo VIII. ac Federico, quoad vixit, tanta integritate, ac prudentia functus eſt, ut exprimi nec poſſit, nec cogitari.

Tandem cum diu bene, ac proſpere vixiſſet, integra animi, & corporis valetudine, honorum, dignitatum, & divitiarum, ac bonorum omnium incrementis locupletiſſime uſus, ſenio confectus obiit Neapoli die 26. Octobris 1499. In cujus funeribus ſequenti die peretegantem, ac candidiſſimam habuit orationem Franciſcus Puccius Fiorentinus vir erudiſſimus, coram Ferdinando Aragoneo Calabriae Duce, aliiſque praeclariſſimis viris in Baſilica Santae Mariae Montis Oliveti; e qua omnia fere, quae ſuperius diximus, percepimus. Sepultus autem fuit in ea Montis Oliveti Sacra aede in Marmoreo monumento, in quo haec legitur inſcriptio:

ANTONII DE ALEXANDRO ET MAGDALENAE RISCIAE CONIVGVM QVOS DEVS CONIVNXIT HOMO NON SEPARET ANTONIVS DE ALEXANDRO IVRISCONSVLTVS AD SVAS ET SVORVM RELIQVIAS QVOVSQVE OMNES RESVRGAMVS REPONENDAS SACELLVM CONSTRVXIT ET REDEMPTORI NOSTRO DICAVIT. MCCCCLXXXXI.

Reliquit autem poſteris ingenii ſui ſpecimen, ac inſignia monumenta, pleraque ſcilicet volumina. Scripſit namque doctiſſimos Commentarios ad leges ab ipſo in Scholis expianatas, quorum pauca quaedam excuſa ſunt, ac in lucem edita; nempe ſuper ſecundo Codicis, hoc titulo adjecto, *Reportata clariſſimi utriuſque juris interpretis Domini Antonii de Alexandro ſuper ſecundo Codicis in florenti ſtudio Partenopaeo. anno. 1473.* excuſus eſt autem liber *Neapoli. in officina Sixti Rieſſinger Alemani. anno. 1474. in fol. paginae regalis.*

Caetera vero ejus Lecturae multis vaſtis contenta voluminibus ſervabantur apud Dominum Felicem de Januario regium Conſiliarium; qui de illis in lucem edendis cogitabat. Ejuſdem quoque Antonii *Lecturas ſuper Infor. & D. novum* manuſcriptas ſervabat dominus Vincentius Corcionus Neapolitanus Juriſconſultus Regiae Camerae Praeſes. Et *ſuper D.* vel partem MStas habebat Paulus Pepius legum doctor. Vidimus quoque apud Joannem Lucam Longobardum Jurisconſultum MStum librum, cui titulus erat: *Recollectae Domini Antonii de Alexandro in titulo ſoluto m trimonio &c. De liberis & poſthumis, & vulgari, & pupillari ſubſtitutione collectae per Franciſcum Mirebaliam ejus ſcholarem, dum idem Antonius in Neapolitano gymnaſio anno 1466. publico regio ſtipendio conductus legeret, & concurrens domini Andreae Maricondae in lectione extraordinaria.*

Aliqui etiam ex Regni doctoribus citant Antonii *Lecturas*, ac *Recollectas*. Afflictus enim *deciſ.* 322. *num.* 11. allegat Recollecta domini Antonii de Alexandro *in l. ſtipulatio hoc modo concepta. ff de verb. oblig.* Et Grammaticus *deciſ.* 5. *num.* 3. citat Antonium de Alexandro *in l. metum C. de his, qui per metum*. Marius Freccia in *tract. de praeſentatione inſtrum. part.* 12. *num.* 19. citat Antonium de Alexandro *in l. fin. ff. de in jus vocando*. Idem quoque Freccia *lib. primo de ſubfeud. cap. de origine Baronum. num.* 23. citat Antonium de Alexandro *in cap.* ſimiliter *de Capitaneo, qui Curiam vendidit*.

Scripſit doctiſſimum *Reſponſum Legale in feudali materia in cauſa Antoniae Tomacellae*, quod habetur inter Conſilia Alexandri de Imola *lib.* 5. *conſ.* 28. ac etiam poſt Sigiſmundi Loffredi *Conſilia* repoſitum.

Optimas etiam *Additiones* elucubravit *ad varios libros legales*, quae in cauſarum deciſionibus non modicam auctoritatem in Regno nanciſcuntur. Addidit etiam *multa ad gloſſam Neapodani Sebaſtiani ſuper Conſuetudinibus Neapolitanis*, quae jam excuſa ſunt cum textu earum Conſuetudinum, & Neapodani gloſſis, atque aliorum doctorum additionibus.

Scripſit *Additiones ad Bartolum*, quas Grammaticus in *quaeſtione prima* poſt ejus deci-

deciſiones num. 4. jactabat ſe ipſum dumtaxat eas integras habere ad pennam exemplatas ab ejus cartulis. Idem Grammaticus *deciſ.* 88. *num.* 5. citat. ipſius Antonii *Additiones ad Andream de Iſernia ſuper conſil.*

Antonius quoque Capicius in *Repert. Cap. Imperialem* paſſim citat Antonii de Alexandro *Additiones ad Andream in Conſtitutionibus Regni*. Sunt autem ipſius Antonii de Alexandro ſcripta, ſive *Additiones* ad eas Conſtitutiones in lucem editae, cum aliorum gloſſis, ac commentariis.

Caeterum placuit referre laudes, elogia, encomia, ac commendationes, quas ſcriptores tum patrii, ac noſtri, tum vero exteri ejus aetatis, ac ſequentium huic Antonio de Alexandro tribuunt; quae certe omnibus praebent admirationem. Vocatur enim vir ſummi ingenii ab Afflicto, in *deciſ. prima num. primo* & in *conſil. Regni conſtitut. divae memoriae num.* 48., & in *conſtit. hac lege in* 3. *notab. verſ. an autem num.* 8. *Illuſtre ingenium domini Antonii de Alexandro in praeſentiarum Cathedram ordinariam regens in noſtro ſtudio Neapolitano*. Pariterque in *§. hoc quoq. de ſucceſſ. feud. num.* 38. *Magnus Juriſta & deciſ.* 295. *Tantusvir ſapiens, deciſ.* 215. *Ille doctiſſimus Jureconſultus Dominus Antonius de Alexandro, qui me, ob ſuas virtutes, nimia charitate dilexit, & me coram noſtris ſuperioribus extollebat; qui multum ingenium meum erudivit, & ab eo multa didici, cujus anima requieſcat cum Sanctis Angelis, & praeſentiam Dei videat*. Inſuper *deciſ.* 257. *num.* 4. *Doctor Celeberrimus in Regno & in* *coſtit. ſi quis aliquem num.* 21. Denique vocat eum Afflictus multis in locis *Magiſtrum ſuum*, ut in *conſt. hac lege num.* 8., & in *conſtit. advocatos num.* 15., & in *conſtit. in aliquibus num.* 14. ac etiam appellat *Dominum ſuum*, in *conſt. ſi quis poſt litem. num.* 13. & in *cap. Imperialem §. praeterea num.* 18.

A Camerario vero dicitur. *Vir plane litteratiſſimus, & noſtra, & praecedenti aetate praeſtantiſſimus*, in *Repetit. cap. Imperialem de prohib. feud. alien. per fed. fol.* 85.

Antonius de Alexandro vocatur perula legum in orbe juſtiſſimus, doctiſſimuſque Conſiliarius Sereniſſimi Regis Ferdinandi a Franciſco Tuppo in epiſtola nuncupatoria ad Franciſcum de Cicino *in antiqua editione Conſuetudinum Neapolitanarum*.

Dominus Antonius de Alexandro Supremus Doctor. Marinus Freccia in *tract. de praeſentatione inſtrum. in* 12. *parte num.* 19. *fol.* 98. *a t.*

Eminentiſſimus vir acris, acutique ingenii, qui nil dicere conſuevit, quod jure non probaret; & ipſe tot annis juris reddendi in hoc Regno author fuit, dum regii Sacri Conſilii Praeſidens fuiſſet. Loffredus *in cap. primo §. quaeſitum eſt. De Capitaneo, qui cur. vend. Doctor magnae auctoritatis*, ab eodem *conſ.* 17. *num.* 33. *Magnae auctoritatis, eminentis ſcientiae, ſingularisque ingenii* ab eodem *conſ. primo num.* 76. *in l. prima C. de Judiciis num.* 18. *col.* 3.

Praeſidens Sacri Conſilii & maximus Doctor, ut ex ſcriptis ejus videmus, & vir maximi ingenii. Vinc. de Franchis *deciſ.* 269. *num.* 5.

Excellens Doctor Dominus Antonius de Alexandro. Grammaticus *deciſ. prima num.* 16. & *deciſ.* 88. *num.* 5. & Jacobus de Gello *de jure adohae num.* 93. *Excellens Vir quidem eminentiſſimae ſcientiae, qui me tunc Judicem Magnae Curiae Vicariae exiſtentem, ipſe Praeſidens, & Viceprotonotarius ab ſuam bonitatem innatam, uti filium diligebat*. Idem *quaeſt.* 2. *poſt deciſ. num.* 2.

Appellat quoque illum *dominum ſuum* Jacobutius de Franchis *in C. de his qui Feudum dare poſſ. §. & qua vidimus num.* 28. Idem *deciſ.* 391. *num.* 9. citat. Antonium de Alexandro in *l. labeo ff. de pactis*, atque illum eſſe *ſemper videndum*.

An-

ANtonius Alexius Neapolitanus ſcripſit *Hymnorum libros*, quos Pio IV. Romano Pontifici nuncupavit, excuſos *Romae. apud Vincentium Luchinum. anno. 1585. in 4.*

ANtonius Amicus, e Foſſa, oppido, quod ab Aquilana Civitate quarto diſtat lapide, Cl. Doctor, & vir antiquarum rerum diligens perveſtigator, & apprime eruditus. Non parum laboravit in perquirendis libris, ſcriptiſque quorundam piorum, ac Sanctorum hominum doctrina praeſtantium Apulanae Provinciae (quae latebant, ac temporum injuria pene obruta, & ſepulta erant), eorumque vita, ac rebus geſtis perveſtigandis, atque in lucem emittendis. Cumq; tot annis, magnis laboribus, impenſis, ac itineribus, indefeſſus invigilaſſet; atque ejus provinciae Coenobiorum Bibliothecas perluſtraſſet, Vaticana etiam bibliotheca ſummis laboribus pervoluta; tantem cuncta fere, quae optabat feliciter eſt aſſecutus, & diu Venetiis permoratus, iiſdem in lucem edendis vacavit.

Omnibus enim operibus Beati Joannis e Capiſtrano, quae habemus, ac evulgata ſunt, ejus beneficio potimur; e MSiis enim in pulvere tabeſcentia is decripſit, ac in lucem emiſit. Illius enim tractatum *De auctoritate Papae & Concilii, ſeu Eccleſiae.* cum aliquot etiam aureis tractatulis annexis in primis in lucem prodidit, & Gregorio XIII. Rom. Pontif. dicavit; addita ejus *B. Joannis vita ab eodem Amicio* ſcripta; ex probatiſſimis ſcriptoribus excerpta, quam ei operi praefixit.

Sunt autem Tractatus annexi, ac ſimul excuſi cum opere *de auctorit. Pap. & Concil. Speculum Clericorum. Defenſorium tertii ordinis. Tractatus de Judicio Univerſali futuro, & Antichriſto*. ac *de Bello ſpirituali.*

Alia etiam ejuſdem B. Joannis opera, nempe *Repetitiones in aliquot capitula lib.* III. & V. *Decretalium*, quae poſt Abbatis antiqui, atque aliorum doctorum ſcriptorum in jure Canonico, tum veteri, cum recentiori Amicius in lucem protulit, ac Sixto V. dicavit; ut in eodem B. Joanne inferius ſuo loco dicemus.

Ejuſdem *B. Joannis Vitam* a Monacis Viennenſibus conſcriptam, nempe Nicolao a Fara, Hieronymo Utinenſi, ac Chriſtophoro Variſienſi Ordinis Minorum obſervantium, atque ejuſdem B. Joannis comitibus individuis, ac *Viennae Auſtriae. anno. 1523.* excuſam magnis laboribus reperit. Quam, utinam is in lucem rurſus emiſiſſet; diu enim a nobis quaeſita non eſt comperta. Sed ejus exemplar dedit Fratri Petro Rodulphio Foſſinianenſi, qui *Hiſtoriam Seraphicae Religionis* conſcripſit; cujus ipſe miminit libro... in B. Joanne de Capiſtrano.

Aliquot etiam ejuſdem B. Joannis libros inſeri curavit inter *Noviſſimos juris tractatus*. anno. 1534. excuſis; & alia inter volumina *Repetitionum in jure Canonico*.

Beati quoque *Bernardini e Foſſa Aquilana* Ord. min. gentilis, & ex fatre, ac patrui ſui *Opera* quaedam ſummis laboribus acquiſita, ac reperta; nempe *Funerale* ipſius, & *libellus de Coenobiis in S. Bernardini Provincia poſitis, cum Vitis Patrum* quorundam, in lucem protulit: atque ejus *B. Vitam* accurate, ac fuſius ex antiquorum monumentis Amicius conſcripſit; quae omnia ejus libri principio praefixa eſt que Sixto V. Pontif. Max. dicavit. *Tractatum* quoque ejuſdem *B. Ber. de Rubere* volentibus *inter Juris utriuſque tractatus* reponi curavit. Alia etiam ejusdem B. Bernardini opera a ſe reperta in lucem emittere pollicetur; ut inferius in B. Bernardino dicemus.

Primi etiam *Bernardini Senenſis* Ord. Min. qui diu Aquilae vixit, obiit, & ſepultus eſt, atque Aquilanae Civitatis praecipuus tutelaris habetur, opera aliquot in MSis reperta in lucem edidit, quae inter ejuſdem *Santi Opera* IV. *tomus* contenta habentur; ac *Vitam* ejuſdem *Santi Bernardini a B. Joanne e Capiſtrano* conſcri-

Digitized by Google

ſcriptam primo voluminì praefixit: multaque alia de ſuo addidit, & aliorum auctorum dicta de eodem Sancto collegit.

Fratrem Petrum Rodulphum Foſſinianenſem, qui *Hiſtoriam Seraphicae Religionis* conſcripſit adjuvit; dum de Aquilanis rebus, de Sanctis, ac Beatis ejus provinciae, & viris illuſtribus ejus ordinis egit; ut idem Rodulphius *lib.* II. ejuſdem *Hiſtoriae* in prohaemio teſtatur. Dum recenſet eos, a quibus in ea hiſtoria conſcribenda adjutus eſt, atque iis acceptum refert, ſic ait: *Antonius quoque Amicius e Foſſa Aquilana homo veteris memoriae eruditus, & rerum uſu perdoctus, quaedam mihi de vita Capiſtrani contulit, & admonuit me in multis.* Et alibi in ea hiſtoria meminit quoque ipſius Antonii Amicii Fr. Bartholomeus Cimarellus *in* 4. *part. Chron. Ord. min. lib.* IX. *cap.* 45. eumque anepotem vocat Beati Fratris Bernardini Amicii de Foſſa, *& legum doctorem, & Venetiis praefectum fuiſſe*, ait, *correctioni librorum magnae Societatis: idque munus diligentiſſime functum, ibique poſtea deceſſiſſe annum circiter* 1590.

ANTONIVS DE AQVINO Neapolitanus, Sarni Epiſcopus, dein Tarentinus Archiepiſcopus, vir certe eruditus, de Eccleſia, atque omni Eccleſiaſtica antiquitate benemeritus fuit. Non parvo labore ex Regiſtris Romanorum Pontificum Vaticanae Bibliothecae *Decratales Epiſtolas* collegit; quas tribus voluminibus diſtinctas, cum ipſius *Annotationibus* edidit *Romae*. in *aedibus Populi Romani*. *anno*. 1591. *in fol.* cum adhuc non eſſet Epiſcopus Sarnenſis: & primus tomus Innocentio IX. Rom. Pontif. dicatus fuit.

ANTONIVS DE ATRI, ſive *Stratri* (quae Civitas eſt in Aprutinis) Ordinis Minorum obſervan. vir pius, ac doctus edidit Italice praegrandem librum, quem inſcripſit: *Meditationes, ſeu Exercitium ſpirituale, in quo continentur quatuor praecipua beneficia elargita, a ſummo optimo maximo Deo humano generi, nempe Creatio, Gubernatio, Redemptio, & Glorificatio, ad inducendum animam rationalem ad Divinum Amorem*; in *quo omne bonum conſiſtit, & in hac, & in alia vita.*

Habetur quoque *Exercitium Spirituale quotidianum Beatae Virginis Mariae, poſt mortem dulciſſimi ejus filii, uſque ad triumphalem ejus aſſumptionem, quod facere debet anima devota*. Quem quidem librum auctor ex pluribus bonis, & vetuſtiſſimis libris conſcripſiſſe profitetur in Coenobio ejus Ordinis in Monte Syon in Civitate Hieroſolymitana, ubi is per quinquennium commoratus eſt; ac *Venetiis* excuſus eſt *apud Jacobum de Penci de Lecco*. 1514. *in* 4. item ibidem apud *Joannem Paduanum*. *anno*. 1552. *in* 4. & 1564. Spirat liber hic maximam pietatem, atque animi affectum.

ANTONIVS AVETA ex Andria, Apuliae Civitate, Ordinis min. edidit latino metro *Vitam & miracula Santi Franciſci* X. libris compacta; & alia non contemnenda; ut Fr. Petrus Rodulphius Foſſinianus *lib.* III. *hiſtor. Seraph. relig.* & Antonius Poſſevinus in II. *vol. Appar. Sac.* teſtantur.

ANTONIVS AYOSSA Neapolitanus, Clericus regularis, Sacrae Teologiae doctor, edidit *Diſputationum in ſummam D. Thomae de Aquino* primum Tomum *de auguſtiſſ. individuae Trinitatis Myſterio*. In quo Sancti doctoris Thomae de Aquino Summa quaeſtionibus acta, explicatis articulis, copioſius, quam ad haec uſque tempora diſcu..... ad Ill. Dominum D. Franciſcum Peretrum Venafrii Principem, & Abbatem Clarevallenſem, excuſ. *Romae*. 1631. *apud Franciſcum Caballum*. *in fol.*

Item *Quaeſtionum* in *univerſam naturalem*

lem Philoſophiam Tomum primum ; in quo praelibatis ſcientiae natalibus , & conceptu de ejus objecto, & naturalium principiis, difficultates ſumma doctrinae ubertate , & ſubtilitate expendentur , atque ex doctoris Angelici mente definiuntur , excuſ. *Neap.* 1636. *apud Egidium Longum* . *in fol.* Eminentiſſimo Domino Franciſco Mattae S.R.E. Cardinali Brancacio dicatum .

ANTONIVS BASSVS , Neapolitanus legum doctor , edidit italice librum , quem inſcripſit, *Poeſie volgari* ; eaſq. in duas partes ſejunxſit. Impreſſae ſunt autem *Neap. anno* . 1645. *apud Jacobum Gaffarum* . *in* 4. Eminentiſſimo Cardinali Aſcanio Filamarino Archiepiſcopo Neap. dicatae .

ANTONIVS BATILLVS e Barenſi Civitate , Societatis Jeſu Theologus , ac concionator ; qui docuit linguam Hebraicam , & Sacram Scripturam , multa italice edidit ; nempe:

Hiſtoriam vitae , mortis , miraculorum , & translationis e Theſſalonica Sanctae Irenes Virginis . ac Martyris , & Lupienſis Civitatis in Hydruntina provincia patronae, pluriſque optimis annotationibus illuſtratam ac varia eruditione refertam, impreſſam *Neap. anno* 1609. *apud Tarquinium Longum* . *in* 4. Illuſtriſſimae Lupienſi Civitati dicatum.

Conſcripſit proſuſiſſimam *Hiſtoriam de vita , miraculis , ac translatione Santi Nicolai Myrenſis Epiſcopi* , ac *Barenſis civitatis Patroni, cujus corpus Bario religioſiſſime aſſervatur* , quae excuſa eſt *Neapoli* . *anno* . 1610. *apud eundem Tarquinium Longum* . *in* 4. Reverendiſſimo Domino Fabio Griſono Priori Eccleſiae Santi Nicolai de Bario, ejuſque Reverendis Canonicis dicata ; quae ab auctore aucta in aliquibus rebus , & per totum ad majorem brevitatem redactam, excuſa eſt *Neapoli.* 1633. *apud Franciſcum Savinum* . in 4.

Hiſtoriam de vita , morte , miraculis , ac translatione Santi Confeſſoris Chriſti Sabini Canuſini , Epiſcopi , ac patroni Barenſis civitatis . adjecto in fine ejus libri *Catalogo Archiepiſcoporum ejuſdem urbis , a tempore unionis duorum Sedum , nempe Barenſis , & Canuſinae, quae contigit anno* 845. *uſque ad noſtra tempora* ; & Antonio Geſualdo Patriarchae Conſtantinopolitano Archiepiſcopo Barenſi , & Canuſino dicatam : quae excuſa eſt *Neap. apud Egidium Longum* . 1629. *in* 8.

Hiſtoriam Civitatis Barii . excuſam *apud Franciſcum Savinum*. 1636. *in* 4.

Scripſit quoque alia , quae morte praeventus non emiſit in lucem ; ſunt autem haec. *Vitam P. Bernardini Reatini* . *Vitam P. Joannis Piſcatoris* . *Vitam P. Petri Antonii Spinelli* : *Vitam P. Alphonſi de Aragona* . *Vitam P. Antonii Grannonii* Societatatis Jeſu .

Exempla virtutum , ac ſtudioſarum actionum multorum hominum Societatis Jeſu in Provincia Neapolitana . Inſuper *Commentaria concionatoria* in Sacram Dominicae Paſſionis Hiſtoriam ab horto orationis , uſque ad hortum ſepulturae .

ANTONIVS DE BITONTO Ordinis min. obſervantium concionator ſuae aetatis inſignis ; edidit latine *Sermones Dominicales per totum annum* , ad Illuſtriſſimum Federicum Urbini Ducem . Item *Expoſitiones Evangeliorum dominicalium* . *Sermones* quoque *ſuper Epiſtolas dominicales per totum annum*. quae omnia excuſa ſunt *Venetiis* . *anno* . 1496. *apud Joannem Hertzog* . *in* 4. Super *Epiſtolas quadrageſimales* impreſſ. *ibidem* . *apud eundem* eodem anno . *Sermones quadrageſimales de vitiis , per modum dialogi* . ad Illuſtrem, & religioſiſſimum Principem GuidAntonium Montisferrati, Urbini , ac Duranti Comitem praeclariſſimum ; excuſ. ibidem . *anno* . 1499.

Hujus Fratris Antonii Bitontini Concionatoris

Digitized by Google

cionatoris inſignis, & publicae diſputationis Neapoli indictae inter ipſum, & Laurentium Vallam, ſub Rege Alphonſo I. meminit idem Valla *lib.* IV. *Antidoti in Poggium*.

Fr. Petrus Rodulphius Foſſianus lib. II. *Seraphicae Religionis. fol.* 191. meminit ipſius Antonii de Bitonto Ordinis minorum, qui unus fuit ex inſignibus concionatoribus, juſſu Caliſti III. Pontificis miſſus a Generali ſui Ordinis ad praedicandam Cruciatam per univerſum orbem adverſus Turcas anno 1454. Idem lib. III. dictae *Hiſtoriae Seraph. relig. fol.* 308. ait *Fr. Antonius Bitontinus collegit ex Nicolao Lyrenſi poſtillam in omnes Lectiones veteris, & novi Teſtamenti, & Sermones domicales, qui per totum annum recitantur; quibus addidit quaſdam Quaeſtiunculas non ſpernandae lectionis. Scripſit ſuper* IV. *libros Sententiarum ad Nicolaum* V. *Pontif. Max. quem Pontifex Doctoratus corona donavit. Compoſuit quoque Summam caſuum*.

Fr. Bartholomeus Cimarellius in 4. *part. Chron. Ordinis Santi Franc. lib.* IX. *cap.* 75. *fol.* 1147. ait *Fratrem Antonium Bitontinum multa habere teſtimonia ejus doctrinae, ac ſcripſiſſe multas Lectiones novi, ac veteris Teſtamenti, quae per totum annum recitantur in ſacris Chriſtianorum liturgiis; multaſque alias Quaeſtiones dignas exiſtimatione: ac in lucem edidiſſe librum Sermonum dominicalium Argentinae excuſum. Cumque Nicolao* V. *Pontifici Max. multa notanda ſuper quatuor Sententiarum libros dicaſſet, ab eodem Pontifice in retributionem Doctoratus gradu, ac dignitate fuiſſe decoratum. Conſcripſiſſe quoque*, ait, *Summam caſuum conſcientiae; & alia ad ſtudioſorum beneficium.*

Prodiit quoque *Nicolai de Lyra Ord. min. praeclariſſimi ſacrae paginae interpretis Poſtilla, ſeu Expoſitio litteralis, & moralis ſuper Epiſtolas, & Evangelia quadrageſimalia, cum Quaeſtionibus Fratris Antonii Bitontini, & Alexandri de Ales* ejuſdem Ordinis ex *typographia Joannis Herczog. Venetiis*. 1494. *in* 8. Ejus libri meminit Sixtus Senenſis *lib.* IV. *Bibliothec. Sanctae*. Fuiſſe hic fertur familiae Scaragiae.

ANTONIUS BRUNUS Rotundenſis Philoſophus, ac medicus ſcripſit *Entelechia, ſeu de quinta natura, & animae immortalitate Diſputationem*, ad D. Ferdinandum Sanſeverinum Saponariae Comitem, excuſ. *Neap. apud haeredes Matthiae Cancer.* 1587. *in* 4.

Antonius Brunus ex oppido Manduriae ex Hindruntina provincia in Salentinis, Italus poëta elegantiſſimus, ſcripſit *duos Epiſtolarum libros Heroicae poëſis*, qui *Romae* excuſi ſunt *apud Gulielmum Facciottum*. 1627. *in* 12. deinde variis in locis excuſi ſunt; & tandem ſeptimo ab Auctore reviſae, & auctae, & optimis aereis figuris concinnatae prodierunt *Romae. apud Maſcardum*. 1634. *in* 12.

Scripſit quoque alios *Libros ad Italicam poeſim* ſpectantes; nempe librum *Rithmorum*, quem inſcripſit *Le tre grazie* excuſ.... *La Girandola. Urbini Ducis Elogium* excuſ.... *Il Preſagio, in nuptiis Principis Venuſini*, excuſ.... *Per la pace d' Italia Canzone*. excuſ.... *Le Veneri*. excuſ....

Scripſit autem alia, quae non adhuc ſunt edita, ſed ea refert Leo Allatius in ſuo libro, qui *Apes Urbanae* inſcribitur, ſive *de Viris illuſtribus*.

ANTONIUS CAPICIUS, Neapoli Patricio genere ortus, Ordinis Sedilis Nidi, e Surrento tamen (inſigni in Picentinis urbe) oriundus, Juriſconſultus Praeclariſſimus; nobilitate, doctrina, ac religione praeſtans; cauſarum prius patronus fuit illuſtris; dein regius Conſiliarius, a Ferdinando Rege Catholico anno 1510. creatus eſt. Et licet regiis eſſet a conſiliis jus tamen civile in gymnaſio Neapolitano in prima Veſpertina Cathedra explanabat anno 1520. deinde jura Feudalia ibidem regiis

regiis ſtipendiis conductus profitebatur. Ab hujus doctrina tot celeberrimi Feudiſtae prodiere, inter quos Sigiſmundus Loffredus, ac Bartholomeus Camerarius, aliique viri eminentiſſimi. Conflatis autem Inſulae Siciliae ſeditionibus anno 1517. ſub Hectore Pignatello Montisleonis Comite, in eadem Inſula Prorege, eam Antonius juſſu Regis petiit ad ſeditionis auctores reprimendos; ubi, cum per aliquot menſes commeratus, deinde in patriam reverſus eſſet: demum, rebus ſic exigentibus, rurſus ſequenti anno illuc profectus eſt, & anno 1519. in patriam rediit.

Erat autem Antonius acris, celeriſque ingenii, eruditiſſimus non modo legalis ſcientiae; verum etiam liberalium aliquot diſciplinarum, & praeſertim Hiſtoriarum; vetuſtarum rerum diligentiſſimus perſcrutator. Obiit tandem Neapoli anno 1735. & in templo Santi Dominici in familiae Sacello ſepultus eſt. Scripſit autem haec.

Repetitionem in cap. Imperialem de prohibita feudi alienatione perſideicom., quam publice profitendo edocuit; excuſa eſt autem *Neapoli. apud Joannem Sultzbachium. anno.* 1539. *in* 4. Bartholomaeo Camerario viro Clariſſimo, & Caeſarii patrimonii conſervatori a typographo dicata.

De eo libro Sigiſmundus Loffredus in *cap. Imperial. in verſ. per praedictum. de prohibit. feud. alien. per fideic.* ſic loquitur: *dum ait magnificus vir Antonius Capicius regius Conſiliarius, qui fuit meus praeceptor, vir doctiſſimus hoc cap. repetiit. Ideo ejus ſcriptis confiſus id omitto, quod opus edi cupio, ne viri eruditi ex ſolis Afflicti ſcriptis in curia metiantur.*

Edidit *Deciſiones Sacri Conſilii Neapolitani*. In quibus continentur, ne dum ea, quae Neapoli in regio Conſilio tractata, ac deciſa ſunt; ſed ea, quae in Inſula Siciliae in ejus revolutione contigerunt. Excuſae ſunt autem primum *Venetiis. anno.* 1541. *apud haeredes Lucae Antonii Juntae Florentini. in fol.* a Scipione Capicio regio Conſiliario, ejus filio, in lucem emiſſae; qui eas Domino Nicolao Parrechio primo Caeſaris Conſiliario dicavit; dein recuſae ſunt additis *Votis*, quae durant, & quatuor *Deciſionibus* nunquam prius editis, quae prodierunt *Venetiis.* 1557. *apud Dominicum Kilium. in* 8.

Scripſit *Inveſtituram Feudalem ad omnes ferme Feudales quaeſtiones enucleandas perneceſſariam*, quae primo prodiit *Neapoli.* 1569. *ex typogr. Joſephi Cacchi, & ſociorum. in fol.* cum ſimul Repititione dicti *cap. Imperialem*. item recuſa eſt *Neapoli.* 1570. *apud eundem Joſephum Cacchium, & ſocios. in fol.*

At quoniam liber non fuit ab Auctore abſolutus, imo ei nedum ultima manus impoſita, ſed ne quidem extenſus, & in quibuſdam partibus vix delineatus; putari debet, quod ſi fuiſſet ab eo omnibus numeris abſolutus, pro acri ejus ingenio, doctrina, ac feudalium jurium peritia profecto is unus eſſet ex optimis libris, quos habemus. Caeterum, ex quo multa bona continet, ac varia eruditione referta, & nobiliſſimum ſubjectum pertractat, viſum eſt illum tunc in lucem edere.

Bartholomaeus Camerarius in *Repetit. cap. Imperialem. de prohib. feud. alien. per Fideic. fol.* 23. *a t.* hoc idem innuere videtur, cum ait, *Credo Capicium, qui certe ſua aetate vir fuit praeſtantiſſimus, haec, quae ſcripſit ſui cauſa adnotaſſe; deinde vero, quod defeſſus ſtudio, & a multis negotiis impeditus (eo quod erat regius Conſiliarius) non potuerit omnia plene examinare, uti ſciviſſet, ſi otium ad hoc nactus fuiſſet.* Idem quoque Camerarius pluribus in locis dictae *Repetit.*, vocat *Antonium Capicium ejus magiſtrum*.

Meminit quoque Antonii hujus Capicii Hieronymus Carbonus Neapolitanus, poſtea illuſtris, in *Elegia ad Auguſtinum Niphum* Sueſſanum, quae in prima parte Opuſculorum ejuſdem Niphi habetur; in qua viros omnes ea aetate, doctrina, ac eruditione Neapoli celebres, qui in ſua domo conveniebant de re litteraria tra-

Digitized by Google

tractantes (quae Academia olim Pontani fuerat) ſingillatim recenſet , atque haec inter alia refert:

Ille Forum exornans , & conſultiſſimus aequi
(Poſt tot ſollicitis reddita jura reis)
Capicius mea tecta ſubit , poſitoque rigore
Differit , & grato multa lepore refert .

Etiam Grammaticus *deciſ.* 28. *num.* 6. ait, *Capicius antiquus regius Conſiliarius ; & auctoritatis non modicae in deciſionibus Sacri Conſilii , quas ipſe collegit .*

ANTONIUS CARACCIOLUS Neapolitanus Ordinis Clericorum regularium, qui Theatini vocantur, Sacrae Theologiae profeſſor in antiquitate eccleſiaſtica valde peritus. Edidit *Apologiam pro Pſalmodia in Choro exercita etiam a doctiſſimis , nedum ſanctiſſimis viris* , quae , ipſo inſcio, typis edita fuit *Matriti* ; deinde prodiit *Lugduni* emendatior .

Conſcripſit ad *Conſtitutiones* ejuſdem *Ordinis Congregationis Clericorum regularium , & eas ab antiquitate firmandas* , hoc *eſt Religioſorum priſci aevi legum , rituumque Compendium* , excuſas ſimul cum iis Conſtitutionibus *Romae . apud Bartholomaeum Zannettum . anno* . 1610. *in* 4. Deinde liber is ab auctore mutato paululum titulo auctior prodiit *Pariſiis . anno* 1628. *apud Nicolaum Buon. in fol.* hoc nempe titulo adjecto: *Synopſis Veterum Religioſorum Rituum , atque Legum ad Clericorum regularium comprehenſa , opera , & ſtudio Antonii Caraccioli ejuſdem Ordinis Praesbyteri* .

In lucem quoque emiſit *de vita Pauli* IV. *Pontificis max. Collectaneam Hiſtoriam* ejus opera , & ſtudio conquiſitam , digeſtam , atque editam ; teſtimonia nempe de Pauli IV. ortu , geſtis , & ſanctitate , & variis ſcriptoribus tum impreſſis, tum manuſcriptis. Ex his pleraque ab eo traslata ex Gallica , vel ex Hiſpanica in linguam latinam .

Item conſcripſit *Vitas Cajetani Thienaei, Bonifacii a Colle* , & *Pauli Conſiliarii* , qui una cum Paulo IV. tunc Theatino Epiſcopo Ordinem Clericorum regularium fundaverunt; quae omnia ſimul unico volumine prodierunt *Coloniae Ubiorum. ex officina Joannis Kinckii* . 1612. *in* 4. Sanctiſſimo Domino Paulo V. Pontif. max. dicata.

Edidit etiam *Bigam illuſtrium controverſiarum* , primam *de Sancti Jacobi Apoſtoli acceſſu ad Hiſpaniam* , ſecundam *de funere Santi Martini a Santo Ambroſio procurato* ad Illuſtrem & Reverendum Dominum Gaſparem Borgiam S. R. E. Cardinalem excuſam *Neapoli* . 1617. *apud Tarquinium Longum. in* 8. Quae quidem Biga longe emendatior , & nonnihil etiam auctior recuſa eſt *Coloniae Agrippinae* . anno 1619. *apud Joannem Kinckium . in* 4.

Antiquos Chronologos quatuor de rebus geſtis in Naepolitano Regno , *Hechempertum* , nempe *Longobardum* , *Lupum Protoſpatam* , *Anonymum Caſſinenſem* , & *Falconem Beneventanum* . A quibus variae exterarum gentium in Neapolitanum Regnum irruptiones, praelia, & illatae, aut exceptae clades , inculto quidem , ſed veridico ſtylo deſcribuntur. Hic primum e MStis in lucem eos edidit ; quibus appendices, additiones, ac notas aptavit , quae commentarii vicem ſubeunt ; impreſſos *Neapoli* . 1626. *apud Lazarum Scorigium . in* 4. Illuſtriſſimo Domino Marco Antonio Loffredo Madiae Principi dicatos .

Hiſtoricam demonſtrationem , *quod Santi Januarii patria Naepolis fuit* , *adverſus aſſertiones Anonymi Beneventani* , impreſſam *Neapoli*. 1634. *apud Egidium Longum* . *in* 8. ſplendidiſſimis inclytae Neapolis VIII. Viris Electis .

Ex libris Confeſſionum Divi Aurelii Auguſtini flores excepit , refectis rerum difficilium ſpinis, ac in *ſex areolas* diſtribuit , quos cum appendice *Liturgiam* in lucem emiſit, ſub ficto nomine *Petri Mariani* , impreſſas *Neapoli* . 1621. *apud Didacum Manaſſem* . *in* 8. Spiritui Sancto Deo dicatos.

Prodiit

Prodiit quoque *De Sacris Eccleſiae Neapolinae Monumentis liber ſingularis*, in quo pleraque in ea, a primaeva ipſius per Apoſtolorum Principem inſtitutionem, ad uſque annum Chriſti fere nongenteſimum, geſta narrantur, illuſtrantur, & ad veritatem hiſtoricam revocantur. Opus poſthumum *Franciſci Bolvitii Neapolitani Clerici regularis ſtudio, & induſtria in lucem editum*; qui cuncta digeſſit, ſtylum alicubi mutavit: omiſſas ab auctore curas ſecundas adjecit, & innumeras pene hiantes lacunas implevit: Excuſum *Neapoli*, 1645. *apud Octavium Beltranum. in fol.*

Obiit autem Neapoli, in domo SS. Apoſtolorum ſui Ordinis die 19. Martii 1642.

ANTONIUS DE CALERNO. Neapolitanus, ſive Fr. *Antonius de Neapoli*, vel *Antonellus de Neap.* (his enim nominibus diverſimode aliquando vocatur) Ordinis Praedicatorum fuit, & Archiepiſcopus Amalfitanus. Scripſit *In Petri Lombardi ſententias, & Ariſtotelis Metaphyſicam*, ut teſtatur Angelus Cato ſuperius de Benevento Philoſophus, ac medicus, in *Epiſtola*, quam ad Ferdinandum I. Siciliae Regem direxit, ac praefert *Liber Matthaei Silvatici Salernitani* Medici a ſe primo in lucem editus, *Neapoli* excuſus *anno* 1474. Dum enim Angelus enumerat eos, qui in civitate, ac Regno Neapolis litteris, ac libris editis claruerunt, ſic ait: *Sed neque praetermittendus eſt Antonellus Amalfitanus, olim Archiepiſcopus, cujus in Petri Lombardi Sententias praeclara extant commentaria & in Ariſtotelis Metaphyſicam Quaeſtiones non inutiles.*

Caeterum auctor hic Antonelli patriam, ac Familiam, & tempus, quo floruit, reticet. At in Catalogo Amalfitanae Eccleſiae Antiſtitum mentio habetur *Fr. Antonii de Calerno Ord. Praedicatorum Archiepiſcopi Amalfitani, qui in Eccleſia praefuit anno* 1454.

In libro Collegii Sacrae Teologiae, in quo Magiſtrorum, ac Doctorum Teologicae facultatis (Neapolitanorum tamen civium) nomina habentur, qui apud Vicecancellarium ejus Collegii aſſervatur, ſic legitur: *Frater Antonius de Neap. Ord. Praedic. Archiepiſcopus Amalfitanus*. In Bibliotheca Regalis Coenobii Sancti Dominici hujus civitatis pluteo 13. habetur antiquus manuſcriptus Codex in bombacino, qui quaeſtiones ſubtiliſſimas Archiepiſcopi Amalfitani ſuper primum Sententiarum continet.

In eodem Sancti Dominici Coenobio apud Magiſtrum Fr. Donatum de Caſerta ſervatur liber praegrandis M. S. antiquis litteris ejus temporis in cujus titulo habetur: *Incipiunt quaeſtiones ſuper libris Metaphyſicae editae a Reverendo Domino Antonio de Neap. Archiep. Amalfitano ſacrae Theologiae magiſtro egregio*. In fine autem ſic legitur. *Expliciunt hic Quaeſtiones ſuper* XII. *libros Metaphyſicae in Neapoli nobiliter editae per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum Antonium de Neapoli Sacrae Theologiae Doctorem famoſum, ac Divina providentia Archiepiſcopum Amalfitanum*. Deinde ſequitur: *Finitus eſt liber iſte in Civitate Neapolitana in Domo Domini Reverendiſſimi praefati per manus Egidii . . . . . . alias de Bruxella Clerici Cameracenſis Diecoeſis anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, die duodecima menſis Januarii &c.*

Fr. Joannes Michael Pius Bononienſis lib. II. *de viris illuſtribus Ordinis Sancti Dominici* 2. *part.* meminit ex relatione ſibi tradita *Fr. Antonii de Neap. ejus ordinis Archiep. Amalfitani in Regno Neapoli viri docti, qui ſcripſit Quaeſtiones in univerſam metaphyſicam, qui ſecundum aliquos floruit anno* 1464. Item quoque Pius *parte ſecunda de viris illuſ. ejus Ordinis lib.* II. mentionem facit *Archiepiſcopi cujuſdam Amalfitani ejus ordinis Legum doctoris, profundi Theologi, ac ſubtiliſſimi diſputantis, qui ſuper Sententiis, & alia ſcripſit, cujus nomen* ignora-

ignoratur. Sed fallitur. Idemque eſt; quamvis caeteri, qui de viris illuſtribus ejus Ordinis hiſtoriam ſcripſerunt eodem errore lapſi ſunt; nempe Fr. Alphonſus Fernandes Placentinus in ſuo libro, qui inſcribitur *Concertatio praedicatoria*, ubi meminit *Fratris Antonii de Neap. Archiep. Amalfitani, viri undequaque docti; qui ſcripſit librum de Metaphyſica circa annum* 1409. *ex Fr. Michaele Pio 2. parte lib.* 11. & alibi in eo libro idem Fr. Alphonſus commemorat Archiepiſcopum Amalfitanum, *qui ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum, qui habentur in bibliotheca Regii Coenobii Sancti Dominici Neapolitani ex Fratre Antonio Luſitano*.

Obiit autem Amalfiae anno 1640. & in Metropolitana Eccleſia ſepultus eſt, nempe in Sancti Thomae Sacello a ſe conſtructo in marmoreo ſepulcro, hac inſcriptione appoſita:

PRAESVL AMALFIS OVANS SACER ILLE ANTONIVS HIC EST QVI SACRA THEOLOGVS ET METAPHYSICVS AVXIT DOGMATA VTRIVSQVE CALENS DVO SACRA VOLVMINA FECIT. NVNC DECVS ET TANTVM BREVIS HAEC TEGIT VRNA NITOREM. QVI OBIIT ANNO DOMINI 1460. DIE MADII.

ANTONIVS CARRAFA Neapolitanus Rainaldi Montisfalconis in Brutiis reguli filius, ſub Paulo IV. Rom. Pontif. gentili ſuo, adhuc adoleſcens Romam profectus, & honorifice acceptus (ut qui optimae indolis erat, & bonis litteris ornatus), non modo a ſecretis cubiculis, verum etiam a poculis ejus Pontificis praefuit. Atque ab eodem traditus Guilielmo Syrleto, viro omni doctrina, & virtute refertiſſimo, ut illum Graecas litteras edoceret (in quibus is brevi temporis ſpatio valde profecit; adeo, ut Athenis, non autem Neapoli natus, & educatus videretur), & ab eodem Pontifice Canonicatu in Baſilyca Sancti Petri donatus. At eo Pontifice ab humanis ſublato, & Pio IV. in ejus locum ſuffecto, in ſaeviſſimo illae familiae excidio, (quod ſecutum eſt Antonius quamvis innocentiſſimus ab omnibus haberetur); ab eo tamen non immunis, fuit, & Roma diſcedere coactus, Patavium profectus, fide publica a Venetiis obtenta, paululum ibi commoratus eſt. Deinde ſubcreſcentibus iniquitatibus, Patavio decedere coactus Montemfalconem, cui Pater dominabatur, ſe recepit; ibique tempus fruſtra non terens, feliciſſimum otium nactus, totum ſe ſtudiis Chriſtianae Religionis, Sacrae paginae, & Sanctorum Patrum lectioni ſe tradidit; Ibique *Theodoreti inſignes Commentarios in Davidis Pſalmos, ac varios Auctores in quinque libros Moyſi*, quod Pentateuchum nuncupant, magna fide, & diligentia e Graeco in latinum vertit, cum *Orationibus* etiam quibuſdam *Gregorii Nanzianzeni*, quas ſimiliter e Graecis latinas reddidit. Dein Pio IV. vita functo, Pius V. ſucceſſor perſpecta Antonii vitae integritate, & innocentia, ac ſumma ipſius eruditione in Cardinalium collegium illum cooptavit anno 1558. in qua dignitate nec negotiorum moles a ſtudiis eum traxerunt; ſed illis ſemper inſiſtens, & aſſiduis laboribus aliqua ejus opera abſolvit, ac confecit.

Cumque ex decreto Sacroſanti Tridentini Concilii emendanda eſſet, ac edenda Vulgata Sacra Biblia LXX. Interpretum, qua Eccleſia utitur, electus eſt Antonius hic Cardinalis, ut pote vir Graeca, & latina lingua erudititiſſimus, atque in omni eruditione refertus, qui ei operi, ac correctioni praeeſſet. Idemque cum ſelectiſſimis, & doctiſſimis viris, undique accitis, qui ſummis laboribus ei operi incumberent, praeter ſuam induſtriam in veteri lectione, & acceptis ex toto Chriſtiano orbe vetuſtiſſimis exemplaribus exploratae fidei, ut Eccleſiaſticae antiquitati conſultum iret; omnia cognoſcente diligenter, ac ſumma induſtria eodem ipſo diſquirente, tandemque potiora probante etiam Pontifice, in edendo ope-

re

Digitized by Google

re diuiſſime, & accuratiſſime invigilavit. Itaque prodiit Biblia LXX. Interpretum Graece, & latinae caſtigata, & ad priſtinum, quem perdiderat candorem reſtituta (cui Catholica Eccleſia ex hoc plurimum debet) magna laetitia, & plauiu eruditorum hominum excepta.

Bibliothecarius item fuit S. R. E. ac Vaticanam Bibliothecam, libris undique conquiſitis, exornavit, & auxit praeclaris commentariis. Doctorum etiam virorum protector fuit, ac Moecenas. In operibus *Theodoreti Cyriae Epiſcopi duobus voluminibus comprehenſis*, impreſſis *Coloniae. anno. 1573. in fol. Sumptibus viduae, & haeredum Joannis Alcſii*, in tomo primo habetur *Interpretatio* ſive *Commentaria* ipſius *Theodoreti in omnes Pſalmos Davidis* e Graeco in latinum verſa per Antonium Carraſam.

Cathenam quoque *explicationum Veterum Sanctorum Patrum in omnia tam Veteris, quam Novi Teſtamenti Cantica* in latinum ſermonem convertit; quae excuſa eſt *Patavii. anno. 1565. apud* . . . . . recuſa *Coloniae Agrippinae. anno. 1573. apud Joannem Birchmannum. in* 8. ſimul cum *Cathena, ſeu expiicatione locorum, qui in Pentateucho ſuboſcuriores occurrunt ex antiquis Graecorum Theologis* interprete Franciſco Zephyro Florentino, & ab eodem in lucem edita.

In Sancti Gregorii Papae Epiſtolas Repertorium, ſive *Indicem abſolutiſſimum* confecit, omnia notatu digna obſervavit, ac illuſtravit, qui cum ipſius Gregorii operibus excuſus eſt . . . . . .

Ejus etiam cura, & diligentia excuſae ſunt *Summorum aliquot Pontificum Epiſtolae e Vaticana Bibliotheca* depromptae *tribus voluminibus*, quae prodierunt ex tipographia : . . . .

Obiit autem Romae anno 1591. die 12. Januarii, non abſque totius Romanae Curiae maerore. Ejus corpus ſepultum eſt in aede Sancti Silveſtri in monte Eſquilino Patrum Clericorum regularium cum ſimplici hac inſcriptione.

ANTONIVS CARRAFA
S. R. E.
PRESBITER CARDINALIS.

Extat Franciſci Bencii ab Aquapendente e Societate Jeſu *Oratio in funere Antonii Carrafae Card.* excuſa *Romae. apud Franciſcum Zannettum. anno. 1591. in* 4. quae cum operibus ipſius Bencii, & ſeorſim excuſa eſt; in qua quidquid ad ejus Cardinalis vitam, ac geſta pertinet uberius diſſeritur.

De editione Sacrae Bibliae, tam Graece, quam latine LXX. Interpretum Romae edita ſtudio doctiſſimi, ac integerrimi Cardinalis Antonii Carrafae Thomas Bolius *de ſignis Eccleſiae Dei lib.* VI. *cap.* 5. *ſigno* 22. *fol.* 228. mentionem facit.

Caeſar Cardinalis Baronius in tom. II. *Annal. Eccl. ad annum* 231. *fol.* 267. ait, *opera, & induſtria Antonii Card. Carrafae Bibliothecarii prodiit Biblia* LXX. *Interpret. Graece & latinae reſtituta; cui Catholica Eccleſia ex hoc plurimum ei debet, magno imprimis eruditorum omnium, ac denique totius exultantis Eccleſiae, eidem faventis, excepta plauſu, atque ingentibus celebrata praeconiis*. Idem Baron. ibidem *fol.* 269. ait: *in edenda vulgata Biblia, qua Eccleſia utitur ex decreto Sacroſanti Concilii Tridentini emendanda, electus eſt a Sixto V. qui ei operi praeeſſet Antonius Card. Carrafa, una cum ſeleCtiſſimis viris &c.* & multa de ejus laboribus.

De Antonio Card. Carraſa ſpectatae virtutis, ac multiplicis eruditionis laudibus inſigni; quem Pius V. Pontifex intimum ſibi cubicularium, dein Cardinalem creavit, demum ſignandorum ſupplicum libellorum muneri (nempe gratiae ſignaturae) ſua ſponte praefecit, Joannes Antonius Gabarius lib. VI. *de vita, & geſtis Pii* V. *Pontif. Max. cap.* 6. & Antonius Poſſevinus *in primo vol. Apparatus Sacri fol.* 102. meminerunt.

An-

ANDREAS CARRARIVS e MonteCorvino Juriſconſultus Neapolitanus, edidit: *Practicabilium ſingularium*, ſive *Jurisremiſſionum libros* v. excuſ. *Neap. apud Joan. Jacobum Carlinum*, & *Conſtantinum Vitalem*. 1610. *in* 4. Dominis Jacobo de Franchis regio Conſiliario, & Laurentio de Franchis regio Conſiliario, & Magnae Curiae Vicariae Fiſci patrono dicatos.

ANTONIVS CAINLIVS Neapolitanus e Societate Jeſu in Collegio Romano aliquando Philoſophiam interpretatus eſt; nunc autem Thelogiam ſcholaſticam docet. Edidit *Introductionem in Ariſtotelis Logicam, & reliquas diſciplinas. Romae. apud Franciſcum Corbelletum*. 1629. *in* 8.

ANTONIVS DE EVCHARO, oppido in Cilento, Ordinis Minorum Conven. Sacrae Theologiae Magiſter. Fuit hic ex familia Bonito; & Cappellanus Duciſſae Calabriae, & Elemoſinarius major Regis Ferdinandi 1. dein creatus Epiſcopus Montiſmarani die S. Januarii 1487. ac demum translatus ad Eccleſiam Acernenſem die 27. Januarii 1494. Fuit quoque major Cappellanus Regius Joannae, & alterius Joannae de Arogonia matris, & filiae Reginarum Siciliae. Sanctiſſimae vitae extitit & elemoſinarius erga pauperes, & obiit cum magna ſanctitatis opinione circa annum 1511. & ſepultus eſt in ejus Eccleſia.

Scripſit anno 1506. cum eſſet Acernenſis Epiſcopus *Tractatum de Conceptione Beatae Virginis*, nempe quod macula peccati Originalis non fuerit infecta, quem vocavit *Elucidarium Virginis*, & dictis duabus Reginis dicavit; excuſus eſt autem *Neapoli. apud Joannem Antonium de Caneto Papienſem. anno*. 1507. *in* 4. *fol.*

De eo Franciſcus Gonzagha in *Chron. Ordinis S. Franciſci pr. par. fol.* 8. & Petrus Rodulphius Foſſinianus *lib.* 111. *Hiſtor. Seraph. relig. fol.* 308. qui ait: *multa eſſe in eo inſigni opere, non ſolum ex media Philoſophia; ſed etiam ex altiſſima Theologia deprompta; quae ab eo mirifice explicantur*.

ANTONIVS EPICVRVS, Marſus in Samnio vir bonarum litterarum cultor; quem maxime celebrat Bernardinus Rota in ejus libro latinorum poëmatum, edidit italice: *Cecariam*, *Tragicomoediam*, quae excuſa eſt . . . . . . quaeque ab auctore recognita, & aucta *con un belliſſimo lamento del Geloſo*, *con la Luminaria*, recuſa eſt *Venetiis*. 1537.. *apud Nicolaum de Ariſtotele, dictum Zoppinum*. in 8.

Antonii Epicuri elogium facit Julius Caeſar Capacius in ſuo libro *Elogiórum illuſtrium litteris virorum*:

Obiit autem Neapoli anno 1555. & in Sanctae Clarae templo ſepultus eſt; ubi haec legitur inſciptio.

ANTONIO EPICVRO MVSARVM AMICO BERNARDINVS ROTA PRIMIS IN ANNIS STVDIORVM SOCIO POSVIT. MORTVVS OCTVAGENARIVS VNICO SEPVLTO FILIO MDLV. I NVNC ET DIV VIVERE MISER CVRA.

ANTONIVS FORILLVS Neapolitanus U. J. Doct. edidit *Commentarium ad Pragmaticam* VII. *ſub titulo de ſcholaribus doctorandis*, in qua agitur de poteſtate diſpenſandi circa aetatem ſcholarium doctorandorum, impreſſum *Neapoli. in typographia Lazari Scorigii*. 1634. perilluſtri, ac praeſtantiſſimo Domino Ioanni Camillo Cacacio Regiae Camerae Praeſidi, Regiique Patrimonii Fiſci Patrono dicatum.

ANTONIVS GALATEVS, licet ex familia de Ferrariis, cognomentum tamen a patria ſortitus, quae *Galatula* dicitur, nobile Oppidum Hydruntinae Provin-

vinciae, ſeu Iapygiae; quam & Magnam Graeciam dixerunt veteres, & adhuc Graeci homines miſtim incolunt. Philoſophus fuit, ac medicus celeberrimus, in Mathematicis, ac praeſertim Aſtrologiae, & Coſmographiae ſtudio bene verſatus; poëſi etiam non mediocriter inſtructus; Graecae, & latinae linguae peritiſſimus, imo Graecis natus parentibus, ejus loci accolis, doctis quidem viris; Graecorumque Sacerdotibus prognatis, ſacrarum ſcripturarum, ac Theologie ſtudiis optime eruditis. Quod idem ipſe in ſuo libro de Situ *Iapygiae* his verbis affirmat: *Nec pudet nos generis noſtri. Graeci ſumus, & hoc nobis gloriae accedit. Et* paucis omiſſis: *Pater meus Graecas, & latinas litteras novit, avus, & progenitores mei Graeci Sacerdotes fuere, litterarum Graecarum, Sacrae Scripturae, ac Theologiae minime ignari; non armis, hoc eſt vi, caedibus, & rapinis; ſed bonis moribus, & ſanctitate vitae celebres.*

Is autem Galateus Regibus Aragoneis, quorum fuit ſemper ſtudioſiſſimus, valde carus fuit; Pontani, Sannazarii, aliorumque ex Pontani Accademia virorum ingenium familiaris; multa ſcripſit ſcitu digniſſima, docte quidem, & eleganter; quorum aliqua in lucem prodierunt, caetera vero in MStis habentur, nempe:

De Situ Japygiae librum ad Joannem Baptiſtam Spinellum Cariati Comitem, qui *Baſileae* excuſus *eſt. anno.* 1558. *apud Petrum Pernam. in* 8. in lucem emiſſus, opera Joannis Bernardini Bonifacii Vriae Marchionis, qui illum clariſſimo viro Loyſio Georgio patritio Veneto dicavit. Qui quidem Marchio indignatus e tot viri hujus praeclariſſimi lucubrationibus, *neſciens* (ut ipſe ait) *qua injuria nullum opus adhuc in lucem prodiiſſet*, librum hunc, (quem Jovius in *Elogiis illuſtr. litt. vir.* valde commendat) adjectis etiam aliquot ejuſdem auctoris opuſculis, edidit. Sunt autem illa *Deſcriptio Vrbis Callipolis* ad Petrum Summontium ſuum. *De Villa Laurentii Vallae, Neapoli prope Mergellinam, poſita*, ad Actium Syncerum Sannazarium. *Alphonſi* II. *Regis Epitaphium* ſive potius funebris decantatio; quae omnia prodierunt cum libello de *Situ Japygiae*.

De Situ elementorum, ad actium Syncerum Sannarium *librum* editum *Baſileae apud eundem Pernam*. eodem anno *in* 8. cum Sebaſtiani Foxiis Morzilli Hiſpalenſis Philoſophi illuſtris, ejuſdem fere argumenti libello, nempe *de aquarum generibus*. Quem quidem Galatei librum edi curavit idem Vriae Marchio, illumque Clariſſimo viro Vincentio Cappello patritio Veneto nuncupavit, e *Baſilea Calendis Januarii*. 1558. Item *De Situ terrarum libellum*, ad eundem Sannazarium. ibidem excuſum cum libro *de Situ element. Argonauticam de Hieroſolimitana peregrinatione.* ad Beliſarium Acquavivam, in quibus inducit *Chariteum*, & *Summontium* argonautographos, quae ibidem excuſa eſt, poſt eum librum. Annexi quoque ſunt duo Libelli, alter *de Mari, & Aquis*, alter vero *de fluviorum origine*, abſque auctoris nomine, quos affirmare non auſim, ſi Galatei ſint, vel ne. At Antonius Poſſevinus in 2. *vol. ſuae Bibliothecae ſelectae lib.* XII. *tract.*4. *cap.* 13. *Antonium Galateum librum de origine Fluviorum conſcripiſſe* teſtatur.

De bello Hydruntino, quod anno 1486. geſtum eſt, nondum latine excuſum; qui dein in Italicam linguam translatus eſt ab Abbate Joanne Michaële Martiano cive, & Canonico Hydruntino, & typis editus, prodiit *Cupertini. anno.* 1583. *ex Officina Joannis Bernardini Deſae. in* 4. quem is Martianus Ferdinando Caracciolo Aërolae Duci, ac Biſcari Comiti nuncupavit.

Scripſit libellum *de Eucraſia*, ideſt *bono temperamento;* quem idem Galateus in ſuo libro *de ſitu Japygiae*, & in *deſcript. urbis Callipolis* citat. *De optimo genere philoſophandi librum*, de quo idem Vriae Marchio in nuncupatoria Epiſtola ad Galatei *Japygiam* commemorat. *De Podagra, Chiragra. Epiſtolarum latine ſcriptarum ad di-*

diverſos non parvum volumen, ſeu Tractatus XXXII. ad diverſos. *Dialogum de Heremita*, latine. *De inſtitutione filiorum Regum*. *De nobilitate*, ad Gelaſium virum optimum. *Expoſitio Orationis Dominicae*, italice. *Expoſitio in Aphoriſmos*. *Expoſitio Ptolomei Tabularum*. *Problematum* libri IV. *De Plagis mundi*. *Orationum ad Divam Mariam*. *De morbo articulorum*, *& Gallico*. *De Balneis*. *Apologia pro Nicolao Leoniceno viro doctiſſimo*. *Satyrae latinae*, *& Italicae*. *Diſcurſus de Duello* Italice. Haec autem opera MSta . . . . Aquaviva Aragoneus Nucum Dux, aliique Galatulae, Hydrunti, & Neapoli aſſervant, praeter *Apologiam Nicolai Leoniceni*, quae deperdita eſt.

Caeterum pluribus in locis magnus Pontanus Galatei meminit, eumque plurimi facit, & praeſertim *Hendecaſyllaborum lib.* II. ubi jambicum carmen ad Antonium Galateum Medicum inſcripſit; quod ſic exorditur:

Gauranae, *Galatee*, *te puellae*
Expectant, *calidis laves ut undis;*
Expectat medicum ſalubre littus;
Laetantur medico jocante Bajae &c.

Idem Pontanus inſcripſit eidem Galateo Dialogum, quem ejus nomine *Galateum* nuncupavit. At *lib. v. de ſermone. cap.* I. ait *Antonius Galateus*, *cui praeter ſummam rerum doctrinam*, *urbanus etiam*, *ac rarus quidem ineſt dicendi lepos*. *Et lib.* I. *de ſermon. cap.* 30. commendat Galateum familiarem ſuum de maxima humanitate, ac comitate, hilaritate, ac urbano ejus jocandi genere. Et *lib.* I. *de fortuna cap.* 18. refert, & ſequitur ſententiam, ac opionem quandam Antonii Galatei de fortuna differentis, *tum propter talium ſtudiorum ſummam*, *ac ſingularem*, *quae in eo eſt cognitionem*, *tum propter rerum Peripateticarum acutiſſimas pariter*, *ac ſubtiliſſimas indagationes*. Verba Pontani ſunt.

Porro Beliſarius Aquaviva Neritinorum Dux vir eruditus in *Epiſtola ad Galateum ſuum*, quae in fine ejuſdem Beliſarii libello *De re militari* habetur, Galateum alloquitur hunc in modum: *Cum tanta ſit auctoritas tua*, *tantus verborum ornatus*, *ac in ſcribendo ſententiarum gravitas*, *ut Galateo contradicere non facile quiſquam poſſit*: & paulo poſt: *Sic etiam de activae & contemplativae vitae dignitate dicendum eſt exemplo tui*, *vir optime*, *qui utramque ſimul exerces*. *Quandoquidem eae ſunt in exercenda medicina actiones tuae ad hominum ſalutem*, *ad morbos a corporibus hominum removendos*, *ut facile judicari poſſit ex hoc non parum te laudis in dies eſſe aſſecutum*. *In contemplatione autem litterarum quis ſis*, *ſcripta paenitus tua oſtendunt*; *ſemper enim Ariſtotelis tui memor* (*qui ex altera diis ſimiles nos effici cenſuit*; *alteram rem*, *qua ſocietas hominum conjuntioque ſervatur*, *plurimum conferre humano generi arbitratur*) *utrumque amplexans*. *Quo fit*, *ut non utriuſque modo participem te*, *verum etiam in utraque praeſtantem judicemus*.

Doctiſſimus quoque Hermolaus Barbarus Orator Venetus Patriarcha Aquilejenſis *Praefationem ad paraphraſim Themiſti in Ariſtotelis Phyſicam* Antonio huic noſtro Galateo e Venetiis anno 1480. inſcripſit; quae cum aliis Hermolai operibus, & ſeorſim excuſa eſt *Baſileae apud Frebenium. anno*. 1516. & inter *Epiſtolas* Angeli Politiani *libri* XII. & alibi.

Ambroſius quoque Leo *lib. primo Chron. Nolan. cap.* 6. vocat Antonium Galateum *utroque litterarum charactere*, *atque ſcientia omni virum maxime circumſpectum*.

Meminerunt tandem ipſius Galatei improbati nominis auctor Conradus Geſnerus in ejus *Bibliotheca*, & Joannes Georgius Kenkius a Gravenbery in *Bibliotheca medica*. Jovius quoque ipſius elogium facit in ejus libro de *Elogiis illuſtrium litteris Virorum*, quem valde celebrat;

Reperimus quoque in publicis monumentis Galateum hunc Neapolitana civitate ab Electis ejus urbis anno 1510. fuiſ-

ſe

ſe donatum, a quibus appellatur *magnificus Dominus Antonius Galateus de Licio doctor in ſcientia phiſica*.

Obiit autem Galateus hic in urbe Licii. anno 1530. aetatis ſuae 93. & in ſepulcro Sancti Joannis Fratrum Praedicatorum ſepultus eſt; ubi ejus ſepulcro, haec legitur inſcriptio:

QVI NOVIT MEDICAS ARTES ET SYDERA CAELI HAC GALATEVS HVMO CONDITVS ILLE IACET. QVI CAELVM TERRAMQVE ANIMO CONCAEPIT OLYMPVM CERNITE MORTALES QVAM BREVIS VRNA TEGIT.

ANTONIVS GLIELMVS Neapolitanus Sacerdos, Theologus, Congregationis Oratorii Civitatis Neapolis, edidit italice librum, valde purum, & eruditum, quem inſcripſit, *Le grandezze della Santiſſima Trinità*, qui excuſus eſt primo *Venetiis*. apud *Franciſcum Fabam. anno . . . in 4. Auguſtiſſimae, & glorioſiſſimae Trinitati, incomprehenſibili ſingularitate immenſae, & ineffabili, in innumeroſitate ſingulari dicatum.* Demum tertio prodiit pariter *Venetiis. ex typographia ejuſdem Franciſci Fabae*. 1643. in 4. eidem Sanctiſſimae Trinitati dicatus, addito Italo Poëmate ſacro ejuſdem auctoris *De diluvio in fine mundi*.

ANTONIVS GRANVS Cropamitanus Calaber latine heroico Carmine ſcripſit Poëma *De ſitu, laudibuſque Calabriae; deque Arochae Nymphae matamorphoſi*, ad Franciſcum Vrſinum nobilem patritium Romanum.... quod excuſum eſt, ſine die, & conſule, & nomine impreſſoris *in 4*.

ANTONIVS MARIA GESVALDVS, ſcripſit librum ad Mathematicam diſciplinam pertinentem, quem inſcripſit: *Exercitationes in alterum Sereni Antiſſenſis librum*, qui eſt *de ſectione Coni*. Inſuper alias quaſdam *Exercitationes in diverſorum ſcriptorum loca*, nempe in *theor.* XXIV. & *propoſit.* XXXI. libri I. Sereni, qui eſt *de ſect. Cylindri*. Lemma ad LIII. & LIV. *propoſit. lib. I. Conicorum Apollonii*. Item de *Parabulae quadratura* ex *Archimedis Methodo*, ſed breviori filo deducta, quae omnia excuſa ſunt *Neapoli. anno*. 1584. apud *Horatium Salvianum*, & *Caeſarem Caeſaris in 4*. Eum librum Joannes Jacopus Geſualdus Antonii Mariae frater, poſt fratris obitum edidit in lucem, ac Illuſtriſſimo Domino Alphonſo Geſualdo S. R. E. Cardinali dicavit.

ANTONIVS MARICONDA Neapolitanus ſcripſit *Filenam* Comoediam Italice, quae excuſa eſt *Neapoli. anno . . . .* Edidit etiam, *Tre Giornate della ſavola di Aganippe*, quae continent feſtivos ſermones ab eo habitos cum Iſabella Villamarina Salerni Principe: impreſſ. *Neapoli. anno*. 1550. apud *Joannem Paulum Suganappum. in 4*. eidem Dominae Iſabellae dicatos.

ANTONIVS MARINARIVS ex oppido Gripaliano, Apulus, Carmelitani Iuſtituti profeſſor, ac generalis ejus Ordinis Procurator in Romana Curia, vir fuit (ut Petrus Lucius Belga Carmelita in *Carmeluana Bibliotheca* teſtatur) ſacrae Theologiae doctor celeberrimus, ac undecumque doctiſſimus, acri, ac vehementi ingenio, & eximia eloquentia praeditus, & concionator illuſtris: idemque in divinis ſcripturis, & diſputationibus exercitatiſſimus.

Edidit excellentiſſimum librum *de Conſonantia Jeſu Chriſti, & Prophetarum* typis excuſum *Venetiis. apud Franciſcum Bindoneum*, & *Mapheum Paſineum*. 1539. *in 4*. & rurſum *Pariſiis*. 1541. & Fratri Nicolao Andet totius ejus Ordinis Generali dicavit. Plurimos etiam alios libros conſcripſit in lucem emittendos, quos morte prae-

Digitized by Google

praeventus non abſolvit, ac eis ſupremam manum imponere non potuit.

Interfuit Tridentinae Synodo, in qua & profundam doctrinam, & ſingularem memoriam, uſque ad glorioſiſſimam oſtentationem demonſtravit. Etenim, ut idem Petrus Lucius teſtatur ad quinquaginta uſque Haereticorum argumenta ex ordine memoriter referens, illorum rationes, & auctoritates recenſens; dein ordine retrogrado ab ultimo ad primum uſque clariſſimis Sacrae Sacripturae teſtimoniis, & rationibus ſolidiſſime refellit. Nobile quidem memoriae exemplum, cujus admiratores fuere omnes, qui Concilio aderant viri, & litteris, & dignitatibus eminentiſſimi.

Extant quoque ipſius *Orationes duae* quas latine habuit in Tridentina Synodo annis 1545. & 1546. alteram nempe in quarta Dominica Adventus, alteram vero in quarta Dominica Quadrageſimae, quae typis excuſae ſunt, cum aliis *Orationibus diverſorum in eo Concilio habitis*.

De eo libro *Conſonantiae Jeſu Chriſti*, *& Prophetarum* Sixtus Senenſis *lib. IV. Biblioth. Sanctae*, & Antonius Poſſevinus *vol. I. Apparatus ſacri.* qui appellat *eum librum ſatis recte diſpoſitum*.

ANTONIVS MARINARIVS alter, pariter Griptalienſis, & Carmelita Sacrae Theologiae in ſua Religione lector; edidit latine *Orationem de Beato Andrea Corſino* ejus Ordinis, quam dixit *Romae. apud Jacobum Maſcardum. 1629. in 4.* Item *Orationem* latine *in funere Cardinalis Mellini*, quae impreſſa eſt Romae . . . *in 4.*

ANTONIVS MARRAPHA ex Oppido Martinae, Ordinis Praedicatorum, artium, & Sacrae Theologiae Doctor, ac Magiſter; in conventu Sancti Dominici Neapoli ſtudiorum Regens, & Metaphyſicam publice in Neapolitano gymnaſio profitens, vir fuit certe eruditus, ac Theologus eximius.

Edidit librum *De anima, omni quidem doctrinae genere refertum, Philoſophis, Theologis, ac Concionatoribus perutile* in quatuor libros ſectum; quorum I. *de contemnenda morte* II. *de animarum productione*, III. *de animarum creatione* IV. vero de *animarum immortalitate* agit, & philoſophice, ac Theologice erudite, ac ſcite, optimiſque rationibus probat animam eſſe immortalem. Hunc ipſum Domino Joanni Petro Carrafae S. R. E. Cardinali Theatino, ac Neapolitano Archiepiſcopo nuncupavit; qui prodiit *Neapoli. ex Officina Matthiae Cancri Brixienſis. anno. 1550. in 8. fol.* quo tempore is auctor floruit.

De eo Frater Antonius Luſitanus in *Chron. Fratrum Ordinis Praedicatorum*. Et Fr. Alphonſus Fernandes de *Scriptor. Praedicatoriae Familiae*.

ANTONIVS DE PORTA de Ebulo, Ordinis minorum de Obſervantia ſcripſit *Acta Sancti Antonini Abbatis Surrentini*, *vitam* nempe, *miracula*, *inventionem*, *ac translationem ejus ſacri corporis* latina lingua; quae Domino Mariano Branciae Abbati ſacrae aedis Sancti Antonini apud Surrentum dicavit (ut ejus nuncupatoria Epiſtola docet), ſub datum ex Coenobio Sanctae Crucis, extra Neapolim 8. Idus Majis anno 1535. Impreſ. *Neapoli. per Joannem Antonium de Caneto Papienſem. anno. 1535. in 4.*

ANTONIVS RAGVCIVS Beneventanus, III. Doctor., & Metropolitanae Eccleſiae Beneventanae Canonicus, multos obivit Magiſtratus, ac dignitates in ſua patria; & olim in Beneventana Eccleſia, pro ejus Archiepiſcopo Viſitator generalis Auditor, & Ordinarius Appellationum Judex fuit. Etenim dominorum Maximiliani Palumbariae, & Pompei Cardinalis Arigonii Archiepiſcoporum Beneventanae urbis Auditor Generalis, ac Viſitator, & Ju-

Digitized by Google

Judex Appellationis Ordinarius eſtitit domini Scipionis Cardinalis Burgheſii, Abbatis & perpetui Commendarii Sanctae Sophiae de Beneventò Vicarius Generalis; & auditor Domini Alexandri de Sangro Patriarchae Alexandrini, & Archiepiſcopi Beneventani Viſitator, & Auditor; & Eccleſiae Beneventanae major Poenitentiarius, & Judex Synodalis.

Multa edidit nempe: *Tractatum de Voce Canonicorum in Capitulo, Officio in Choro, & Miſſa in Eccleſia*, excuſ. *Neap. anno.* 1621. *apud Lazarum Scorigium. in* 4. Illuſtriſſimo Domino Scipioni Cardinali Burgeſio dicatum.

Lucernam Parochorum, ſeu *Cathecheſim ad Parochos demonſtrantem per quaeſita deciſionem Caſuum frequentiorum, & difficilium tam in adminiſtratione Sacramentorum, quam aliorum munerum parochialium ex communi D. D. ſententia, nedum parochis, ſed examinandis in concurſu Beneficiorum, pro audiendis confeſſionibus, pro ordinibus ſuſcipiendis utile, ac neceſſarium*, impreſſ. *Neap. anno.* 1623. *apud Octavium Beltranum. in* 4. Sanctiſſimo Domino Gregorio XV. P. dicatum.

Vas Eccleſiaſticae diſciplinae ad. . . . excuſ. *Neap. apud Octavianum Beltranum.* in 4. Tractatum *De ſtatu animarum in praeſenti vita, & in altera*, qui excuſus eſt *Neapoli. apud Octavium Beltranum. anno* 1626. *in* 4. Sanctiſſimo Domino Papae Urbano VIII. dicatum. Edidit quoque librum. in quo continentur *De ſtatu animae in hac vita, & in alia.* itemque Tractatum *de Angelis, Daemonibus, & aliis* ſcitu digniſſimis, nempe *de titulo Eminentiae dominorum Cardinalium.*

De miraculis in Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti De ejuſdem effigie, vultu, qualitatibus, & morte, ex epiſtolis Lentuli, & Pilati. De vultu, & perſona Beatae Mariae Virginis, ex Theophilacto, & Sancto Epiphanio.

Edidit etiam *De inſtituenda hominum vita ex Pytagora*. qui quidem liber prodiit *Neapoli. anno.* 1636. *apud Joannem Dominicum Montanarium. in* 4. Eminentiſſimo Domino Auguſtino ex S. Sixti Praesb. Cardinali Oregio Archiepiſcopo Beneventano dicatus.

ANTONIUS RICCHUS Neapolitanus ſcripſit Carmine italo librum, qui inſcribitur *Fior de Delia*, nempe: *Sonetti. Capitoli. Epiſtole. Deſperata. Egloga. Barſelette. Strambotti. Farze:* quae omnia excuſa ſunt *Venetiis. apud Melchiorem Seſſam.* 1511. in 8. & Domino Eneae Cabriano e Gonſagha equiti nuncupavit.

ANTONIUS RICCIULLUS Roblanenſis, patritius Rheginus, Calaber Juriſconſultus, olim in Romana Curia cauſarum patronus fuit. Deinde Epiſcopus Bellicaſtrenſis; ac Domini Urbani Papae VIII. in Apoſtolica Viſitatione a ſecretis, urbiſque Vicem gerens: poſtmodum Epiſcopus Oppidenſis; poſtremo vero extitit Archiepiſcopus Conſentinus. edidit *Tractatum de jure perſonarum extra Eccleſiae gremium exiſtentium*; cui propter argumenti ſimilitudinem annexus eſt alter *Tractatus de Neophytis*. qui excuſus eſt *Romae. in typographia Andreae Phei. anno* 1622. *in fol.* Domino Ludovico Ludoviſio S. R. E. Cardinali Camerario dicatus.

Edidit etiam *Tractatum de Perſonis, quae in ſtatu reprobo verſantur*; videlicet *de Blaſphemis, Meretricibus, Concubinis, Leonibus Hiſtrionibus, Circulatoribus, Perſonatis, Choraeis, atque Tripudiis, Zingaris, ſeu Egyptiacis, Vagis, Luſoribus, Delatoribus, Lictoribus, Carnificibus* impreſſum *Neapoli. apud Robertum Mollum. anno.* 1644. *in fol.*

Scripſit quoque *Elucubrationum Eccleſiaſticarum libros* VI., excuſſos *Neapoli. apud Camillum Cavallum.* 1643. *in fol.* Franciſco Cardinali Barberino Vicecancellario dicatos.

ANTONIVS SANCTORELLVS de Atria, in ulteriori Aprutio, *Societatis Jeſu* nedum in Sacra Theologia, verum etiam in jure civili, & Canonico apprime fuit excultus. Edidit *Variarum reſolutionum, & conſiliorum partem primam*. *Romae*. 1625. *apud Ludovicum Grignanum*. *in* 4. Domino Branchiani Duci dicatam.

Tractatum morale de Haereſi, quem ſeptem libris abſolvit, in pr. agitur *de Haereſi*. II. *de Schiſmate*. III. *de Apoſtaſia a fide, & religione*. IV. *de Confeſſariis ſollicitantibus in Confeſſione, & de obbligatione eos denunciandi Inquiſitoribus*. V. *de Maledictione*. VII. *de Auctoritate Romani Pontificis in his delictis puniendis*, excuſum *Romae*. 1625. *apud haeredem Bartholomei Zannetti*. *in* 4. Domino Mauritio Cardinali de Sabaudia dicatum.

Edidit Italice tractatum *De Jubilaeo anni ſancti, aliiſque Jubilaeis Romae*. 1624. *apud Jacobum Maſcardum*. *in* 12. *& apud Ludovicum Grignanum*. 1625. *in* 12. qui latine translatus excuſus eſt *Moguntiae*. *apud Antonium Strocheſcer*.

Vitam Jeſu Chriſti, & Mariae Virginis. *Italice*. *Romae*. *apud Grignanum*. 1625. *in* 8.

Scripſit etiam Italice haec, quae editionem expectant *Vitam B. Aloyſii Gonſagae*. *Vitam Bernardini Beatini*. *Vitam Alphonſi Rodrigues* Societatis Jeſu.

ANTONIVS SANTORELLVS Nolanus Philoſophus, ac medicus extitit, & in Gymnaſio Napolitano prius Philoſophiae primus profeſſor; dein Theoriae Medicinae primarius interpres. Edidit *Antipraxim medicam, in qua continentur ea omnia, quae praxim Medicinae aggreſſum ſcire oportet*; quae excuſa eſt *Neapoli*. *anno*. 1624. *apud Lazarum Scorigium*. *in* 4. Domino Aloyſio Carraſae Ottiliani Principi dicatam. Dein ab auctore aucta, & locupletata duobus libris, multiſque capitibus, quae in priori editione deſiderabantur, recuſa eſt *Neapoli*. *anno*. 1633. *apud Dominicum Maccaranum*. *in* 4. Excellentiſſimo Domino D. Emanueli Zunica, & Fonzeca Comiti Montisregii, & in Regno Neapolitano Proregi dicata.

Poſt-praxis Medicae, ſeu de medicando defuncto, librum unum, in quo quaecumque prudens, & Chriſtianus Medicus debet defuncto praeſtare explicantur, excuſum *Neapoli*. apud *Lazarum Scorigium*. 1629. Excellentiſſimo Duci Alcalae in Neapolitano Regno Proregi dicatum.

Joannis Franciſci Roſſelli Catalani primi medicinae Lectoris in Civitate Barchinone Cenſura ad cenſuram vocata; in qua definitio actionis depravatae ab auctore primum traditae adverſus ipſum defenditur natura ſymptomatis in excretis retentis explicantur, & multa ejus item dicta caſtigantur, excuſa *Neapoli*. *apud Lazarum Scorigium*. 1628. in . . . . Illuſtriſſimo Domino Franciſco Antonio de Alarcone militi Sancti Jacobi de Spata, ac Regio Generali Viſitatori in Regno Neapolitano dicata.

Diſcorſi della natura, accidenti, e pronoſtici dell' incendio del monte di Somma dell' anno 1631. excuſ. *Neap*. *apud Egidium Longum*. 1602. *in* 4. Illuſtriſſimo D. Didaco e Mendotia dicati.

De ſanitatis natura libri XXIV. *in quibus explicantur quaecumquae ad partem Phiſyoloegicam vocatam a Medicis, & de ſanitat tuenda; opus nedum medicis, ſed & philoſophis fructuoſum*, excuſ. *Neap*. *apud Dominicum Maccaranum*. *in fol*. 1643.

ANTONIVS SANFELICIVS Neapolitanus, Ordinis Minor. Obſerv. vir quippe eruditus, ac latine dicendi peritus tum carmine, tum ſoluta oratione; quique ob peritiam, atque excellentiam in deſcribendis regionibus, & Pliniani ſtyli in ſcribendo ſimilitudinem *Frater Plinius* vocabatur. Edidit Lyrico Carmine. *Libellum*; qui *Clio divina* inſcribitur, Tiberio Bucchae ab auctore dicata; quae prodiit *Neapoli*.

ex

Digitized by Google

ex Officina Joannis Sulzbachii Germani. 1531. *in* 4.

Scripſit quoque ſoluta oratione, docto preſſo, ac nitido ſtilo pulcrum, ac celeberrimum *Libellum de origine, & ſitu Campaniae ad Excellentiſſimum Senatum, Populumque Campanum*, qui cum praefato Carmine, quod *Clio Divina* nuncupatur, Paſchali Caracciolo dicata, ac variis ejus verſibus ſimul, excuſus eſt *Neapoli. anno.* 1562. *apud Matthiam Cancer. in* 4. *Senatus ſumptibus. in* 4. Recuſa ſunt quoque ea omnia *Neapoli.* 1566. *apud Joannem Carlinum*, & *Antonium Pacem.* in 8. item pluries recuſo, & in poſtrema editione addita fuit *Auctoris Vita*.

Prodiit quoque haec ipſius *Campania* recuſa cum libro, qui *Italia illuſtrata* dicitur, impreſſa *Francofurti. anno.* 1600. *in tipographia Cambieriana. in fol.*

ANTONIVS SCARAGIVS de Altamura Ordinis minorum de obſervantia, Theologus, edidit Italice pium, doctum, ac praegrandem librum: quem vocavit *Ornamentum animae*, ſuae patriae dicatum, quem excudit *Neapoli. Matthias Cancer. anno.* 1558. *in* 4. quo tempore auctor floruit.

ANT. SEBAST. MINTVRNVS, ſive *Antonius Minturnus* (utroque enim modo ſeipſum appellavit atque ab aliis eſt nuncupatus) e Traetto. Eſt autem *Traettum* celebre oppidum in Campania prope . . . . . quod latine *Minturnum* appellatur, Ducali titulo, ac dignitate inſignitum. Minturnus itaq. Uxentinus Epiſcopus in Hydruntina provincia, poſtmodum Crotoniarum in Brutiis, poëta fuit inſignis, Graeca, & latina atque hetruſca lingua eruditus. Philoſophia, item ac Sacra Theologia nobiliter excultus, qui edidit latina, ac haetruſca lingua tum carmine, tum ſoluta oratione opera praeclariſſima, quae ſecuntur.

De Poëta libros VI. ad Hectorem Pignatellum Vibonenſium Ducem, qui editi ſunt *Venetiis. anno.* 1559. *apud Franciſcum Rampazetum. in* 4. in quibus quidem libris conſcribendis viginti prope annos conſumpſiſſe, & melioris ejus aetatis annos fatetur ipſe in epiſtola nuncupatoria libri *de Arte poetica*.

Poëmata quoque elucubravit, quae Dominicus Pizimentius Vibonenſis Minturni diſcipulus in poëtica, ac Graecis litteris, magiſtri juſſu (cum is ad Concilium Tridentinum proficiſceretur) edi curavit., ac Marco Antonio Columnae Carſeolorum Duci dicavit, excuſ. *Neap. apud Joannem Mariam Scottum. anno* 1562. *in* 8. & *Venetiis* . . . . . dein recuſa ſunt in II. volumine *Delitiarum* CC. *Ital. Poët.* Ranucii Gheri *anno.* 1608.

Orationes, quas edidit in Tridentina Synodo. *De officiis Eccleſiae praeſtandis* & Illuſtriſſimo Claudio Fernando Quiſconio Comiti Lunenſi Regis Catholici apud Concilium Tridentinum Legato, dicavit, excuſ. *Venetiis.* 1564. *apud Joan. Andr. Valvaſſorem. in* 8.

Scripſit itidem **in** Civitate Tridenti, cum Generale Concilium illic celebraretur, atque uti Uxentinus Epiſcopus ipſe intereſſet, *Poëmata Tridentina*. ad Joannem Maronum S. R. E. Cardinalem Tridentini Concilii Praeſidem primarium; quae excuſa ſunt *Venetiis. anno.* 1564. in 8. *apud eundem Valvaſſorem.* Sunt autem poëmata Heroica, quae Tridenti, in otio, atque intermiſſione Seſſionum confecit, quaeque ad Concilium ſpectant, atque haec ſunt:

Concilium ad Paulum III. Pontif. Max. *Ovile, ſeu Dioclei. Vinea. Sagena. Templum. Regnum. Concordia, ſeu de laudibus Illuſtriſſimi Cardinalis Moroni. Encyclopaedia, ſive Bonus.* In iis poëmatibus habentur omnia, quae per ſexdecim fere menſes ſub Pio IV. Pontiſ. Max. in Sancta Synodo Tridentina diſceptata ſunt, *an jure Divino Epiſcopia munera teneantur*

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopi ; inſtituantur ; utraque poteſtate afficiantur ; Praesbyteris praeficiantur , reſidere denique cogantur. Fatetur Minturnus in ejus libri nuncupatoria epiſtola , *ſe in politioribus litteris , ac preſi , antequam Sacerdotium iniiſſet , omne ferme tempus aetatis ſuae conſumpſiſſe* .

Italica vero lingua haec edidit, nempe, *Litterrarum ad diverſos libros* VIII. , excuſos *Venetiis* . 1549. *apud Hieronymum Scotum*. *in* 8. ex iis epiſtolis ejus vita , itinera , labores , ac ſtudia optime perſpiciuntur , ac colligi poſſunt.

Rime ; *& proſe*, quas Hieronymus Ruſcellus *Venetiis* ſimul edi curavit *apud Franciſcum Rampazetum* . *anno*. 1559. *in* 8. idemque Ruſcellus Domino Hieronymo Pignatello ſcribae portionis pro regia , & Catholica Majeſtate in Regno Neap. nuncupavit ; & quam maxime Minturnum , eaq. & caetera ejus ſcripta commendat in epiſtola ad eundem Pignatellum . Sunt autem opera haec ſimul edita , nempe *Rithmorum libri* III. ſoluta vero oratione *liber unus*, cujus titulus eſt, *Amore inamorato* ; item alius , qui inſcribitur : *Panegirico in laude d' amore* , quem Minturnus idem praeclariſſime heroinae Marchioni Paludis dicavit .

Cantiones ſuper Pſalmis rithmis eccinit , quas Domino Carolo Borromeo Cardinali dicavit , impreſſ. *Neapoli* . 1561. *apud Joannem Mariam Scotum* . *in* 4. Item *Rithmos ex Sacra Scriptura* , *& Sanctorum Patrum dictis excerptos* ibidem excuſos , eiſdem anno , & forma .

Artem poëticam , in qua continentur praecepta heroica , tragica , comica , ſatyrica , & omnes aliae poëſes , cum doctrina *Sonettuum* , *Cantionum* , *& omnium generum rithmorum* etruſcorum ; ubi edocetur modus , quem Petrarcha in ſuis operibus tenuit , ac ſuis locis declaratur quidquid ab Ariſtotile , Horatio , & aliis auctoribus Graecis , ac latinis ſcriptum fuit pro inſtructione poëtarum : excuſ. *Venetiis* . 1564. *apud Joannem Andr. Valvaſſorem*. *in* 4. ab eodem tunc Veneti Epiſcopo dicatam doctiſſimae , & ornatiſſimae Academiae Laviae Civitatis Comitii , ut ex ipſius Minturni Epiſtola nuncupatoria ſub datum Tridenti die 21. Septembris 1564. Hujus operis meminit Anton. Poſſevinus in II. *vol*. *Biblioth. Selectae lib.* XVII. *cap.* 6. aitq. excuſam fuiſſe *apud Zilettum*. *in* 4.

Commentarium quoque praeclariſſimum *ſuper Petrarcham* , qui ſub nomine *Joannis Andreae Geſualdi* prodiit , Minturnus edidit ; ut in Geſualdo inferius dicemus .

Antonius Franciſcus Donus in ejus *Bibliotheca* , *in ſecunda parte* meminit ſe vidiſſe Minturni MStum librum , *Rime alla Vergine*. Caeterum Minturnus hic noſter vir fuit ſua tempeſtate celeberrimus . Thomas Fazellus *de rebus Siculis decade* x. *lib.* 6. *cap.* primo *Antonium Minturnum Graecae* , *& latinae eruditionis praeſtantia inſignem appellat*. Ruſcellus etiam , ut ſuperius diximus , ſummis laudibus ipſum , ejuſque ſcripta effert .

In libro Laurae Terracinae Neapolitanae Poëtriae celeberrimae legitur Sonettus ejuſdem Laurae ad Antonium Minturnum , qui incipit :

Dotto , e ſaggio Minturno , che ſovente &c.

ANT. TERMINIUS e Conturſio , Lucanus, bonis litteris excultus , ac Neapoli in erudienda juventute Principum virorum diu verſatus , ſcripſit italice : *Diſcurſum de miſeria humana* , *ac de vera felicitate* , *cum Summario vitae Jeſu Chriſti* , ad Dominum Franciſcum Lercarum regiorum Sigillorum , ac Cancellariae Neapolitani Regni Conſervatorem , excuſum *Januae anno* . 1559. *apud Antonium Bellonem* . *in* 4. poſt librum *Rithmorum Spirit.* Ferdinandi Carrafae Sancti Luciti Marchionis .

Edidit etiam ſua *Carmina latina* , quae ſimul cum Carminibus Junii Albini , Terminii Senioris , Bernardini Rotae , Nicolai Antonii Brancatii , atque Angeli Conſtantii Equitum Neapolitanorum , item mol-

Digitized by Google

Molſae, Conſtantii, Sebaſtiani Neapolitani, Domitii Bruſonii Conturſini, Spinutii Trajani Minervienſis, & Marci Antonii Caſanovae in unum volumen redactis, in lucem protulit Ludovicus Dulcis *Venetiis. apud Gabrielem Julium de Ferrariis, & Fratres. anno. 1554. in 8.*

Scripſit quoque *Apologiam trium Sedilium nobilium Civitatis Neapolis*; de qua conſule ea, quae ſuperius in Angelo Conſtantio diximus. Edidit etiam latino Carmine *Tropheum Antonii Granvelae Cardinalis* ampliſſimi Neapolitani Proregis, excuſ. *Neapoli. 1571. apud Joſephum Cacchium. in 4.* Domino Ferdinando Avalo dicatum.

ANTONIUS THYLESIUS Conſentinus vir doctus, multa latinae ſcripſit, tum carmine, tum ſoluta oratione, nempe: *De Coronarum generibus apud antiquos* ſoluta oratione libellum, qui excuſus eſt *Coloniae. anno. 1531. apud . . . . .* *De coloribus libellum* ſoluta oratione, qui prodiit *Baſileae: anno 15. . . . . ex officina Cratandri*, in fine *Actuarii de Urinis.* Idem libellus *de Coloribus* excuſus eſt cum eodem libro *Actuarii de Urinis* in fine, ac etiam ejuſdem Thyleſii *Elegiis de Araneola*, & *Cecindela. Pariſiis. in typographia Jacobi Gazelli. 15. . . . in 8.* & *Venetiis. 1528. apud Bernardinum Vitalem Venetum.* in 4. Ejuſdem Thyleſii de *Coloribus libellus* excuſus eſt cum Lazari Bayſii annotationibus *in l. XII. De captivis, & poſtliminio reverſis*, in quibus tractatur *de re navali*, & ipſius quoque Bayſii annotationibus in tractatu *De auro, & argento legatis*; in quo veſtimentorum, & vaſculorum genera explicantur, impreſ. *Baſileae apud Froben. 1541. in 4.*

Cyclopem ſcripſit hexametro Carmine, & *Galateam* elegiaco, excuſ. *Tiguri. anno. 1501. apud Froſchou. Idyllia* ſive poëmata VI. nempe *Aeneam*, *Lucernam*, *Thetin*, *Charites* vel *Fraga*, *Arundinem*, & *Prometheum*.

Ejus quoque *Imber aureus*, *Tragoedia*; *Idylia*, ſive poëmata ſeptem, *Cyclops*, *Galatea*, *Lucerna*, *Arundo*, *Aeneas*, *Araneola*, *Cicindela*, edita ſunt cum ejus commentariis *de Coloribus*, & *Coronarum generibus. Baſileae. apud Joannem Oporinum. anno. 1545.*, & idem *Imber aureus. Venetiis. 1529. apud Bernardinum Vitalem. in 4.* & *Baſileae. 1545. apud Joannem Oporinum.* Ejuſdem *Cyclops*, & aliae quaedam poëmata habentur in *11. vol. Deliciarum CC. Italorum poëtarum.*

Poëmata quoque ipſius excuſa ſunt *Romae. anno. 1524. apud F. Minutium Calvum. in 4.* Joanni Matthaeo Gyberto Clementis VII. Pontf. Max. Datario ab auctore dicata; ſunt autem haec *Cyclops*, *Hortulus*, *Lucerna*, *Nautarum labor*, *Turris de Coelo percuſſa*, *Naenia de obitu patris*, *Reticulum*, *Galatea*, *Tibia*, *Parma*, *Aeneas*;

Scripſit quoque carmine *de Ortu Archintorum. Epithalamium* in *nuptias Scipionis Capicii, & Juniae. Caraciolae*, excuſ. *Neapoli. apud Evangeliſtam Papienſem. 1526. in 4. Oratio*, quam publicae habuit Mediolani *in funere Illuſtriſſimi Domini Joannis Jacobi Trivultii.* coram Odeto Principe, excuſa eſt *Mediolani. 1519. apud Agoſtinum de Vicomercato. in 4. Epiſtolae* quatuor latine perelegentes, ſub datum Conſentiae, & Neapoli anno 1531. & 1532. habentur in libro, qui inſcribitur *Epiſtolae Clarorum Virorum ſelectae de quam plurimis optimae*, impreſſ. *Coloniae Agrippinae. apud Joannem Gymnicum ſub Monocerote. anno 1586. in 8 Epiſtola* perlonga, ac candida ad *Alexandrum Cacciam Florentinum*, amicum optimum, ſuaviſſimumque, *de publica omnium laetitia ob Julii Medicei; nunc Clementis VII. Pontificatum Max. feliciſſimumq.* quae excuſa eſt, abſque nomine impreſſoris anno, & loco.

Lilius Gregorius Gyraldus *in Hiſtoria poëtarum dial. primo de poëtis noſtri temporis. fol. 395.* de eo ſic ait: *Vidimus & Antonii Tyleſii Conſentini Carmina, etſi preſſa illa quidem, erudita tamen, nec ſine cultu,*

Digitized by Google

tu, *duriuſcula certe*, & *laborioſa*. Meminit quoque Thyleſii hujus Gabriel Barrius in II. *de antiquitate & ſitu Calabriae*. *fol.* 117. quem vocat *virum impenſe eruditum*. De Antonio Thyleſio, atq. ejus libris non obſcurum perhibet teſtimonium Conradus Geſnerus in ejus *Biblioth.* ſic enim ait: *Antonii Thyleſii Itali Conſentini Opuſcula aliquot partim jam prius diverſis in locis, partim nunquam prius edita, tum ſtyli Romana puritate tum eruditione, varietate, & lepore argumentorum magno ſtudioſorum applauſu excipienda, Joanni Oporino Baſilienſi typographo dedi, qui ea publicavit anno* 1545. *in* 8. *chartis undecim*. *Ex his ligato ſermone conditus eſt* Imber aureus, *Tragoedia*, & *poëmata ſoluta autem* Commentarii *duo*, *unus de* Coloribus, *alter* de Coronarum generibus. *Ab eo quidem tempore etiam alia quaedam hujus auctoris poëmata in Italia typis impreſſa, nactus ſum, quae cum praecedentibus conjuncta, denuo excudi optarim, ut tam elegantis* Scriptoris, *quae extant omnia uno volumine haberentur*.

APOLLODORVS TARENTINVS Medicus, cujus meminit Plinius *lib.* I. *natural. hiſtor.* in elencho, ſeu indice ejus librorum, ubi recenſens auctores, ex quibus deſumpſit, quae is dixit in libris a xx. ad XXVII. inter alios refert ex medicis Apollodorum Tarentinum, & Apollodorum Citienſem. & *lib.* xx. *cap.* 4. citat Apollodoros duos in materia artis medicae, nempe Apollodorum Tarentinum, ac Citieum. Erat autem Cithei urbs in Parthis. Idem Plinius *lib.* XIV. *cap.* 7. citat Apollodorum medicum *in volumine, qua ſuaſit Ptolomeo Regi, quae vina biberet*; verum quis fuerit hic Tarentinus ne, an Citienſis, an alius incertum eſt.

Apollodorum quoque hunc Tarentinum medicum citant Galenus, Dioſcorides, & Alexander. Fortaſſe hic idem eſt Medicus ille, qui omiſſo nomine Tarentinus vocatur; cujus extant quaedam ad rem medicam pertinentia, de quo ſuo loco inferius dicemus.

ARCANGELVS SPINA Neapolitanus, Camaldulenſis Heremita, legum Doctor bonis litteris excultus, edidit Italice *Rithmorum ſpiritualium librum*, quem Hieronymus Sarianus Vici Equenſis Epiſcopus Illuſtriſſimo Domino Scipioni Burgheſio. S. R. E. Cardinali dicavit, excuſum *Neapoli.* 1616. *apud Joannem Dominicum Roncaliolum*. *in* 4.

ARCHITAS TARENTINVS Heſlei filius vel Mneſarchae, vel Meneſagorae Philoſophus fuit inſignis, ac ſolertiſſimus Pythagorius, Mathematicus illuſtris, geometra, ac Mechanicus. Multa Graece ſcripſit, quae paſſim ab antiquis ſcriptoribus citantur, ejuſque doctrina, ac dogmata referuntur.

Archytae hujus *librum de Principiis* citat Stobeus *lib.* I. *Eclogae phyſicae cap.* 33. *Librum de mente*, & *ſenſu*. idem Stobeus *lib.* I. *Eclogae phyſicae cap.* 40. *librum de Ente*. *Stobeus lib.* II. *Eclogae Ethycae*. *cap.* I. *qui quoddam excelſum habere*, ait. Ex quibus omnibus libris Stobeus doctrinam Archite elicuit.

Eum paſſim recitat Athenaeus *lib.* V. *cap.* 25. ait *Archytam reliquiſſe commentarium de Tibiis* Idem. *lib.* III. *cap.* 3. citat *Archytam in Grue*. *De Viro bono*, & *felice*; cujus Fragmentum habetur apud Stobeum in fine primi ſermonis; & aliud ex eodem libro *in laudem Senectutis*; idem in fine primi ſermonis, & in ſermone de *Magiſtratu*, & *Juſtitia*.

Scripſit *librum Praedicamentorum*, qui editus eſt in lucem, a quo nullo fere verbo immutato, Ariſtoteles ſua *Praedicamenta* deſumpſit; ut iis collatis facile quiſque perſpiciet. Citatur Architas Tarentinus in ejus *Praedicamentis* a Simplicio. Achytae Tarentini ſententiam, qua ſemper humanum

num genus fuiſſe creditur ; citat Cenſorinus *in lib. de natali die cap. 3. Archytae Epiſtolium* ad Dionyſium Syracuſanum Regem extat apud Diogenem Laërtium in vita Platonis *lib.* III. & alterum in *lib.* VII. cum de Archyta agit. Binae quoque *Epiſtolae* ad Platonem recitantur ab eodem Laertio, de quibus mox agemus. Ferunt etiam *Archytae* extare *Categorias*, ut tradit Geſnerus in ejus *Biblioth.*. Archytae Tarentini librum *de Eventibus in natura*, e Monaſterio quodam Alemaniae ſibi allatum, ſcribit auctor libri *Luminis Animae* in praefatione, cujus meminit idem Geſnerus in ejus *Biblioth.*

Ariſtoteles II. *Metaph.* ait, *definitiones perfectas eſſe, quales fuerunt definitiones Archytae*. Vitruvius *lib.* IX. *cap.* 3. inquit *Archytam magnum fuiſſe Mathematicum*. Primus fuit Archytas, qui Geometriam cum Mechanicis conjunxit, ac Mechanica mechanicis uſus principiis, motum Organicum docuit, & geometricae deſcriptioni admonuit ex dimidii Cilindri ſectione duas medias ſecundum propoſitionem ſumere, quaerens ad cubi duplicationem; primus nempe in geometria cubum, Platonis teſtimonio, in ſua Republica, adinvenit.

Plutarchus in Marcello, Archytae, & Eudoro Gnidio Machinamentorum artem tribuit, ut qui veritate quadam geometriam exornare magno ſtudio niſi ſunt. Columbam ligneam Archytas fecit, ratione quadam, ac diſciplina mechanica, ita libramentis ſuſpenſam, & aura ſpiritus incluſa, atque occluſa conſitam, quae volaret, ut Aulus Gellius *lib.* x. *cap.* 12. ex teſtimonio etiam Phavorini Philoſophi, & Petrus Crinitus *lib.* XVII. *honeſtae diſciplinae cap.* I. teſtantur. Auctor etiam fuit Inſtrumenti cujuſdam generis, pro pueris, quod ſonum, ac ſtrepitum edit, & vulgo *Crepitaculum Archytae* vocatur, quod abiit in proverbium, de quo Suidas, & Aldus Manutius *in Adagiis*.

Multos habuit Archytas diſcipulos, & inter alios Empedoclem, ut Suidas teſtatur; quod etiam affirmat Ariſtoteles *lib.* VIII. *Politic.* qui ait, *Archytam, Empedoclis fuiſſe praeceptorem, qui fecit organum per ſe ſonans, mirum in Mathematicis*. Idem ait Diogenes Laërtius in ejus vita. Habuit quoque Archytas diſcipulum Eudoxium Gnidium, ut Ariſtoteles teſtatur, *quem* dicit *fuiſſe moribus modeſtum, pauperem, tenuiſque fortunae, geometram, aſtronomum, medicum, philoſophum, legislatorem*. Philolaum quoque Crotoniatem diſcipulum habuit, ut Ariſtoteles ibidem affirmat, *magnae exiſtimationis, & praeclarum virum*.

Fuit idem vir valde divis, ac ſervos quamplurimos habebat; & ſepties ſupremus Magiſtratus Tarenti praefuit, cum reliqui ultra annum ibi imperare eorum legibus prohiberentur. Exercitus Imperator, ac Dictator a concivibus ſuis, & a finitimarum regionum Graecis creatus eſt, & nunquam ab hoſtibus victus, vel ſuperatus, ſed ſaepius victor, ac ſpoliis ornatus in patriam rediit.

Habuit quoque Platonem amicum, quem a pyratis captum, Archytas ſua pecunia redemit; quapropter Plato Tarentum venit ad inviſendum Archytam, ac Pythagoream philoſophiam ab eo didicit, ut Joannes Tzezes in his verſibus e graeco in latinum translatis teſtatur.

A Polide navarcho quidem genere Spartiata
Platonem Philoſophum emit Archytas
Philoſophus; & iſte quidem verum Pythagoreus
Servum autem habens docuit Philoſophiam
ipſum Pythagoream.

Fuit proinde inter Pletonem (a pyratis redemptum, ac libertate donatum) atque Archytam arctior familiaritas; adeo ut Plato quaedam ſua Commentaria nondum abſoluta ad Archytam tranſmiſerit, ut nobis ejus epiſtola ſignificat apud Laërtium *lib.* VIII. Extant apud eundem *lib. cit.* Platonis epiſtola ad Archytam, & Archytae ad Platonem, ex quibus mutua inter eos benevolentia optime perſpicitur.

K Ipſe

Digitized by Google

Ipſe quoque Archytas pyratarum praeda fuit, cum enim varias regiones diſcendi amore, & deſiderio illectus circuiret, ab iis captus eſt, ac venditus ſervivit aliis; deinde redemptus eſt, ac tandem infeliciſſime in mare demerſus dicitur obiiſſe. Horatius enim Archytam Tarentinum mathematicum ſuo deplorat carmine in venuſta *Oda* 28. *lib.* 1. *Carminum* mari Appulo obrutum; in qua valde eum commendat, & eundem Archytam inducit rogantem nautas, ut ejus cadaver in iis maritimis oris perquirant, ac ſepulturae tradant.

Floruit Archytas Olimpiade XXVI. ab Urbe condita anno CCCCII. Platonis tempobus. Ejus vitam Graece conſcripſit Ariſtoxenus Tarentinus, quam Athenaeus paſſim citat, quae Graece, & latine edita eſt, ut in Ariſtoxene diximus. Diogenes quoque Laërtius multa de eo refert in VIII. *lib.* Joannes Juvenis in *hiſtoria Tarentina lib... cap.* Genebrardus quoque in ſuo *Chronico* agit de Archyta Tarentino, qui primus geometriam cum mechanica conjunxit; quique floruit annum circiter mundi 3690.

A Cicerone *lib. de Repub.* & in *Tuſculanis quaeſtion.* commendatur Archytae manſuetudo, qua iracundiae dominabatur; ac magnifecit Archytas amicitiam, ut ab eodem Cicerone *in Laelio* didicimus. Verborum obſcoenitatem aſſidue fugit, ut Aelianus in *varia hiſtoria* tradit. Idem quoque Cicero in *Catone majore* Archytam adverſus voluptatem differentem inducit, inquit enim: *Cato, cum adoleſcens eſſet Tarentum cum Q. Maximo conceſſiſſe, & a Nearcho Tarentino ſe a majoribus natu audiſſe, ab Archyta ſermonem fuiſſe habitum, cui Plato Athenienſis interfuit contra voluptatem*, quem Cicero ſummatim, ac memoriter refert.

Ariſtoteles quoque ſcripſit *de Archytae Philoſophia* libros III., ac *de Timei, & Archytae libris* decerptorum librum I., qui deſiderantur.

Porro nos non latet plures fuiſſe Archytas, quos ſaepe aliquot ſcriptores confuderunt, & quod hujus eſt, alteri tribuerunt; ex eo quod priſci ſcriptores aliquando Archytam appellant, patriam reticentes. Fuit enim Archytas quidam Mytilenaeus, qui muſicus fuit; & forte is eſt, qui ab Atheneo *lib.*XII.*cap.*4. memoratur *Opſartycam* ſcripſiſſe, ideſt de *condendis opſoniiſ.* Alter *de Agrigoltura* ſcripſit, quamvis hic Tarentinus dici etiam poſſet; prout Pierius Valerianus in *Hyeroglificis* dicit. Tertius Poëta fuit, de quo Gyraldus *in hiſt. poet.* . . . . Quartus, cujus extat *liber de Machina*. Quintus autem Tarentinus hic noſter eſt.

At Architas philoſophus Pythagorius, qui *Commentarium de tybiis* reliquit, ut Atheneus *lib.* II. *cap.* 25. teſtatur, forte Tarentinus hic noſter eſt, qui Pythagoreus Philoſophus fuit. *Archytas Pythagoricus tybiarum artem exercebat, ſicut; & multi Pythagorici. Atheneus lib.* IV. *cap.* 15. *num.* 10.

Joannes Faber Bambergenſis in ſuis *commentariis in Imagines illuſtrium Vir.* ex Fulvii Urſini *Biblioth. n.* 27. refert Archytae Tarentini Philoſophi figuram, quae extat in lapillo, *Corniola*, veteri ſculptam, additis ſignis quibuſdam; hoc eſt Cylindro, & Cubo inſtrumentis mathematicis ab ipſo Archyta (ut Diogenes Laërtius in ejus Vita ſcribit) inventis. Item aliud ipſius antiquum aereum numiſma mediocris magnitudinis, in quo ejus caput, ac nomen conſpicitur, ac piſcis quidam. Tarentini in honorem ſui civis cuderunt aliud cum Archytae imagine, quae prorſus ſimilis eſt aliis ſuperioribus.

ARTALIS RASCAGLIA e Monteleone Calaber, philoſophus, ac medicus Neapolitanus, Graecae, & Latinae linguae peritus, edidit Italicis rithmis librum *De quatuor noviſſimis*, qui prodiit *Neapoli. anno*. 1616. *ex officina Conſtantini Vitalis. in* 8. Joſephi Raſcagliae, ejus filii, cura, poſt patris obitum; qui cum Excellentiſſimo Oſ-

Digitized by Google

Oſſunentium Duci Neapolitani Regni Proregi dicavit.

ASCANIVS MANCINELLVS Anglonenſis, Medicinae Doctor, edidit librum quem inſcripſit *Floridum opuſculum hinc inde a tot pomariis recollectum de morſu canis rabidi, ejuſque euratione, cum nonnullis quaeſitis notatu dignis*, excuſum *Venetiis. anno. 1587. apud Joannem Baptiſtam Hugolinum. in 16.* Illuſtriſſimo Domino Veſpaſiano Gonzaghae Columnae, Sablonetae, ac Trajectae Duci, & utili Domino terre Anglonis dicato.

ASCANIVS PIGNATELLVS patritius Neapolitanus, Scipionis Pignatelli Lauri Marchionis filius, ac dein Iſacienſis Dux, bonis litteris ornatus, poëta Italicus, ac muſis charus fuit. Hujus extat *Rithmorum liber* a viris doctis valde commendatus; qui editus eſt Joannis Baptiſtae Criſpi e Callipoli opera, qui eum Paulo e Sangro Sancti Severi Principi dicavit. Excuſus eſt autem *Neapoli. in Officina Stelliolae per Joannem Thomam Todinum, anno. 1599. in 4.*

Ab Hiſpaniarum Rege multis honoribus, ac dignitatibus fuit decoratus, miles enim Sancti Jacobi de Spada, ac militiae gravis armaturae Dux, dein Biſacientium Dux creatus eſt.

ASCANIVS TESTA Sueſſanus edidit *Quaeſtionem de loco animae poſt mortem* ad illuſtriſſimum Dominum & Magnanimum Principem Dominum Veſpaſianum Gonzagham, impreſſ. *Neap. apud . . . , Amatum, 1557. in 4.*

ASTON CROTONIATA Calaber vetuſtiſſimus Philoſophus Pythagoricus multa ſcripſiſſe fertur, quae Pythagorae inſcripta ſunt, de quo Laërtius *lib.* VII. in Pythagora ſic ait: *Plura item ab Aſtone Crotoniata ſcripta Pythagorae inſcripta eſſe ajunt*.

Conſtantinus Laſcaris in libello *de Ant. Philoſophis, aliiſque viris illuſtribus Calabriae, & Siciliae*, meminit Aſtonis hujus Philoſophi, quem mendoſe *Aſconem* vocat, hunc in modum: *Aſcon Crotoniata Pythagoricus, Philoſophus fuit, & multa compoſuit.*

AVGVSTINVS E BISIGNANO Calaber; Theologus, ac divini verbi declamator, Ordinis minimorum Sancti Franciſci de Paula, edidit Italice *Lectiones ſpirituales ſuper Canticum*, in quibus quidem lectionibus *ſalutiferae exhortationes, cogitationes devotae; & alti concaeptus in honorem, ac laudem Beatae Matris Dei cernuntur ad Chriſtianum profectum, & Concionatorum non modicum beneficium*; excuſae ſunt autem *Florentiae. 1612. apud Joannem Antonium Caneum. in 4.* Sereniſſimae Mariae Magdalenae Archiduci Auſtriae, & Etruriae Duci dicatae.

AVGVSTINVS CAPVTVS Conſentinus Legum Doctor, edidit tractatum *De Regimine Reipublicae, in quo omnia fere, quae politicam nobilitatis, immunitatis, ſtatutorum, gabellarum, collectarum, annonae, aliarumve rerum ad Univerſitatum gubernium materiam conferunt, continentur*, quem dicavit Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Antonio S. R. E. Cardinali Zapatae Protectori Hiſpaniarum, ſupremi Conſilii ſtatus Catholicae Majeſtatis Philippi Hiſpaniarum Regis Conſiliario, ejuſqu. in Neapolitano Regno Locumtenenti, & Capitaneo Generali, excuſum *Neapoli. 1621. apud Lazarum Scorigium. in 4.*

AVGVSTINVS CARAVITA Ebolitanus, Jureconſultus Neapolitanus, ac Re-

Digitized by Google

gius Conſiliarius, edidit optimas *Additiones ad corpus juris Civilis & ad corpus Decretalium juris Canonici*, quae una cum textibus eorum jurium in noviſſima editione excuſae ſunt. Obiit autem Neapoli die 23. Junii 1580.

AVGVSTINVS CVPITVS Ebolitanus, Ordinis minorum obſervantium, Theologus, Concionator, ac poëta Italicus (qui *illuminatus poëta* eſt nuncupatus) alludens, ut ipſe ait, ad caecitatem, in qua erat in ſaeculo exiſtens, edidit Italice Poëma, quod *Catherinam martyrizatam* appellavit, excuſum *Neap.* Scripſit Italico carmine *il Poeta illuminato*, qui excuſus eſt in *Vico Aequenſi. 1598. apud Joannem Jacobum Carlinum*, & *Antonium Pacem*. in 4.

Edidit quoque Italice *Coronam duodecim Sermonum, vice duodecim ſtellarum, quibus Sanctam Eccleſiam coronatam vidit Sanctus Joannes in Apocalypſi*, quos ipſe in variis Italiae locis, & extra Italiam habuit, & concionatus eſt, excuſam *Neapoli. apud Joannem Dominum Roncaliolum. 1608. in* 4. Paulo V. Roman. Pontif. dicatam.

Obiit autem Neapoli in Conventu Hoſpitaletti anno 1618. menſe Januarii.

AVGVSTINVS DONIVS Conſentinus Philoſophus, ac Medicus edidit *De natura hominis libros* II., ad Stephanum Sereniſſimum Poloniae Regem, qui excuſi ſunt *Baſileae. anno. 1587. apud Frobenium. in* 4. & ibidem eodem anno *apud Ambroſium Epiſcopium*. in 4.

AVGVSTINVS E NEAPOLI Camaldulenſis edidit italice librum, quem inſcripſit, *Il Prelato religioſo*. Et licet liber is prodierit ſub ficto nomine *Patris D. Joannis Sancti e Neapoli, Ordinis Sancti Benedicti*; attamen verum auctoris nomen latet ſub Anagrammate nominis Joannis Sancti. Excuſus eſt autem *Neapoli. 1645. apud Honufrium Savium*. in 4.

AVGVSTINVS NIPHVS, ſive *Nefus* Sueſſanus, e Tropea in Calabriis oriundus; at ortus (ut ipſe in epiſtola ad Joannem Franciſcum Areneum Arenae Comitem in Commentariis ad *Perhermeniam* Ariſtotelis teſtatur) in oppido *Joppulis* in Calabria; et ſi Paulus Jovius in *Elogiis virorum litteris illuſtrium* Civitate Tropeae in Calabria praediiſſe affirmat: revera tamen in ea per aliquod tempus alumnus fuit. Fuit Philoſophus, ac Medicus ſua aetate illuſtris, Aſtrologia, ac Theologia, Graecis, ac latinis litteris erudtiſſimus, in celebrioribus Italiae gymnaſiis per annos fere quadraginta magiſter longe, lateque celeberrimus. Piſis namque Salerni, ac Patavii philoſophiam magna auditorum frequentia, ac plauſu, docuit; Bononiae item philoſophiam profeſſus eſt ad concurrentiam Petri Pomponatii Mantuani inſignis ea aetate Philoſophi, ut Lucas Gauricus *in genitura ejuſdem Pomponatii* in 4. tract. *nativitatum*, teſtatur: & a Leone X. Romam accitus eſt, ut Philoſophiam interpretaretur, cum Vrbis gymnaſia idem Pontifex praeſtantiſſimis profeſſoribus inſtauraret, ut inquit Onuphrius Panvinius in *Vita ejuſdem Leonis*. Neapoli quoque Philoſophiam ac Medicinam publice profeſſus eſt. Complures edidit libros, tum ad Philoſophiam, Medicinam, Aſtrologiam, ac Theologiam; tum quoque ad res politicas, ad ludicras, aliaſque diſciplinas ſpectantes, nobilis ejus ingenii monumenta, quibus ipſius memoriam ad poſteros cum gloria transmiſit; ſcripſit namque:

Dialectica ludicra Tyrunculis (ut ipſe ait) *atque Veteranis utillima Peripateticis conſona, junioribus ſophiſticantibus contraria*, impreſſa *Florentiae. anno. 1520. apud haeredes Philippi Junctae. in* 4. quae Auctor

Auctor Joanni SS. Coſmi, & Damiani Diacono Cardinali de Salviatis nuncupavit; Item edita *Vuneiiis . apud Alexandrum de Bindonis. anno* 1521. *in* 8. ab eodem auctore reviſa, ac recognita.

Expoſitiones in libros artis rethoricae Ariſtotelis, ad Antonium Garlonium Aliſarorum Principem, quas Suelſae die 20. Auguſti 1534. confecit, ut ipſe in fine operis fatetur, excuſa eſt autem *Venetiis* . 1538. *apud Octavianum Scotum. in fol.*

Epitomata rhethorica ludrica ad Baldaxarem Turinum Pontificium Datarium, quae tribus libris abſolvit Piſis anno 1521. 28. Januarii impreſſ. *Venetiis . a Philippo Pincio Mantuano.* 1521.. *in* 8.

Transtulit quoque e Graeco in latinum, atque expoſuit librum *Ariſtotelis Perihermeniat*, ſive *de interpretatione* ad Joannem Franciſcum Ateneum Comitem, impreſſum *Venetiis*. 1505. *expenſis, & mandato haeredum* quondam *Domini Octaviani Scoti per Bonetum Locatellum Bergomenſem Presbyterum. in fol.* & *Venetiis.* 1519. *ſumptibus haeredum Octaviani Scoti . in fol.* dein recuſum ibidem *anno*. 1537. *apud* . . . Item, *Pariſiis. anno.* 1540. *apud Chriſtianum Wechelium. in fol.* Item. *Venetiis. anno.* 1559. *apud Hieronymum Scotum. in fol.*

Commentaria ad priora Analytica Ariſtotelis ad Dominum Thomam de Vio Car. dinalem Cajetanum, quae per annos viginti elaboraſſe Alexandri, & Philoponi expoſitiones revolvendo, & tandem Salerni anno 1524. die 27. Martii confeciſſe in fine operis teſtatur : impreſſa ſunt autem *Neapoli . anno* . 1527. *apud Evangeliſtam Papienſem haeredem quondam Sigiſmundi de Mayr Theutonici. in fol.* Item emendatiora, & luculentiora recuſa *Venetiis*. 1549. *apud Hieronymum Scotum . in fol. Venetiis. apud Juntas*. 1553. *in fol.* & iterum ibidem *apud eumdem Scotum . anno*. 1569. *in fol.* Haec autem Commentaria, & quae ſcripſit *in libros de anima* tenerius a Nipho fuiſſe adamata Jovius tradit.

Commentaria in Ariſtotelis libros Poſteriorum Analyticorum, cum duplici textus translatione e Graeco in latinum, videlicet Joannis Argyropoli, & ejuſdem Niphi nova, ad Dominum Ferdinandum Ponzettum Cardinalem Melfitenſem, excuſ. *Venetiis* . 1526. *ſumptibus haeredum Octaviani Scoti . in fol.* item recuſa *Venetiis*. 1552. *apud Octavianum Scotum* D. Amodei, cum effigie ipſius auctoris ; in qua editione acceſſerunt ea Indicis fragmenta, quibus Gallica impreſſio Venetam praecelluerat. Item edita ſunt *Venetiis . apud Junctas*. 1553. *in fol.* & *Venetiis . apud Hieronymum Scotum*. 1565. *in fol.*

Expoſitiones in libros Ariſtotelis de Sophiſticis elenchis, cum textu recognito, & a Nipho interpretato, ad Bernardinum Martyranum omni virtute clariſſimum ; quas ipſe incaepit Neapoli, ac perfecit in Aquis Aruncanis, apud Divum Antonium ; quae *Sugiana* nunc dicuntur *balneae*, impreſſas *Venetiis . apud* Hieronymum *Scotum*. 1543. 1551. & 1567. *in fol.*

Ariſtotelis quoque *Topicorum librum* Niphus in octo ſecuit libros, & de Graeco in latinum vertit, atque expoſuit (qui apprime a ſtudioſis inter alias Logicae partes deſiderabatur) ad Paulum Jovium Comenſem ; quem librum ſcripſit annum agens xx. ut in libro *de anima* idem teſtatur, excuſ. *Venetiis*. 1535. *apud Octavianum Scotum . in fol.* & *Venetiis . apud eundem* . anno 1559. & 1569. . *in fol.*

Ariſtotelis item *Phyſicarum Acroaſum*, hoc eſt *naturalium auſcultationum liber* prodiit interprete, atque expoſitore Auguſtino Nipho, ad Marcum Antonium Columnam Strenuiſſimum Ducem, quem in Aviano rure ſuo die 15. Maii 1506. complevit, impreſſ. *Venetiis mandato, & expenſis haeredum Domini Octaviani Scoti patria Modonienſis per Presbyterum Bonetum Lucatellum Bergomenſem. anno* . 1508. *in fol.* Dein recognitus atque ampliatus in ultima ejus aetate, prodiit recuſus *Venetiis. apud Hieronymum Scotum* 1549.. *in fol.*

Expo

Expoſitionem ſuper octo libros Ariſtotelis de Phyſico auditu, cum duplici textus tranſlatione antiqua videlicet, & nova ad Graecorum exemplarium veritatem, ab eodem Auguſtino quam fidiſſime caſtigatis. Et *Averrois in eoſdem libros prohaemium, ac Commentaria cum ipſius Niphi refertiſſima expoſitione, annotationibus, ac poſtremis in omnes libros recognitionibus caſtigatiſſima*, ad Marcum Antonium Columnam Sereniſſimum Ducem completam in Aviano ſuo rure 15. Maii 1506. impreſſ. *Venetiis*. 1519. *mandato, & expenſis Domini Octaviani Scoti, & Sociorum. in fol.* Et demum per multas editiones per eundem auctorem in ultima ejus aetate ſumma diligentia recognita, atque ampliata, impreſſ. *Venetiis*. 1549. & 1569. *apud Hieronymum Scottum in fol.*

Expoſitionem ſuper quatuor libros Ariſtotelis de caelo, & mundo cum textu Ariſtotelis ab eo etiam de Graeco in latinum verſo, ad Aloyſium Cardinalem de Aragonia; quam explevit Sueſſae die 15. Octobris 1514. impreſſ. *Neapoli. anno*. 1517. *apud Sigiſmundum Mayr Alemanum. in fol.* Item *Venetiis*. 1525. *apud haeredes Octaviani Scoti*, & *Sociorum*. & ibidem *apud Brandinum*, & *Octavianum Scotos fratres*. 1540. *in fol.* & *Venetiis*. *anno* 1540. 1553. & 1567. *apud Hieronymum Scotum. in fol.*

Commentationes in librum Averrois de Subſtantia orbis, ad Robertum II. Sanſeverinum Salerni Principem, quas complevit Sueſſae, die 22. Auguſti 1507. excuſ. *Venetiis*. 1508. *expenſis haeredum Octaviani Scoti*. *in fol*, per *Bonetum Lucatellum Presbyterum*. dein emendatiores, ac non paucis reſtitutis, recuſae *Venetiis* iridem *apud eundem* 1559. *in fol.* cum effigie ipſius Auguſtini. Meminit ipſe in fine ejus operis Patavii alias editiones hujus libri feciſſe, quae quoniam in juventute fuerant compoſitae, multa in eis juveniliter contineri, quae tunc non diceret; ac verens, ne aliquis malevolus illas ederet, has prius edi voluit, & has ſuas eſſe maluit.

Interpraetationes, & *Commentaria in libros Ariſtotelis de generatione*, & *corruptione noviſſime recognitas*, & *caſtigatas*, ac ejuſdem auctoris in Commentariis, & interpretationibus eorundem librorum Ariſtotelis *Paralipomena*, hoc eſt *recognitiones, ac retractationes, nec non plurimorum, quae obſcure in Commentariis dicebantur, dilucidationes*, una cum ejuſdem *Quaeſtione de Infinitate primi motoris*, quae Dominico Grimano S. R. E. Cardinali nuncupavit. Confecit autem librum Sueſſae, ut in ejus fine ait, anno 1504. 17. Novemb., & recognitiones Piſis complevit die 3. Aprilis 1521. impreſſ. *Venetiis. apud Bernardinum*, & *Octavianum Scotos*. *in fol.* & 1543. & 1550. *apud eundem*. *in fol. Venetiis*. & 1557. *apud haeredem Hieronymi Scoti. in fol.*

Commentaria in libros Ariſtotelis Meteorologicorum. Ejuſdem *Generalia commentaria in librum de miſtis*, qui a veteribus quartus *Meteorum liber* inſcribitur, a junioribus *Meteorologicon* dicitur (quae Salerni anno 1573. die 5. Aprilis, ut ipſe affirmat complevit), Pompeo Cardinali Columnae Vicecancellario dicata: impreſſ. *Venetiis*. 1522. *expenſis haeredum Octaviani Scoti*, & *Sociorum*. *in fol.* & emendatiora, non paucis reſtitutis, recuſa *Venetiis*. 1540. per *Bernardinum*, & *Octavianum Scotos fratres. in fol.* & 1551. *apud Hieronymum Scotum*. *in fol.* & 1560. *apud eundem*. *in fol.*

Definitionem Averrois de Mixtione, ad ejus aetatis decus Jacobum de Petruciis Epiſcopum Alarienſem Dei, & Naturae, interpretem, excuſam *Venetiis*. *mandato*, & *expenſis haeredum quondam Domini Octaviani Scoti*, *per Bonetum Lucatellum Bergomenſem Praesbyterum*. 1595. *in fol.*

Averrois Operum Niphus ſtudioſiſſimus fuit, ejuſque omnes fere libros in philoſophia caſtigavit, & excogitatione ipſius *Venetiis* primo excuſi prodierunt *anno* 1496. dein variis in locis, ac temporibus.

Digitized by Google

De veriſſimis temporum ſignis Commentatariolum, ad Illuſtriſſimam Mariam Aragoniam Vaſti Marchionem, excuſum *Venetiis. apud Hieronymum Scotum*. 1549. in 8. Praefert liber hic epiſtolam Pompei Cardinalis Columnae S. R. E. Vicecancellarii ad auctorem Niphum.

Parva naturalia, quae abſolvit partim Sueſſae, partim vero Piſis variis temporibus, ſunt autem haec: *Phiſiognomicorum libri tres*, ad Ludovicum, & Elvirum Corduba Principes Sueſſanos, Sueſſae. 10. Decembris 1521. *De alimalium motu liber unus*, ad Hieronymum Carbonem, Piſis 3. Maii 1521. *De longitudine, & brevitate vitae*, ad Petrum Gravinatem, Piſis 15. Apr. 1522. *De juventute, & ſenectute lib.* 1. ad Nicolaum Leonicum, Piſis 25. Apr. 1521. *De reſpiratione liber unus*, Piſis 14. Maii 1521. *De morte, & vita lib.* 1. ad Alexandrum Puccium, Piſis. 28. Maii 1521. *De memoria, & reminiſcentia lib.* 1. ad Fabricium Geſualdum Conzanum Principem, Piſis 27. Maii 1521. *De Somno, & Vigilia lib.* 1. ad Andream Aquavivam Atrianum Principem. *De Inſomniis*, ſive *artificioſa ſomniorum interpretatione lib.* 1. ad Federicum Carrafam Ducis Ariani filium. *De Divinatione naturali, artificioſa, & de prophetia lib.* 1. ad Carolettum Gattulam, Sueſſae 12. Junii 1512. Quae omnia excuſa ſunt *apud haeredes quondam Domini Octaviani Scoti, & ſocios, & eorum expenſis*. anno 1523. dein recuſa *Venetiis. apud* Hieronymum Scotum. 1550. *in fol.*

Expoſitiones in omnes Ariſtotelis de Hiſtoria animalium libros IX. *de partibus animalium, & earum cauſis lib.* IV. & *de generatione animalium lib.* V. quas Salerni perfecit die 13. Junii 1534. ac eorundem librorum Theodori Gazae translationem de Graeco exemplaria recognovit, Scholiis illuſtravit, ad Paulum III. Pontificem Max. impreſſ. *Venet.* 1546. & 1550. *apud Hieronymum Scotum. in fol.*

Expoſitionem, Collectanea, ac Commentaria in III. *libros Ariſtotelis de Anima*, quae Piſis legendo conſcripſit, ac perfecit anno 1520. primo Maii, dicavit autem ea Julio Cardinali de Medices, qui dein Clemens. VII. Papa fuit. Haec autem Commentaria non adhuc abſoluta, nec ultima manu illis impoſita, ei pene puero, furto fuiſſe ſubtracta, in quibus plurima poterant reprehendi, & se inſcio in lucem edita, teſtatur ipse in epiſtola nuncupatoria ad eumdem Cardinalem. Sed haec ab auctore recognita majori cura prodierunt *Venetiis*. 1522. *aere, & ſollertia haeredum Octaviani Scoti, & ſociorum. in fol.* & *Venetiis*. 1544. *apud Junctas. in fol.* & *ibidem*. 1549. *apud Hieronymum Scotum in fol.* & *apud eundem*. 1552. & 1559. *in fol.* Haec autem Commentaria *de anima* Niphus tenerius adamavit ut ſuperius diximus.

De immortalitate humanae animae adverſus libellum Petri Pomponatii Mantuani Philoſophi, in quo ille tradidit phyſice, & peripatetice animam intellectivam eſſe mortalem ad Leonem X. Pont. Max. impreſ. *Venetiis. apud haeredes Octaviani Scoti, & Socios. in fol.* At idem Pomponatius illico *Defenſiones*, ſive *Reſponſiones* emiſit ad ea, quae Niphus adverſus ipſum ſcripſerat de immortalitate animae, impreſſ. *Bononiae. apud Juſtinianum de Ruberia. anno*. 1519. *in fol.*

Commentationem in Averroem de Beatitudine animae, quam complevit Patavii anno 1492. 13. Maii ad ejus aetatis decus Sanctum Maurum Patricium Venetum Naturae interpretem excus. *Venetiis. apud haeredes quondam Octaviani Scoti, & ſociorum, & eorum ſumptibus. anno* 1524. *in fol.*

De intellectu in via Ariſtotelis libros VI. adhuc juvenis ſcripſit, quos eminentiſſimo viro equeſtris ordinis conſulari, praetorioque Sebaſtiano Baduario patricio Veneto, honeſtiſſimorum omnium virorum benefactori pientiſſimo dicavit, impreſſ. *Venetiis*, cum opuſculo *de daemonibus. per Petrum de Querengis Bergomenſem. anno* 1502. *in fol.* recuſos *Venetiis*. 1527. *ſumptibus*

Digitized by Google

pilus haeredum quondam Octaviani Scoti, & ſociorum. in fol. & 1554. apud Hieronymum Scotum. in fol. In fine ejus libri legitur. Et ſic conſumatus eſt liber de intellectu 36. Auguſti 1492. in Patavino ſtudio.

De Daemonibus libros III., quos confecit, ut ipſe ait, *in ocio Sueſſano*, ac Baldaxari Milano patricio Parthenopeo nuncupavit, impreſſ. *Venetiis* ſimul cum libris *de intellectu. in fol.* apud eundem *Petrum de Querengis Borgomenſem*, 1502. & recuſ. 1527. ut ſuperius dictum eſt, & 1554. *apud Hieronymum Scotum. in fol.*

Expoſitiones quoque *in Ariſtotelis libros Methaphyſices* ad Illuſtriſſimum Dominum Petrum Toletum Regni Neapoli Proregem, quae poſt auctoris mortem, ejus juſſu in teſtamento, editae ſunt *Q. Curtii Seſſae Sueſſani cura, Venetiis, 1547. apud Hieronymum Scotum. in fol.* cum ipſius effigie.

Dilucidarium Methaphyſicarum diſputationum in Ariſtotelis XIV. libros Methaphyſicorum, ad Andream Carrafam Severinatum Comitem, litteratorum communem protectorem, quod ſcribere caepit, ut is in fine operis ait, Salerni legens anno 1507. juſſu Roberti II. Salernitanorum Principis, & ea complevit Neap. die 27. Martii 1500. rogatu ejuſdem Comitis Andreae Carrafae excuſ. *Neap. per Sigiſmundum Mayr Alemanum. anno 1511. in fol.*, & *Venetiis. 1559. apud Hieronymum Scotum. in fol.*

Scripſit ſuper duodecimum *librum Methaphyſicorum Ariſtotelis*, & *Averrois* ad Auguſtinum Juſtinianum patricium Venetum excuſ. *Venetiis. anno. 1505. apud Simonem de Luere. in fol.* & ibidem *Venetiis. 1518. apud haeredem Octaviani Scotti, & ſociorum. in fol.*

Expoſitionem in deſtructiones deſtructionum Averrois in Methaphyſica contra Algazaelem, quae in anno 1494. caepta eſt, & completa 1497. 22. Januarii, Domino Dominico Cardinali Grimano dicatam, cum ejuſdem *Quaeſtione de ſenſu agente*, & Joanni Baptiſtae Spinello Patricio Neapolitano Ferdinandi II. Neapolitanorum Regis ad Venetorum Rempublicam Oratori primario nuncupatam. Quam complevit Paduae philoſophiam legens 15. Maii 1495. impreſſ. *Venetiis per Bonetum Lucatellum Bergomenſem* mandato, & expenſis Octaviani Scoti civis Modonienſis 1497. *in fol.* Item *Lugduni*. 1542. *in 8.* Liber hic valde commendatur a Jovio ut inferius dicetur.

In Ethicam Ariſtotelis Perihermenias cum ejuſdem expoſitionibus. in fol. *De regnandi peritia* libros IV. ad Carolum V. Imperatorem (quem ipſe ſextum vocat), quas complevit, ut ipſe in fine operis teſtatur, Sueſſae die 9. Octobris 1522. impreſſ. *Neap. in aedibus Dominae Catherinae de Silveſtro. anno. 1523. in 4.*

De Rege, *& *Tyranno libellum* ad Illuſtriſſimum Ferdinandum I. Sanſeverinum Salernitanorum Principem, impreſſ. *Neap. per Evangeliſtam Papienſem. anno. 1526. in 4.*

De his, quae ab optimis Principibus agenda ſunt, ad Ludovicum, atque Elveriam Ferdinandos a Corduba Principes Sueſſanos, impreſſ. *Florentiae. anno. 1521. in 4. apud haeredes Philippi Junctae.*

De ratione ridendi. libros IV. ad Q. Curtium Seſſam alumnum, ac diſcipulum ſuum, *in Cellulano ejus rure* Sueſſae expletos 1528. 17. Julii, excuſos *Neapoli. ejuſdem Q. Curtii cura*, poſt Auguſtini mortem *apud Mathiam Cancerem. 1551. in 8.* qui Domino Conſalvo Ferdinando a Corduba Sueſſanorum Principi eos dicavit.

De morbo Gallico librum ab Auguſtino Nipho conſcriptum, & *Neapoli. anno. 1534.* in lucem editum teſtatur Conradus Geſnerus in ejus *Bibliotheca*. Tiraquellus etiam in *tractat. de nobilitate cap. 31.* meminit Joannes denique Georgius Schenkius in ſua *Bibliotheca Medica*, qui ait Auguſtinum Niphum Sueſſanum conſcripſiſſe librum *de morbo gallico*, qui impreſſus eſt *Neapoli. anno. 1534.* & ex

& ex eo tractatu pleraque remedia Michaelem Angelum Blondum in ſuum ejuſdem argumenti transtuliſſe.

De diebus criticis, ſeu decretoriis, aureum (ut ipſe vocat) libellum, ad Vincentium Quirinum patricium Venetum, quem explevit Sueſſae anno 1504. 22. Febr. ut ipſe in fine ait, ac in quatuor libros ſtruit: excuſus eſt autem liber hic *Venetiis. anno.* 15. . . . *apud Jacobum Pentium de Leucho in* . . . . & recuſus *Venetiis*. 1504. & 1505. *expenſis*, & *mandato haeredum quondam Octaviani Scoti, per Donatum Lucatellum Borgomenſem Presbyterum in fol.* & *Argentorati. per Americum Sybold. anno* 15.. *in* 8., & *Venetiis. apud haeredes Octaviani Scoti*. 1516. *in fol.* Recuſus eſt, quoque liber hic *de diebus criticis*, ac liber ejuſdem Niphi *de Auguriis* cum Rodulphi Goderii medicinae doctoris, ac mathematicae ordinarii profeſſoris in Academia Marpurgenſi libris duobus *Uraniae divinatricis*, quoad Aſtrologiae generalia anno. 1604. *Marpurgi. apud Paulum Egenolphum. in* 8. Illud unum non praetermittam Niphum *Sympi* cujuſdam ſolutivi fuiſſe auctorem, qui in univerſo fere terrarum orbe, & in Italia potiſſimum uſui eſt, ac probatiſſimus habetur; & apud medicos, & pharmacopolas celeberrimus eſt, & ex ipſius nomine *Sympus Domini Auguſtini* appellatur.

Eruditionis ad apotelesſmata Ptolomaei, ad Sylvium Pandonium Boviani Epiſcopum, excuſ. *Neap. anno*. 1513. *apud Petrum Mariam de Richis Papienſem*. *in fol.*

De figuris ſtellarum Helionoricis. *lib.* 11. excuſ. *Neap. anno*. 1529. . *in fol.*

De noſtrarum Calamitatum cauſis librum, ad Oliverium Carrafam S.R.E. Cardinalem maximum, quem complevit Sueſſae anno 1504. die 20. Julii, occaſione calamitatis, belli nempe, quod inter Gallos, & Hiſpanos fuit anno 1503. & peſtis, quae eo anno totam fere occupavit Italiam, & Campaniam potiſſimum: excuſus eſt autem *Venetiis. anno*. 1505. *mandato*, & *expenſis haeredum quondam Octaviani Scoti civis Modonienſis per Bonetuum Lucatellum Bergomenſem Praesbyterum*. *in fol.* Continentur in hoc libro annotationes in *ſecundum Ptolomaei quadripartiti*.

De falſa Diluvii prognoſticatione, quae ex Conventu omnium planetarum, qui in piſcibus continget anno 1524. *divulgata eſt, libros* III., ad Carolum V. Imperatorem, quem is primum vocat, impreſſ. *Neapoli. apud Joannem Paſquet de Sallo*. 1519. *in* 4. & Florentiae *per haeredes Philippi Juntae* 1520. in 4. Item *Bononiae*. 1520. *apud Hieronymum de Benedictis Bononienſem. in* 8. & *Auguſtae Vindelicorum*. 1520.

De liberatione a metu futuri Diluvii, contra nonnullos juniores, ad Ludovicum Ferdinandum de Corduba Sueſſanorum Principem, quae eſt apologia ejus libelli *De falſa diluvii prognoſticatione*. Cum juniores quidam eum libellum non modo in prognoſtico, verum etiam in doctrina momordiſſent, ut ipſe ait in epiſtola nuncupatoria, ſub datum Salerni die 20. Martii 1523. impreſſ. in 4. abſque nomine impreſſoris, & loci. Niphum autem ea praedicentem, & mundum a metu futuri diluvii liberantem ſecuti ſunt alii, quorum omnium is fuit anteſignanus; e quibus fuit Paulus de Meldelburgo Epiſcopus Foroſempronienſis, qui univerſale, atque provinciale diluvium futurum, quod Clementi VII. ipſe obtulit, excuſum anno 1523.

De pulchro, librum I. & *De amore librum* alterum, ad Joannem Aragonium Tagliacotii Principem, quos ſcripſit Neophani anno 1529. die 3. Novembris, impreſſ. *Romae* 1531. *in* 4. *apud Antonium Bladum*. & *Lugduni*. *anno*. 1549. *apud Gotofredum*, & *Marcellum Deringas fratres. in* 8. Praefert liber hic epiſtolam Pompei Cardinalis Columnae S. R. E. Cardinalis, & Vicecancellarii viri docti, ad Auguſtinum Niphum, in qua judicium ejus libri facit, ac mirum in modum extollit.

De armorum, litterarumque comparatione com-

commentariolum ſcripſit ad Andream Carrafam Sanctaeſeverinenſium Principem, qui una cum opuſculo *De inimicitiarum lucro* ad Antonium Iſcernam, & etiam cum ejuſdem authoris *Apologia Socratis*, *& Ariſtotelis* ad Ludovicum Canoſam Veronenſem, Epiſcopum Bajocenſem Niphani die 3. Auguſti 1525: explicio, editi ſunt *Neap. anno 1525. in 4. per Evangeliſtam Papienſem haeredem* quond. *magiſtri Sigiſmundi Mayr Theutonici*.

De re aulica libros II. ad Pauſinam Rheam nobilem Nolanam puellam ſpecioſiſſimam, quos Salerni abſolvit anno 1534. die 24. Aprilis iam ſexagenarius, ac pene capularis, ut ipſe ait in nuncupatoria epiſtola. excuſi autem ſunt *Neapoli.* 1534. *apud Joannem Antonium de Caneto Papienſem*. *in* 4. & in Italicam linguam converſi, excuſi ſunt *Januae*. *anno* 1560. *in* 8. *apud Antonium Bellonum* hoc titulo. *Il cortigiano del Seſſa*.

De auguriis libros II. ad Illuſtriſſimum virum Guidonem Rangonium magnanimum Comitem, quos Salerni die XI. Januarii 1524. abſolvit, excuſ. *Bononiae apud haeredes Hieronymi de Benedictis*. *anno* 1530. *in* 4. item *Baſileae*. *anno* 1534. *apud Hervagium*. *in* 4. recuſi quoq. ſunt *Marpurgi*, ſimul cum ejuſdem Niphi libro *de diebus criticis*, ut ſuperius diximus.

Edidit quoque primam partem Opuſculorum, in quinque libros diviſam, quae *Venetiis* excuſa eſt *anno*. 1535. *apud Petrum de Nicolinis de Subio*. *impenſis Domini Octaviani Scoti*. *in* 4. Continentur autem in ea Opuſcula haec: *De vera vivendi libertate libri* II. quos Neapoli perfecit die 19. Septembris 1539. ad Victoriam Columnam Piſcarienſium Marchionem; qui libri praeferunt Pompei Columnae Cardinalis, & Vicecancellarii epiſtolam ad eundem Victoriam Heroinam, in qua de eo opere, ac de Auguſtino judicium facit. II. *De Divitiis liber* ad Jacobum Niphum. 6. Auguſti 1531. III. *De his, qui in ſolitudine apte vivere poſſunt liber*, ad Auguſtinum Paſtineum Periſonenſem. Niphani 8. Septembris 1531. IV. *De ſanctitate, & prophanitate, libri* II. ad Hieronymum Seripandum Eremitani Ordinis, virum religioſiſſimum. Niphani 21. Octobris. 1531. At liber *de Prophanitate* videtur in omnibus fere ſimilis libro *de Immunitate* Joannis Pontani. V. *De miſericordia liber*, ad virum religioſum Hieronymum Seripandum Ordinis Sancti Auguſtini. Sueſſae die 5. Julii 1533.

Orationem quoque Auguſtinus edidit, ab ipſo habitam *de Petro Jacobo de Toledo Hebraeo, inſigni medico, ad pietatem Criſtianam, ſua perſuaſione, nuper converſo*, impreſſam *Neapoli*, ſine die, & conſule *in* 4.

Scripſit quoque Auguſtinus libellum *De viro nobili*, ad Antonium Seripandum; cujus libri Niphus ipſe meminit in libello *de ſanctitate*, *& prophanitate*, in nuncupatoria epiſtola ad Hieron. Seripandum, ipſius Antonii fratrem.

Complures alios libros conſcripſit, qui adhuc in lucem editi non ſunt, e quibus manuſcripti ſuperſunt, quod ſciamus, *Commentarii ſuper Aphoriſmis Hippocratis*; qui Sueſſae habentur. Item ſuper *Technis Galeni*, qui Sueſſae item ſervantur. *Theologicorum libri* III., quibus univerſam Sacram Theologiam complectitur, qui Capuae aſſervantur apud heredes Joannis Baptiſtae Attendoli, cui traditi fuerant, ut eos in lucem emitteret.

Q. Curtius Seſſa, patritius Sueſſanus, in *Oratione*, a ſe habita Sueſſae, *in funeribus Domitii Niphi*, *filii Auguſtini*, quae apud nos MSpta. aſſervatur, ait Auguſtinum ſcripſiſſe: in *Dialectica* volumina V. in *naturali Philoſophia* XVII. in *Metaphyſica* IV. in *Moralibus* X. in *Mathematica* IV. in *Arte medendi* III. in *Arte dicendi* II. & in *Theologia* I. praeter alia, quae tunc idem Auguſtinus edenda parabat. Teſtatur quoque Auguſtinum Graecis litteris praeſtitiſſe, & in publicis Italiae gymnaſiis philoſophiam docuiſſe per annos fere quadraginta, & uſque, adeo philoſophiae Cathedram exaltaſſe;

ut,

Digitized by Google

ut, cum prius vix centum aurei pro ſtipendio eam publice profitentibus darentur, Auguſtino primum, poſtea aliis, mille aurei fuerint conſtituti. Fuiſſe quoque, Comitis Palatini dignitate, & inſigni militia decoratum. A Leone x. Rom. Pontif. multis donis, & obſequiis fuiſſe excultum, & in *Mediceam* ejus familiam fuiſſe adoptatum; facultate ei tradita, ut ipſe, ejuſque poſteri nuncuparentur *de Medicis*, & ipſius familiae inſignia, & arma deferrent. Eam ob cauſam (ut arbitramur,) in aliquibus ejus libris inſcribitur *Auguſtinus Medices Philoſophus Sueſſanus*: in aliis vero *Auguſtinus Niphus de Medices, Philoſophus Sueſſanus*: in aliquibus *Eutyches Auguſtinus Niphus Medices, Philoſophus Sueſſanus*: in aliis vero proprio, ac vero nomine, ac cognomine *Auguſtinus Niphus Sueſſanus*, & his ſimilibus modis: alibi *Euticus Auguſtinus Niphus Philoſophus Sueſſanus*.

Paulus item Jovius multa de Auguſtino Nipho, ejuſque doctrina, ac operibus in ejus Elogio, inter *illuſtrium litteris Virorum elogia* ſcribit. Ait enim eum *inter Ariſtotelicae Sectae profeſſores eximia laude praeſtitiſſe, cum in omnibus fere Italiae gymnaſiis, Achillino, & Pomponatio florentibus, optima ſtipendia meruiſſet. Fuiſſe quoque ingenio fertili, adaperto, ac liberali, & ſcripſiſſe in omnes Ariſtotelis libros perampla Commentaria; & ex ejus operibus, illud, quod pro Averroe contra Algazaelem ſcripſit, florente aetate, ac multo ingenii vigore praeſtans doctius, ac luculentius haberi. Etſi ejus opera rudi quadam, ac incondita ubertate conſcripta ſint, ut tunc communis mos erat, craſſis, ac pene barbaris auribus accommodata. Latine etenim, ac recte ſcribendi arcam, veluti optimis diſciplinis inimicam, ab ipſa philoſophia ſeparabant; quod potius aetati, quam ei vitio eſt adſcribendum*.

Obiit autem Sueſſae die 18. Januarii 1538. Senio confectus, cum annum ſuae aetatis ageret 63. ejuſque corpus balſamo, & aromatibus illitum in Divi Dominici aedis ſacrario, in ſcrineo ex ſerico nigro contexto repoſitum eſt, & in ſublimi loco collocatum: etſi Jovius aſſerat *eum ab humanis deceſſiſſe eadem nocte, qua Alexander Medices, Florentiae in lecto vulneribus confoſſus interiit*, quod contingit die 6. Januarii 1537.

Conſpeximus quoque elegans, venuſtum, & praegrande aereum numiſma Auguſtini Niphi ſimulacrum ad vivum, ac nomen habens. Caeterum ſua aetate in magno praetio, atque exiſtimatione fuit, nedum apud Carolum v. Imperatorem, & Neapolitanorum Regem, cui in primis charus fuit; ſed Leonem x. etiam, ac Clementem vii. Romanos Pontif., & Neapolitani Regni Proreges, ac Salernitanorum Principes, apud quos diutius verſatus fuit, atque omnes demum Regni proceres; ac etiam apud totius fere Italiae Principes, & populos, ac doctos praeſertim viros.

Porro Auguſtinus, etſi vir undequaque doctiſſimus, & in omnium litterarum campo verſatus, non tamen caruit aculeis aemulorum, & qui ipſius doctrinam acutis dentibus lacerarent, & parvipenderent; etſi graves etiam viri eſſent, ac eruditi. Inter quos Lucas Praſſicius Averſanus Philoſophus illuſtris, Auguſtini coëvus, qui ejus doctrinam acerrime impugnat, ut inferius ſuo loco dicemus. At non defuere, & viri quidem eminentiſſimi, qui Auguſtinum magni facerent, ejuſq. opera, ac doctrinam magnopere extollerent, defenderentque; & in primis Petrus Pomponatius Mantuanus in ſuo *Defenſorio adverſus Niphum de Immortalitate animae* eundem ipſum quamvis inimicum commendat, vocatque celeberrimum philoſophum; & ad tanti philoſophi (ut ipſe ait) objecta reſpondere nititur:

Lucas Gauricus in ſuo libello *de vera nobilitate* Auguſtinum appellat *Philoſophum celeberrimum*. Idemque Lucas *Oratione*, quam habuit in Ferrarienſi Academia anno 1507. cum mathematicas diſciplinas publice profiteri aggreſſus eſſet, inter alios recentiores, qui plurimum in Aſtronomia profecerunt tum ſcribendo, tum interpre-

tando, quique excellentem in Aſtrologia operam navarunt Auguſtinum Niphum Sueſſanum connumerat.

Ferdinandus quoque Ponzellus S.R.E. Cardinalis Melfitenſis, ac vir eruditus, ſcripſit librum *de Venenis, ad Auguſtinum Niphum*, in quo ipſum valde commendat, eumdemque vocat *philoſophum praeclarum, ſtudioſum, & occultorum naturae fidum interpretem*.

Frater Jacobus de Petrutiis Larinenſis Epiſcopus, illuſtris philoſophus, Auguſtini diſcipulus, ejus doctrinam Neapoli publice docuit; ac libris editis defendit; ut inferius in eodem Jacobo dicemus, vocatque *Niphum Philoſophorum Monarcham*.

Bartholomeus Donatus Averſanus philoſophus praeclarus, qui Auguſtini aetate vixit, *in Quaeſtione de forma corporeitatis*, in principio, appellat Auguſtinum Niphum *magnum ea tempeſtate Philoſophum, ac dilucidatorem*.

Marius Equicola ejus librum *de Opportunitate Auguſtino Nipho* nuncupavit, atque ad eumdem, ſic ait: *Tanti te in omni philoſophia facio, quanti apud Platonem ſunt habendi in politicis Hoſpes Athenienſis, in univerſi natura Timeus, in divinis Parmenides, Socrates in moribus*.

Albertus Piphius Campenſis Germanus, Mathematicarum diſciplinarum in publica Pariſienſi Academia profeſſor, librum *de Aſtrologicis rebus adverſus Marcum Beneventanum Auguſtino Nipho* nuncupavit, eumque mirum in modum commendat, vocatque *Phoenicem Italorum litteratorum, eum tot praeclaris editis operibus, tot divinis ingenii monumentis, toti Orbi praeſentibus, poſteriſque ita teſtificatus ſit, ut in philoſophorum conſeſſu nemo non indubiam Auguſtino palmam tribuat; & Italiam totam gloria doctrinae ſuae irradiavit, ut omnium totius Italiae philoſophorum nomen, ac gloriam praeradiet, & obſcuret*.

AVGVSTINVS VIVVS, ſive *de Vivo* Neapolitanus, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, ſcripſit Italice librum, quem *Studium verae ſapientiae* nuncupavit, excuſum *Maceratae. anno. 1585. per Sebaſtianum Martellinum*.

De eo libro Antonius Poſſevinus 1. *vol. Appar. Sacr. fol. 150.* ſic ait: *Volumen porro hoc ſat juſtae magnitudinis dignum eſt, quod & attente legatur, & in rem conferatur. Quo unuſquiſque monetur, quonam modo ſe gerere debent vivens, ſive ſanus, ſive aegrotus, ac moriens, ut ſanus recte vivat; aegrotus autem, ut ſit ſapiens, moriens, ut vincat rabidos Daemonum inſultos*.

AVLVS PYRRHVS CICADA Conſentinus Legum Doctor, edidit in lucem *A. Jani Parrhaſii* Concivis ſui (quem vocat *utriuſque linguae ſine controverſia parentem*) ac *Clare Leonardi Schipani* Conſentini, ipſius Jani auditoris ingenioſiſſimi, concinnas quaſdam *Elegias amatorias, & Epigrammata.* In quibus (ut idem Aulus Pyrrhus ait) *amatorii affectus exprimuntur, quae legentis animum feriunt*, quamobrem excudi ſtudioſe curavit; piaculum committere viſus, ſi iſtiuſmodi blanditias, ac lepidum carmen interire pateretur. Additis etiam ejuſdem *Auli Pyrrhi carminibus*, quae omnia Scipioni Summae patricio Neapolitano dicavit. Excuſa autem ſunt *Neapoli. Anno 1534. apud Joannem Sultzbacchium Hagenovenſem Germanum. in 8.*

AVRELIVS CASSIODORVS Scylacenſis in Brutiis, vir ſaecularibus diſciplinis omnium ſua aetate, abſque controverſia eruditiſſimus, ac celeberrimus; magniſque honoribus, ac dignitatibus in univerſa Italia functus. Theodorici enim Gothorum, ac Italiae Regis, & Alarici, ſive Athalarici ejus nepotis, ac in Regnum ſucceſſoris Cancellarius fuit; Senator Ravennas. V. C. patricius Romanus; Sacri Palatii quaeſtor; Conſul ordinarius; Magiſter officiorum; Exquaeſtor; Sacri palatii Exconſul

ſul ordinarius; Exmagiſter officiorum; Romanae Urbis Conſul; diverſis provinciis praefectus, ac totius Italiae Praepoſitus, & Praefectus praetorio. Vix credi poteſt quantum aliis Regibus in eorum epiſtolis paſſim commendetur ob doctrinam ſane rerum, ſummamque experientiam, fidem, dilectionem, quibus eos Reges ſumma conſtantia proſecutus eſt; incredibilem prudentiam, vitae probitatem, ac integritatem, juſtitiam in exercendis omnibus Magiſtratibus, maxima fide, ac gravitate, aequa lance, & abſque ſorde, & quaerela in populis regendis.

Multa ſcripſit cum adhuc in ſaeculo eſſet, nempe: *Epiſtolarum variarum ad diverſos*; ex perſona tam ſui, quam eorum Regum *libros* XII. *Chronicum breve ab initio mundi, uſque ad tempora ejus Regis Theodorici*, quod eidem Regi dicavit; inſunt tabulae, quibus ſeries Conſulum oſtenditur. Scripſit etiam libros XII. *de rebus Gothorum*, quos in Compendium redegit Jordanus Epiſcopus Ravennes, qui eodem tempore floruit. Quod quidem compendium ſimul cum Epiſtolarum libris, ac Chronico excuſum eſt. Edidit quoque *Orbem liberalium diſciplinarum* jam impreſſum. *Rethoricae compendium* excuſum. *Compendium de quatuor Mathematicis diſciplinis* excuſum. *De ratione Animae lib.* I. impreſſum. *Etymologiarum lib.* I. *De Orthographia lib.* I. *De Schematibus*, & *Tropis lib.* I. *Inſtitutionem ſaecularium litterarum lib.* IX.

Dein mundo derelicto honores, & divitias ſpernens, Monachus effectus eſt Ordinis Sancti Benedicti, atque Abbas, in Caenobio Vivarienſi apud Ravennam totus rebus divinis addictus, ſacrarum Scripturarum ſtudio, ac interpretationi ſe mancipavit, atque tum haec ſcripſit:

De inſtitutionibus divinarum lectionum. libros II. *In omnes Pſalmos*, & *Cantica Canticorum Commentaria*. *Hiſtoriam tripartitam* ex libris Socratis, Teodoreti, & Sozomeni, ab Epiphanio Scholaſtico, e Graeco in latinum translatis, confecit, ac *libris* XII. diſtinxit & haec omnia extant typis excuſa.

At Joannes Trithemius in *lib. de Scriptor. Eccl.* Alia ejus Opera recenſet, nempe: *Commentaria in Acta Apoſtolorum. In Epiſtolas Canonicas ſeptem* lib. I. *In Apocalypſim. Complexiones*, ſive *Commentaria*. ac librum *Sacerdotem praenotatum*. & Summam Sacrae Scripturae, quam *Memoriale Scripturarum* nuncupavit; quae an extent, ignoratur.

Floruit autem Caſſiodorus annum circiter DXXX. & vixiſſe fertur uſque ad annum DLXXV. annos habens pluſquam 95. ut Trithemius ait.

Quod autem Caſſiodorus fuerit Scylacenſis in Bruttiis, optime probatur ex ejus Operibus, etſi aliqui Ravennatem fuiſſe contendant. Idem enim Theodoricus Rex ad eundem Caſſiodorum ſcribens *lib.* I. *epiſt.* 3. illum maximis encomiis extollit, atque commendat, eo quod Siculis tam feliciter Caſſiodorus abſque querela, ac cunctis collaudantibus praefuiſſet. Ac proinde Rex cum Bruttiis, ac Lucanis praefuit, eoque regendos dedit, & patritii honorem illi contulit, & ſuperaddit: *Ne bonum quod peregrina Siculorum provincia meruiſſet, genitalis ſoli fortuna neſciret*. Et paucis verbis omiſſis, ait: *Egiſti te per cuncta judicem totius honoris expertem, nec invidia quemquam deprimens, nec gratia blandiente ſublimans. Quod cum ubique ſit arduum, tamen fit in patria glorioſum, ubi neceſſe eſt, aut gratiam parentela provocet, aut odium longae contentiones exaſperent*. Dein ait: *Fruere nunc bonis tuis, & utilitatem propriam, quam reſpectu publico contempſiſti, recipe duplicatam. Haec eſt enim vitae glorioſa commoditas, dominos eſſe teſtes, cives habere laudantes, &c.*

Idem Caſſiodorus tunc Praefectus Praetorio aperte teſtatur Scyllaceum eſſe ejus patriam, ad Maximum Cancellarium, Lucaniae, & Bruttiorum Praefectum ſcribens *lib.* XII. *epiſt.* 15. apud quem conqueritur Scylaceum ejus patriam nimis vexari, & ſic ait: *Scyllaceum prima urbium Bruttio-*

tiorum, quam Troiae deſtructor Ulyſſes creditur condidiſſe, irrationabiliter dicitur praeſumentium nimietate vexari, quod nobis praeſidentibus non oportuiſſet aſſumi, quia laeſiones ejus cogimur plus dolere, dum patriotica nos probetur affectione contingere. Dein Caſſiodorus ibidem Scyllaceum, omnemque adjacentem regionem deſcribit, laudatque, ac quidquid in eo eſt, ſingillatim innumerat; ipſiuſque Caſſiodori Villam, ac Viventium in Scyllaceo eſſe poſitum ait; Et ad Servium Praepoſitum ſub nomine Athalarici Regis ſcribens *lib.* VIII. *epiſt.* 32. fontem Arethuſae in Scyllatico territorio conſtitutae, ejuſque delitias optime deſcribit. Idemque Caſſiodorus in pluribus Epiſtolis meminit Bruttiorum, commendatque eorum mare, piſces, terrae amaenitatem, vina, boves, aliaq. ut *lib.* VIII. *ep.* 31. *lib.* XII. *ep.* 4., & 12. & alibi, Commendat etiam Caſei Scyllanici ſuavitatem in ea *ep.* 12. lib. XII.

De Caſſiodoro multa Joannes Thritemius in libro *de Scriptoribus Eccleſ.* Hieronymus Rubeus, in *Hiſtor. Ravenn. lib.* X. *Cap.* .. qui eum Ravennatem facit. Sixtus Senenſis in *Biblioth. Sancta*. Arnoldus Uvion Belga in *Ligno Vitae*. Antonius Poſſevin. *in* I. *vol. Appar. Sacri*, item in *vol. Biblioth. Selectae*. Robertus Bellarminus *de Scriptor. Eccl.* Hieronymus Marafioſus in *Chron. Calab. lib.* II. *cap.* 21. Ejus quoque meminit Paulus Diaconus *lib.* I. *Hiſtor. Longob. cap.* 17.

Advertendum tamen eſt ab aliis appellari *Aurelium* Caſſiodorum, ab aliquibus *Magnum Aurelium* Caſſiodorum, ab aliis *Marcum Aurelium* Caſſiodorum, ab aliis vero *M. Aurelium* Caſſiodorum.

AURELIUS GAUDERINUS Locrenſis, Calaber, qui Bononiae bonis litteris ac liberalibus diſciplinis, & philoſophiae praeſertim diu operam navavit, ibidemq; philoſophiam quoque docuit, ac celeberrimus ejus aetate doctor fuit. Edidit latine *Epiſtolarum familiarium* libros X., qui Bononiae excuſi ſunt *anno*. 1525. *apud haeredes Benedicti quondam Hectoris de Faellis. in* 4. quo tempore is floruit.

AURELIUS SERENUS Monopolitanus edidit Opuſcula quaedam, nempe *Carmen de feſtis, & ſtationibus totius anni*. II. *Orationem* pulcherrimam *in laudem Virginis*. III. *Diſtica allegorica ſuper Eclogis Virgilii*. IV. *Deſcriptionem portus Brunduſii*, quem intellexit Virgilius in primo Eneidas carmine. V. *Oratio in laudem eloquentiae, & artium*, in qua multa auditu, & ſcitu jucundiſſima. VI. *De referenda gratia*. VII. *De Muſarum, & Syrenum certamine*, quo mitra in ignominiam hominum inventa fuit.. ... quare in Inſula Tyberina duo templa erant, Eſculapii, & Fauni, & alia cognitu digna. Quae ſimul excuſa ſunt *Romae. anno*. 1512. *in* 4. abſque nomine impreſſoris, domino Carolo Rotario Montiſregalis Electo, & Julii II. Pontif. Max. a cubiculo intimo.

BALDAXAR DE ANGELIS Neapolitanus Juriſconſultus, ac regius. Auditor in Provinciis Bari, & Hydrunti, & Capitanatae, deinde Judex Magnae Curiae in Criminalibus edidit haec: *Additiones ad Deciſiones Neapolitani Conſilii Nicolai Antonii Gizzarelli*, quae excuſae ſunt, cum iiſdem Deciſionibus *Neapoli. Anno*. 1629. *apud Secundum Roncaliolum. in fol.*

Pratum, ſive *Apparatum* ad *omnes titulos, leges, & paragraphos primi, & ſecundi libri Codicis Juſtiniani Imperatoris*, impreſs. *Neapoli. anno*. 1635. *apud Dominicum Maccaranum. in fol.* Excellentiſſimo Domino Emanueli a Zuniga, & Fonzeca Montiſregii Comiti, & in Regno Neapolitano Proregi dicatum.

Additiones, ſive *Reportata ad practicam Criminalem Petri Follerii* excuſ. *Trani. apud Laurentium Valerium*. 1632. *in* 4. eidem Pro-

Digitized by Google

Proregi dicat s. At poſtea conſcripſit uberes, ac doctas *Annotationes ad Petri Follerii practicam*, quae ſimul cum eade n Practica excuſae ſunt *Neapoli*. *Anno*. 1644. *apud Honufrium Savium*. *in fol.*

Baptista de Valle e Venafro militum Dux, ac rei militaris ſcientia peritus, apud Urbini Ducem, deinde apud Bracciani Ducem diutius commoratus eſt. Edidit italice *libros quatuor*, quos *Vallum* nuncupavit, in quibus *De acierum inſtructionibus*, *de novis artificialibus ignis*, *aliiſque ad militiam pertinentibus* agitur, ad Henricum Pandonum Venafri Comitem excuſ. *Venetiis*. *anno*.1535. *apud Victorem quondam Petri Ravani de Serena*, *& ſocios in* 8. Fama eſt Baptiſtam hunc in oppido Bracciani obiiſſe annum circiter 1550.

Barbatus Sulmonensis, vide *Marcum Barbatum Sulmonenſem*.

Barlaam Monachus Ordinis Sancti Baſilii in Calabria vir fuit acutiſſimus, & in intelligendo, & in explicando bonas diſciplinas exercitatus. Fuit Graecis, ac latinis literis eruditiſſimus; magnus Theologus; Philoſophus; ac Mathematicus profundus, ac proinde ſua aetate celebris famae. Qui deinde Hieracenſis, ſive Gyracenſis Epiſcopus in Calabria extitit.

Hic tamdiu laboravit pro unione Graecae Eccleſiae cum Latina, eaque reducenda ad Latinae obedientiam, & proinde pluries Graeciam peragravit ad diſputationes cum Graecis ineundas: & a Benedicto xii. Rom. Pontif. legatus miſſus eſt anno 1337. non Conſtantinopolim tantum, ſed in univerſam Graeciam, ut Graecos ad obedientiam Romani Pontificis reduceret. De ejus quoque vita, laboribus pro Romana Eccleſia, legationibus pro Romanis Pontificibus; ac diſputationibus habitis per multos annos, ac Conciliis a Graecis initis adverſus Balaam, ac libris ab eo conſcriptis fuſius loquitur Frater Abraham Bzovius in iv. *vol. Annal. Eccl.* ad annum 1330. cum ſequentibus.

Et quamvis aliqui Barlaam Calabrum faciant, eo quod hic moribus, & legibus Latinorum fuerit educatus, & diutius in Calabria vixerit; tamen quod ipſe Graecus fuerit ortu, & apud Graecos natus, videtur colligi ex ſola Demetrii Theſſalonicenſis Graeci, inter Graecos viri ſapientiſſimi & doctiſſimi, epiſtola; quam ad eundem Barlaam Epiſcopum Hieracenſem direxit, relata ab Henrico Caniſio in *tomo* vi. *Antiquae lectionis*, & ab eodem Bzovio, citato loco, quae ſic incipit: *Cum olim te patribus noſtris dimiſſis ad Occidentem abiiſſe, ibique de caetero commorari voluiſſes*. *&c.* Attamen reliqui Scriptores Calabrum eum faciunt;

Scripſit autem Barlaam Hieracenſis Epiſcopus *Epiſtolas* multas ad amicos ſuos in Graecia conſtitutos, in quibus egregie diſſerit *de unione cum Eccleſia Romana*; *& proceſſione Sancti Spiritus*; *& de Romani Pontificis poteſtate*, *& auctoritate*; *& de primatu Eccleſiae Romanae*, *deque azimis* contra errores Graecorum. Quae quidem epiſtolae pereruditae prorſus ſunt, dignaeque lectu; eaſque edidit, ac recitat Henricus Caniſius *tomo* vi. *Antiquae lectionis* ex Fratre Barlaam; Bzovius *in* iv. *vol. Annal. Eccl.* ad annum 1332. in quibus epiſtolis appellatur *Barlaam de Seminaria* Epiſcopus Giracenſis; eſt autem *Seminaria* Oppidum in Calabria. Prodiit quoque *Ethyca*, *ſecundum Stoicos compoſita*, *per dominum Barlaam de Seminaria Epiſcopum Gyracenſem*, ex pluribus voluminibus eorundem Stoicorum, ſub compendio, quam refert idem Henricus Caniſius citato loco.

Barlaam Monachi meminit quoque Franciſcus Petrarcha, in epiſtola ad Imperatorem, ubi ait *Barlaam* Graecum ipſius *Petrarchae auxilio factum fuiſſe Epiſcopum*; & in epiſtola ad Hugonem de Sancto Se-

ve-

verino inquit, *aliquot Graecae linguae doctiſſimos homines noſtra aetate Calabriam habuiſſe. & praeſertim Barlaam Monachum, & Leontem, ſeu Leontium.*

Raphael Volaterr. *lib.* XXI. *Anthrol.* ſub tit. *de his qui in reliquis artibus claruerunt*, meminit Barlaam Monachi Sancti Baſilii utraque lingua eruditi, *qui multas, quae ad litteras pertinent, diſciplinas uno volumine coegit.*

Papinius Maſconus in *Annalibus de rebus geſtis Francorum, lib.* IV. de Petrarcha & Barlaam loquutus ait: *Erat Petrarcha latine eruditiſſimus, ut ejus opera oſtendunt, ac primus latinas litteras Gothica barbarie pridem obrutas erexit. Nec a Graecis quidem abhorruit praeceptore uſus Barlaam Monacho, patria Calabro, quem mors illi, & honeſtis principiis cito invidit; ut epiſtola ad Hugonem Severinum lib.* XI. *rerum Senilium, & lib. de ſui ipſius ignorantia* continetur.

Barlaam quoque Gyracenſis Epiſcopi *Epiſtolas* aliquot ad amicos in Graecia, *de Proceſſione Sancti Spiritus* ex patre, & filio contra Graecos, & ejuſdem *Ethicam ſecundum Stoicorum placita*, extare MSpta in celebri Monaſterii Sancti Galli in Helvetia Bibliotheca, teſtatur Antonius Poſſevinus *in* I. *vol. Apparatus Sacri.* in 2. *appendice. fol.* 17.

Robertus Bellarminus in ſuo libro *de Scriptor. Eccleſ.* inter alios recenſet Barlaam Epiſcopum Gieracenſem, *qui vixit circa annum Domini* 1303. *ac ſcripſit Epiſtolas multas ad Graecos de unione cum Eccleſia Romana, quas edidit Henricus Caniſius lib.* VI. *Antiquae lectionis.*

Addens ad Joannis Trithemii librum *de Scriptor. Eccl.* inquit: *Barlaam Calaber quidam Sancti Baſilii Monachus, eodem fere tempore claruit, quo Franciſcus Petrarcha, utraque lingua eruditus, multa quae pertinent ad diſciplinas, uno volumine coegit. Ejuſdem quaedam Opuſcula Graeca extant in Italia, nempe epiſtolae complures. Logices lib.* V. *alias* VI. *Geometriae. Arithmetica demonſtratio, vel Geometrica de numeris. Theologica ſpeculatio ſuper inventione Peſti Paſchae. Ejuſdem, & aliorum diverſorum de proceſſione Spiritus Sancti Opuſcula Romae extant. Barlaam Calabri Hiſtoria de regione Ethiopum, que Indica dicitur, junctis aliquot Martyrum Vitis MSpta. habetur Viennae in Bibliotheca Imperatoris. in fol.* ut legitur *in Bibliotheca Claſſica. fol.* 83.

In actis quoque Neapolitanorum Regum *in Regiſtro* 1345. & 1346. *lra. B. fol.* 76. *a t.* memoratur *Joannes de Seminaria Capitaneus Giracy, frater Venerabilis patris fr. Barlaam Giracenſis Epiſcopi ad Imp. Graecorum Sedis Apoſtolic. Nuntii.*

BARTHOLOMEUS AMICUS ex Antio, Lucaniae Oppido, e Societate Jeſu philoſophiae, ac Theologiae in Neapolitano Collegio ejus Societatis olim profeſſor; naturalis philoſophiae partes omnes explicavit, ac dialecticam, quae philoſophiae praeludium eſt, duobus voluminibus prius comprehendit; Quorum tomum primum primae partis excuſum *Neapoli. apud Lazarum Scorigium. anno.* 1623. *in fol.* Illuſtriſſimo Domino D. Joanni Franciſco Graeco Duci Montisnigri dicavit, atque ei libro hunc titulum praefixit: *In univerſam Ariſtotelis Philoſophiam notae, ac diſputationes, quibus illuſtrium ſcholarum Averrois; D. Thomae; Scoti; & Nominalium ſententiae expenduntur; earumque tuendarum probabiliores modi afferuntur.* Tomi quoque primi ſecunda pars prodiit *ibidem. apud eundem. anno.* 1624. admodum Illuſtri Julio Sangrio equiti Neapolitano dicata *eadem forma.*

In Ariſtotelis libros *De phyſico auditu dilucida textus explicatio, & diſputationes in quibus illuſtrium Scholarum Averrois: D. Thomae; Scoti; & Nominalium ſententiae expenduntur, earumque tuendarum probabiliores modi afferuntur*, quae duobus tomis complexus eſt; eorumque primus excuſus eſt *Neapoli. apud Secundinum Roncaliolum. anno*

162

1626. *in fol.* Reverendo Mutio Viteleſo Societatis Jeſu Praepoſito Generali nuncupatus; Tomus vero ſecundus impreſſus prodiit *apud eundem. anno*. 1629. *in fol.* Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Carolo Carrafae ex Rocellae Principibus, Epiſcopo Averſano dicatus.

In Ariſtotelis *libros de Coelo, & Mundo* dilucida pariter textus explicatio, & dilucidationes excuſ. ibidem, *apud eundem. anno*. 1626. *in fol.* Edidit quoque *Tractationem de variis formalitatum, & diſtinctionum generibus. Neapoli apud Franciſcum Savium*. 1638. *in* 8.

BARTHOLOMAEUS DE ANGELIS Neapolitanus Ord. Praedicatorum, ſcripſit Italice libros aliquot pietatem, ac religionem ſpirantes, nempe. *Conſolationem poenitentium*, in quo agit *de indulgentiis, de Oratione, Confeſſione, & aliis. Roſarium item Beatiſſimae Virginis*, quae omnia excuſa ſunt *Neapoli. anno*. 1575. *& Venetiis. anno* 1583.

Documentum inſuper *bene moriendi*, quod vocavit, *Ricordo del ben morire*, excuſ. *Neap.* 1575.

Theſaurum Mendicantium, in quo agitur de Ordinum Mendicantium ortu, origine, deque eorum auctoribus, ac dignitate, non adhuc in lucem editum.

Confeſſionale item dialogice inter Epiſcopum, & Ordinandum, quod excuſum non eſt. De eo frater Antonius Luſitanus *in Bibliotheca FF. Ord. Praedicat.*

BARTHOLOMAEUS CAMERARIUS Beneventanus, Antonii Capicii in Feudali diſciplina diſcipulus (ut is in *Repetit.* in l. *Imperialem* paſſim profitetur), Juriſconſultus praeclariſſimus, ſacrae paginae, ac legalis doctrinae, & praeſertim Feudalium jurium eruditione aetate ſua celeberrimus. Jus civile, & feudorum in Civitate Neapolis publice per complures annos profeſſus eſt, tanto plauſu, & frequentia, ut caeteros omnes in toto fere orbe anteceſſerit tum dicendi majeſtate, ac ſtili gravitate, tum etiam doctrinae ſoliditate. Ampliſſimos geſſit Magiſtratus, qui omnes infauſti ei fuerunt. Etenim in Regno Neapolitano ſub Carolo V. Caeſare Praeſidens primo Regiae Camerae vocatus anno 1529. multis annis ibi praefuit, cumque in Petri Toletani Regni Proregis iram incurriſſet, Caeſarem in Germaniam adiit, qui re perſpecta Neapolim reverti juſſit, ac eum Conſervatorem generalem Regii Patrimonii creavit anno 1536. dein Praeſidem Regiae Camerae anno 1536. demum Magni Camerarii Locumtenentem anno 1541. ſed idem Prorex Camerario ſemper inviſus illum paucos poſt annos perſecutus eſt; quare ipſe ad Imperatorem in Germaniam denuo acceſſit. At praevalente Prorege, ejus rebus pene contritis, ac deſperatis in Belgium relegatus eſt. Ipſe vero in Gallias ſe recepit, & a Franciſco Galliarum Rege, Caeſaris hoſte infenſiſſimo, Conſiliarius Regius effectus eſt anno 1551. quapropter Rebellis anno 1552. declaratur, bonis omnibus in Regno publicatis, ac Fiſco adjudicatis; ac praeſertim Oppido Petraepulcinae, prope Beneventum, cujus ipſe regulus erat. Dein ferventibus inter Gallos, & Hiſpanos bellis, ac diſſentionibus, in ejuſdem Gallorum Regis ſuſpicionem veniens e Galliis recedens Romam adiit; ubi a Paulo IV. Rom. Pontifice Hiſpanorum parum amicus Camerarius profligatus ſummo loco habitus eſt, & pluribus Magiſtratibus honeſtatus. Igitur Urbis Romae Gubernator, & ſupremus Annonae praefectus conſtitutus eſt anno 1558. Tandem in nepotum ejuſdem Pontificis iram incurrit, ac diras paſſus eſt perſecutiones; ſed Columnentium procerum patrocinio tutus evaſit: obiitque tandem Romae anno 1564. die 20. Decembris, & in SS. Apoſtolorum Franciſcani Ordinis, in Familiae Columnae ſacello; hac inſcriptione appoſita ſepultus eſt.

 D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.

BARTHOLOMEO CAMERARIO

BENEVENTANO SACRARVM SCRIPTVRA
RVM CANONVM LEGVM CONSVETVDINVM
PRAESERTIM FEVDALIVM INTERPETRI VT
QVAM CERTISS. ITA MAXIME RECEPTO
NON VULGARI VTRIVSQVE EXEMPLO RO
MAE VITA FVNCTO ATQVE A CLARISS.
COLVMNENTIVM FAMILIA HIC AEQVO
IVRE SVIS CVM MAIORIBVS ILLATO.BALD.
CRISP. NEAPOLIT. MIN. CONV. PRO SYND.
RAIN. CORSVS. CORRIG. I. C. VIRTVTIS
ERGO BENEVOLENTIAE INSCRIPSERE.
OBIIT XII. CALEND. IANVARII.
MDLX. III.

Multae peregrinationes in Germaniam, Belgium, ac Gallias, atque Italiam, & perſecutiones, quas in florida, ac media aetate paſſus, eſt effecerunt, ut feliciſſimi, & uberrimi ejus ingenii partus faecundiores non habeamus; imo (quod pejus eſt) quae & ſcripſit, non integre ad nos, habeamus, ſed huc illuc diſperſa contabuerint.

Edidit *Repetitionem ad* §. *aeque inſtitutionibus de actionibus*, quam Neapoli legendo publice docuit; ultimo enim anno ejus ſtudii, ut ipſe ait, in publice Profitentium numerum, atque Interpretum album eſt relatus; excuſa eſt autem *Neapoli. in aedibus Joannis Paſqualis Saludienſis anno*. 1521. *in pagina regali. in fol.* quam Reverendiſſimo Domino Joanni Mariae Puderico Tarentino Archiepiſcopo, ac Caeſareo Majori Cappellano, atque almi Studii Neapolitani Gubernatori nuncupavit.

Item *Repetitionem ad Cap. Imperialem de prohibita Feudi alienatione per Federicum*, quam *Romae typis tradidit anno* 1568. *apud Hippolytum Salvianum. in fol.* & Domino Paulo IV. Romano Pontifice dicavit; in qua ejus effigies aere inciſa cernitur. Dein *Baſileae* recuſa eſt *anno*. 1565. *apud Oporinum. in* 8. & *Francofurti apud Portium, & Schomwetter*. 1600. *in* 8.

Repetitionem Cap. primi. An agnatus in uſibus Feudorum, quae ſimul cum Operibus Joannis Thomae Minadoi edita eſt *Venetiis. anno*. 1576. *ſumptibus Jacobi Anelli Mariae, & Joannis Antonii Serrae Bibliopolarum Neapolis. in fol.* Idem Camerarius in ejus Conſilio Feudali poſt Cannetium meminit ejus Repetitionis, ut inferius dicetur.

Repetitionem ad cap. primum de ſucceſſione Feudi, editam in lucem opera Nuncii Pelliciae Juriſconſulti, poſt Commentaria ipſius *Nuncii ad Conſuetudines Averſanas*. impreſs. *Venetiis. apud Juntas. Anno*. 1605. *in fol.* At ut verum dixerim, nec ejus ſtilum, nec doctrinam redolet, quapropter ſpurium ipſius librum crediderim.

Editae ſunt autem nuper *Repetitiones aliquot Feudales Camerarii*, tum adhuc non impreſſae, tum quoque ſub aliorum codicibus ſparſim typis traditae; addita ipſius *Camerarii Vita*, quae prodierunt *Neapoli*. ex *officina Iacobi Caſſari*. 1645. *in fol.*

Septem alios *de Feudis libros* jamdiu a ſe ſcriptos teſtatur, quos edere pollicetur in epiſtola nuncupatoria ad Paulum IV. Repetitionis *ad cap. Imperialem*. ſi ſatis otii, benignitate ejus Pontificis, nactus fuerit. Quos utinam haberemus! ad nos enim minime pervenerunt. Et in eadem Repetitione *cap. Imperialem*. in fine primae partis, ait *Commentaria ſuper Feudis* cum Beneventi in ſua perſecutione annis decem, et octo occuliſſent, Romae eo anno recuperaſſe; imo, ut verius dicam, potius & certius perdidiſſe: nam mortuo eo Romae, nihil de ejus ſcriptis repertum eſt; & paulo poſt ait, *ſi haec lectoribus placuiſſe intellexero, donec octo volumina Commentariorum meorum ſuper Feudis typis tradidero*.

Conſilium edidit in *materia Feudali*, quod in fine operum Ioannis Antonii Cannetii Siculi in Extravagantes Siciliae excuſum eſt, *Venetiis. apud Franciſcum de Franciſcis Senenſem*. 1579. *in fol.* Quod quidem Conſilium per modum dialogi conſcriptum eſt, in quo interlocutores ſecum inducit Ioannem Angelum

gelum Piſanellum, Cannetium, ac Fiſcum;

Extat etiam *Conſilium* ipſius in *Cauſa matrimoniali*, quod incipit, *Placuit Hoſtienſi*, *& Abbati &c.*, & habetur in fine Conſiliorum Cardinalis Zabarellae. Idem Camerarius in ejus Conſilio Feudali poſt Cannetium *fol.* 376. *Col.* 2. ait. *Ego jam recedam, ut cap.* 1. *de ſucceſſ. feud. c.* 1. *de natura ſucceſſ. Feudi, & c.* 1. *an agnatus. Commentaria mea typis emendata tradam.*

Laboravit Camerarius in reſtituendo vera lectione Andreae de Iſernia, cujus opera ob variam, ac corruptam lectionem difficillima cenſentur, magnamque afferunt legentibus perplexitatem: ait enim Camerarius *in* §. *praeterea ducatus. Hactenus verba Iſerniae eam ob cauſam minutatim interpretati ſumus, ut modum vobis oſtenderem, ſecundum quem Auriga noſter Iſernienſis a vobis ſtudendus ſit; principio animadvertentes, ne corruptum codicem prae manibus habeatis: quod niſi mors impedimento mihi erit, meis ſudoribus, ſummiſque vigiliis, cito vos aſſecuturos ſpero. Qui ne parerer Iſerniae doctrinam inintelligibilem factam eſſe, tribus annis, tum ut errores deſcribentium priſtinae veritati reſtituerem; tum etiam, ut funditus ejus mentem intelligerem, quaſi in carceribus mancipatus ſingulis diebus per horas XVI. in Caſtro Petrae Pulcinae, prope Beneventum, rei huic operam navavi. Ferme triginta Codices antiquos continuo, uti opus erat, revolvens; deinde vero annis quatuor & viginti, jura feudalia publice magno ſtipendio conductus, interpretatus ſum. Eodemque tempore vel Praeſidentis, vel Conſervatoris Generalis, vel Locumtenentis Regiae Camerae feudalibus litibus dirimendis vacavi.* In Conſilio quoque poſt Cannetium *fol.* 360. loquens de verbis Andreae mendoſis ait: *Quae omnia emendata per* 24. *Codices, quos tunc legi, quando Andream emendavi, hodie vobis trado integrum Andraeam, abſque ullo errore traditurus, in quo meis vigiliis ultra bis mille errores emendati fuerunt.*

Scripſit librum, qui ab eo nuncupatus eſt *Auctor adverſus Grammaticum quendam*, cujus libri meminit in *Repetit. cap. Imperialem*.

In *repetitione Cap. an agnatus n.* 95. *fol.* 430. remittit ſe ad ea, quae dixit in *l. ſi finitae* §. *ſi de vectigalibus ff. de damno infecto*.

Conſcripſit quoque *Additiones ad Bartoli Lecturas*, quae adhuc manuſcriptae aſſervantur.

Multa quoque ad Sacram Theologiam, ac ſacram paginam pertinentia elucubravit, ſunt autem haec: *De Praedeſtinatione. dialogi* III., quorum primus *Catholicus*, ſecundus *Proteſtans*, tertius vero *Calvinus* nuncupantur: excuſi autem ſunt *Pariſiis*. in *typographia Mathei Davidis*. 1556. *in* 4. *De gratia, & libero arbitrio*, cum Calvino ſecum habita *diſputatio*, edita *Pariſiis. anno.* 1556. *apud Matthaeum Davidem. in* 4. *De jejunio, oratione, & eleemoſina. dialogi* IV., *qui Lutetiae prodierunt anno.* 1556. *ex typographia Michaëlis Vaſcoſani. in* 4. *De igne Purgatorio*. Conſcripſit etiam *ſuper Pſalmis librum*, cujus mentio habetur in Indice *Bibliothecae Junctorum Florentiae. fol.* 106. Is quoque Camerarius in Dialogo *Proteſtantis. part.* 2. *cap.* 1. *fol.* 156. remittit ſe ad ea, quae ſuper *Pſalmis* dixit.

Scripſit quoque Camerarius alia Opera Theologica, que adhuc non vidimus; ſed is in ſuis libris eorum meminit; ſunt autem haec: *De vera Eccleſia Dei, dialogi* II., etenim in Dialogo, qui dicitur *Proteſtans, parte* 3. *cap.* 1. *fol.* 182. remittit ſe ad ea, quae tractat in Dialogo 1. *de vera Dei Eccl.* cui titulus eſt Lutherus; in quo quales Martini Lutheri mores, vita, & doctrina fuerint, pleniſſime docet. Et in eodem Dialogo *Proteſtans, parte* 4. *cap.* 3. §. 2. *fol.* 225. remittit ſe ad ea, quae dixit in Dialogo 2. *de vera Eccl. Dei*. *De hominis juſtificatione liber*, ad quem is ſe remittit in dicto Dialogo *Proteſtans. parte* 1. *cap.* 1. *haec* 2. *fol.* 156. *& part.* 4. *fol.* 199. *De juſtificatione impii liber*; de qua in dicto Dialogo *Proteſtans. part.* 1. *cap.* 2. *fol.* 147.

Caeterum primus locus in juribus feudalibus, poſt Andream de Iſernia, Camerario tribuitur, ut tradit Camillus de Curte in 1. volum. *Diverſorii juris feudalis*.

Franciſcus quoque Liparulus in Commentariis ad *Summam Odofredi Bononienſis* in uſus feudorum in principio, vocat Bartholomaeum Camerarium, *ut ab omnibus optime noſcitur, in noſtra civili ſapientia, & praeſertim in feudali materia, aetate ſua, nemini penitus ſecundum*; *ut praeclara ejus opera demonſtrant*.

Nec immerito ſummus Feudiſta evaſit, etenim aetatem ſuam in Andreae de Iſernia ſcriptis evolvendis conſumpſit, ut is in *Conſilio* poſt Cannetum ait, dum dicit, *Solus Andreas de Iſernia poſt Goffredum, & Jacobum de Ardiz ſummos terminos feudales novit, quos illi poſt eos intelligunt, qui lectioni Commentariorum ſuorum operam navant; inter quos ſi me unum eſſe dixero, jure merito id mihi vindico: qui in eo perſaepe relegendo aetatem conſumpſi, & monoculus propterea factus ſum*.

Hartamannus Piſcor *in 1. parte ejus qnaeſtion. in 1. quaeſt.* Camerarii *authoritati in Feudalibus valde tribuendum eſſe* ait. Bartholomeus Camerarius *illuſtris Feudorum interpres* vocatur a Nicolao Antonio Gizzarello *deciſ. 36. n. 12.* Anellus Amatus in *conſil. 97. n. 8.* appellat Camerarium *eximium Jureconſultum, & praecipue feudalis materiae vere expertum*, & ibidem *n. 27.* vocat Camerarium *juris feudalis lucernam, ac juris feudalis Coriphaeum*, & valde ejus doctrinam commendat.

Camerarii quoque meminerunt Alexander Andraeas in lib. *de Bello in Campania geſto*, inter Paulum IV. & Philiphum II. Hiſpaniarum Regem. Contarenus in libro de *Neapolitana nobilitate*. Antonius Caſtaldus Neapolitanus in *hiſtor. Neap. ſuorum temporum*.

BARTHOLOMAEUS DE CAPUA Neapolitanus Juriſconſultus fuit ſua aetate preſtantiſſimus, tum legum peritia, tum in tractandis negotiis aptitudine, ac dexteritate Caroli II. & Roberti Neapolitanorum Regum a Conſiliis; a quibus maximis honoribus, ac dignitatibus fuit decoratus, ac ingentibus item divitiis, complurimis Feudis, & Caſtris donatus eſt: Fuit enim is ſub Carolo II. Magnus Regni Logotheta, ac Prothonotarius ab eodem Rege anno 1288. creatus; Magiſter etiam Rationalis Magnae Regiae Curiae. Civitatem quoque Neapolis, uti Regis Vicarius, ac locumtenens rexit annos 13. ob ejus Regis abſentiam. Cumque Regni eſſet Prothonotarius, Romani Pontificis fuit a ſecretis, & graviſſima pro iis Regibus negotia confecit, ac legationes ad varios Chriſtiani orbis Reges, ac Principes, & praeſertim ad Romanos Pontifices ſuſcepit. Sed illuſtrior in ea legatione ad .... Pontiſ. Max. qui Avenioni tunc reſidebat, evaſit; coram eo enim, & pleno Cardinalium conciſtorio ejus Roberti cauſam tutatus eſt in celebri illa controverſia de Regni hujus Siciliae ſucceſſione habita cum Caroberto Ungariae Rege; in qua Bartholomaeus pro Rege ſuo coronam obtinuit, & Regi ipſi ſalva fuerunt omnia. Fui, autem tantae doctrinae, & praeſtantiae, ut eo vivente nihil ſerii: abſque ejus conſcientia in Regno unquam decerneretur, ac fieret; ac Regum fere in regimine ſocius, ac pater, & in itineribus comes videretur: qui verba ipſius pro oraculis haberent, quare ab ejus aetate ad noſtra uſque tempora tam recens eſt illius memoria in univerſo hoc Regno, ac ſi noſtris diebus viventem coluiſſemus.

De eo quoque loquitur Bartolus in *auth. praesbyteros C. de ſacroſ. Eccl.* dum ait, *Bartolucius de Capua fuit factus Magnus Comes*; intelligens Bartolucium hunc fuiſſe creatum Altavillae Comitem. At quamvis Comitatum Altavillae a Roberto Rege obtinuerit; attamen eo Comitatu ſuum ex filio primogenito nepotem decorandum curavit; & ab iis temporibus, uſque ad

no

Digitized by Google

noſtram aetatem, illa dinaſtia apud poſteros viget.

Caeterum quae ad ejus dignitates, honores, Magiſtratus, divitias, feuda, atque oppida quibus fuit dominatus; legationes, itinera pro ſuis Regibus ſuſcepta; auctoritatem, & alia, quae ad ejus vitam, mores, ac geſta pertinent, ſigillatim hic referre ex libri inſtituto prohibemur: ſed alibi fuſius enarrabimus.

Obiit autem Neapoli anno 1328. & in Cathedrali ſepultus eſt, in proprio ſacello, hac inſcriptione in ejus ſepulcro appoſita.

IANVA LEGVM VITAQVE REGVM MORS RETRVDIT TERIT OMNIA SVNT QVASI SOMNIA CVNCTA RECLVDIT SVMMVS ET ATHLETA REGNI IACET HIC LOGOTHETA PROTHONOTARIVS AVXILIARIVS ATQVE PROPHETA ANNIS SVB MILLE TRECENTIS BIS ET OCTO QVEM CAPIAT DEVS OBIIT BENE BARTHOLOMAEVS.

Quae autem Bartholomaeus de Capua edidit haec ſunt: *Conſuetudines Neapolitanas* Caroli II. Siciliae Regis juſſu in ſcriptis redegit anno 1306. una cum Philippo Neapolitano Archiepiſcopo, ut abuſus, ac difficultates (quae ex earumdem obſervantia in dies oriebantur) tolleret; quas dein idem Rex ſuo diplomate roboravit: quaſque Neapodanus Sebaſtianus, aliique magnis Commentariis interpraetati ſunt, ut infra in Neapodano dicemus.

Scripſit *Gloſſam auream ſuper Conſtitution. Regni Siciliae, & Ritibus Magnae Curiae, & Singularia* 151. *ſuper ff. & Cod.*, quae edita ſunt ſimul *Lugduni. anno.* 1556. *apud* . . . . *in* 8. cum additionibus Marcelli Boni. Ea quoque *Singularia* num. 105. habentur in opere magno *Singularium variorum Doctorum in* II. *vol.*

Quaeſtiones XXXVI. *legales* edidit, quae impreſſae ſunt in fine *Additionum Thomae Grammatici ad Conſtitutiones Regni.*

Sermones etiam *Bartholomaei de Capua* manuſcripti in pergamena ab eo editi habentur in doctoratibus, aliiſque in locis, qui citantur a Marino Freccia *lib.* I. *de ſubfeud. in Cap. de provinc. & Civitat. regni n.* 33. *fol.* 79. *in cap. de offic. Magni Cancellarii n.* 15. *fol.* 52. *& cap. de eo officio Logothetae n.* 18. *fol.* 45. quiq. penes ipſum tunc aſſervabantur ad praeſens actum in Bibliotheca Conchanos Principis aſſervari audivimus.

Tractatus de appretio, ſive forma ſuper appretio ab eodem Bartholomaeo editus habetur manuſcriptus penes Dominum Bartholomaeum Caracciolum de Aragonia. In quo Bartholomaeus de Capua *in l.* 2. *ff. de cuſtodia rerum*. citatur ab Afflict. *Deciſ.* 130. *n.* 1. *in l. in te C. de donation. ante nupt.* Allegatur a Franciſco Vivio in *Deciſ. Neap.* 258. *n.* 4.

Idem Afflict. *deciſ.* 116. *n.* 3. citat *Allegationes Bartholomaei de Capua*, quas fecit pro Rege Roberto inſtituto haerede a Rege Carolo II. & ſic etiam in *tit. de ſucceſſion. feudi, in uſibus feud. n.* 41. *&* 55. & Grammaticus *deciſ.* I. & Camerarius *in repet. l. imperialem de prohib. feud. alien. per Feder. fol.* 24. *lit. A.*

Afflict. quoque *in cap. de Marchia ſub tit. de feudo Marchiae n.* 4. Allegat Bartholomeum de Capua in *Conſilio*, quod fecit *pro Rege Roberto contra Imperatorem Henricum*, qui Robertum depoſuerat, ac Regno privatum pronunciaverat, in quo Bartholomaeus contendit Regem Neapolitanum Imperatori non eſſe ſubjectum.

Idem Afflict. *in cap. inveſtitura. ſub. tit. de nova forma fidelitatis in uſibus feudorum n.* 10. allegat Bartholomaeum de Capua in quodam ſuo *Conſilio*, de quo fuit facta *Clementina paſtoralis de re judicata*; quod idem eſt, ac ſuperius, pro Roberto Rege adverſus Henricum Imperatorem. Haec ſunt ipſius opera, de quibus mentionem huc uſque reperi. Caeterum a Regnicolis, exteriſque Scriptoribus hic multis laudibus celebratur, atque ipſius memoria inſignis habetur.

Bal.

Digitized by Google

Bal. in l. properandum C. de judiciis allegat doctrinam quandam legalem Bartholomaei de Capua, & bis ejus meminit *n.* 10. & 11.

Lucas de Penna *in l. in filiis decurionum C. de decurionibus lib.* x. ait. *Contrarium determinavit memoriae venerandae Dominus Bartholomaeus de Capua in conſilio Regis.* Idem *in l.* 1. *C. qui aetate, vel profeſſione ſe excuſant lib.* x. ait *Pauci vero parentes haec prudenter attendunt, putantes eorum filios, quos cum magno viatico ad ſtudium dirigunt, ad perfectionem ſcientiae, honoris, divitiarum, & gloriae quondam inſignis domini Bartholomaei de Capua pervenire.* Et *in l.* 2. *C. de jure reipublicae lib.* xi. & . . . . . determinavit *praeclarae memoriae dominus Bartholomaeus de Capua.* Et *in rub. C. de Quaeſtoribus, & Magiſtris officiorum lib.* xii. inquit *noſtris temporibus officium Logothetae ſolus Dominus Bartholomaeus de Capua digne meruit, probe geſſit.* Et *in l. unica cap. de caſtrenſi omnium Palatinorum peculio. lib.* xii. ait: *Excellens dominus Bartholomaeus de Capua Logotheta, & Prothonotarius Regis Siciliae, cujus obſequia, & conſilia reipublicae prae caeteris fuerunt utilia, ut poſterior probavit eventus &c. ob eminentem, illuſtremque ſcientiam tanti viri.*

Et *in l. quicumque C. de re militari lib.* xii. *Venerandae memoriae Bartholomeus de Capua.* Et *in l.* 1. *C. de vendit. re fiſcal. cum privat. Comm. lib.* x. meminit Bartholomaei de Capua Logothetae, ac Prothonotarii Regni, *qui fuit vir mirabilis, & decedens, virtutem plurimam traxit, & licet in officio, non tamen reliquit in virtutibus ſucceſſorem.*

Egregius Doctor Bartholomaeus de Capua vocatur a Neapolitano Sebaſtiano in *Commentariis* ſuis ad *Conſuet. Neapolit. in prohaemio. Fuit Bartholomaeus contemporaneus Dini, ſecundum Ioannem Andream in addit. ad ſpecul. in tit. de Iuramento Calumniae, & in tit. de donationibus, quem appellat Bartholomaeum Neapolitanum Iureconſultum.* *Caccialupus quoque in ſuo tractatu de modo ſtudendi in* 5. *documento. idem ait, qui Bartholomeum de Neapoli appellat, dein paulo poſt Bartholomeus de Capua.*

Afflic. *in conſtit. praecipimus. ſub tit. de impetrandis litteris a Curia Magiſtri Iuſtiniani n.* 1. magnitudinem virtutis affirmat fuiſſe in Bartholomaeo de Capua, qui fuit Prothonotarius Regni, & *vir mirabilis in virtutibus ſecundum Lucam de Penna* in *l. quoties C.* de *vend. re Fiſcal. cum privat. commu. lib.* x. *Illuſtriſſimus Doctor Dominus Bartholomeus de Capua vocatur ab eodem* in *conſtit. foriudicatorum num.* 2. *Sapientiſſimu vir Dominus Bartholomaeus de Capua. i praeludiis Feudorum n.* 57. *Magnam eſſ authoritatem Domini Bartholomaei de Capua* idem ait in *rubr.* de *Vaſſal. qui contra conſtitutionem Lotharis, & c. n.* 4.

Excellens, eminenſque vir. Dominus Bartholomeus de Capua, cujus maxima eſt auctoritas. Loffredus ait in *Cap. Imperialem. i verſ. per praedictum de prohib. feud. alien per Feder.*

Vivius *deciſ.* 258. *n.* 4. ait *Bartholomaeus de Capua fuit tempeſtate ſua eminentis auctoritatis vir*, & *ſic ejus auctoritas extollitur, meritoque celebratur tanquam magn per Afflic. in conſtit. Regni Humanitate* &c. *de his qui fidejuſſores*, & *C. lib.* 2. *n.* 23 & *ſeq.* ubi *meminit etiam te ipſa ejus progeniem ſatis hodie exaltatam fore; imo Bartholomeus ipſe de Capua ſub nomine Bartholucii nuncupatur per Bart.* in *auth. presbyteros C. de Epiſc. & Cler. & fuit ante Dinum; ut ubi memoratur, nec non meminit eundem Bartholomeum de Capua fuiſſe Logothetam, & Prothonotarium; notariumque Camerae Apoſtolicae, atque virum admirabilem ſcientiae, & virtutis.*

Marinus Freccia *de ſubfeud. lib.* 1. *in tit. de officio Logothetae, & Protonotarii n.* 2. cum laude etiam de ipſo loquitur. Neque eo minus Bartholomaeus Camerarius in *l. imperialem fol. mihi* 68. *a t. ait: in Regno tanta eſt gloſſarum Iſerniae auctoritas, & Bartholomaei de Capua, quod vix quaeramus,*

mus, quare dixerunt; ſed quia ipſi dixerunt, ut de Pythagora recitatur.

BARTHOLOMAEVS DONATVS Averſanus, philoſophiae, ac medicinae profeſſor, edidit profuſis Commentariis *Quaeſtionem de forma Corporeitatis* ad nobilem & generoſum virum Dominum Ioannem Bernardinum Garganum patricium Averſanum, quae prodiit *Neapoli. ex officina Antonii de Frizis Corinaldenſis. anno. 1526. in fol.*

BARTHOLOMAEVS GYPTIVS Beneventanus legum Doctor, Prothonotarius Apoſtolicus, & Archipresbyter Petrae-Pulcinae, dein Epiſcopus Bellicaſtrenſis, edidit *Tractatum de Caſibus reſervatis*, in quo precipue explicantur reſervati in Dioeceſi Beneventana excuſ. *Neapoli. apud Coſtantinum Vitalem. 1621. in 4.* Domino Alexandro de Sangro Patriarchae Alexandrino Beneventano Archiepiſcopo, & apud Catholicum Regem Nuntio dicatum.

BARTHOLOMAEVS MARANTA Venuſinus, Roberti Marantae, de quo inferius ſuo loco dicemus, filius, philoſophus, ac medicus, variaeque eruditionis vir fuit. Scripſit: *Methodi cognoſcendorum ſimplicium medicamentorum libros III.*, qui editi ſunt *Venetiis. anno. 1559. in 4. in Officina Eraſmiana Vincentii Valgriſii.* ab Auctore dicati Ioanni Vincentio Pinello genere, & doctrina Clariſſimo. Praefert hic liber epiſtolam ad Gabrielem Fallopium Mutinenſem Medicum inſignem, in qua librum Auctor illius judicio ſubjecit, ſub datum Neapoli Kal. Iulii 1558. quam ſequitur reſponſiva epiſtola Fallopii ad Maranta ſub datum Patavii eodem anno, in qua judicium de eo libro profert, ac commendat. In eodem Methodo Maranta promittit ſuos in *Dioſcoridem Commentarios*.

Edidit quoque *de Aquae Neapoli in Luculliano ſcaturientis*; quam *ferream* vocant; *metallica natura*, *ac viribus*; ad Paulum Monachum Neapolitanum praeclarum Medicum, excuſam *Neapoli. 1559. apud Matthiam Cancrum. in 4.* Ferdinando Loffredo Trivici Marchioni dicatam.

De Theriaca, ac Mitridatico libros II. ad Ferdinandum Imperatum, Italice edidit, in quibus vera methodus edocetur componendi ea antidota, & perdiligenter examinantur omnia medicamenta, quae in ea ingrediuntur, impreſſ. *Venetiis. 1572. apud Marchum Antonium Ulmum. in 4.* Eos autem Marantae libros *de Theriaca*, *& Mitridatico* Ioachim Camerarius Medicus Norimbergenſis latinos reddidit, excuſi autem ſunt *Francofurti. apud haeredes Chriſtophori Egenolſi. anno. 1576. in 8.*

Epiſtola ad Matthiolum excuſatoria, de quibuſdam adverſus Matthiolum editis, in *lib.* IV. Epiſtolarum Matthioli habetur:

Lucullianarum quaeſtionum libros V. edidit, qui *Baſileae* excuſi ſunt *1564. in fol.*

Obiit autem Bartholomaeus in Civitate Melfiſci, quo conductus fuerat Medicus peramplo ſtipendio, ac ſalario accitus.

BARTHOLOMAEVS PICENVS de Montearduo Hydruntinus, Graecis, ac latinis literis eruditus, tranſtulit e Graeca in latinam linguam *Confutationem legis Mahometicae* conſcriptam a fratre Ricardo Florentino Ordinis Praedicatorum, qui primus *Alcoranum Mahometis* ex Arabica lingua in Romanam convertit; & *Adverſus Alcoranum Commentarium, ſive Confutationem* conſcripſit, barbaro tamen, & inculto ſtylo. Demetrius vero Cydoneus in Graecam linguam eam *Confutationem* non ineleganter vertit. Is autem Bartolomaeus eam rurſus e Graeco in latinum tranſtulit, ſermone tamen puro, ac eleganti ad Ferdinandum Aragoniae Regem excuſ. *Baſileae. apud Ioannem Oporinum*, cum Alcorano, Graecis & Latinis e regione poſitis. *Pariſiis* etiam *apud Albineum* excuſ. latine tantum.

Idem

Idem Bartholomaeus *Conſtantini Magni Imp. Donationis privilegium Rom. Eccl.* conceſſum in Bibliotheca Apoſtolica Vaticana Graece repertum, ut ipſe ait, in latinam linguam vertit ad Iulium II. Rom. Pontif. excuſ. in Faſciculo Ortuvini Gratii Daventrienſis. Hic enim Ortuvinus vir eruditus collegit *Faſciculum rerum expetendarum, & fugiend.* cui operi inſunt ſummorum aliquot virorum Epiſtolae, libelli, tractatus, opuſcula, orationes num. 66. in quibus multae cauſae Religionis excutiuntur. Opus quidem inſigne. impreſſ. *Coloniae, anno.* 1535. *in fol.*

BARTHOLOMAEUS ROGATUS Stabienſis e Societate Ieſu edidit *Orationem in funere Eminentiſſimi Domini D. Franciſci Boncompagni s. r. e.* Cardinalis, & Archiepiſcopi Neapolitani, ab eo habitam in templo domus profeſſae Neapolitanae ejuſdem Societatis die 25. Januarii 1642. quae excuſa eſt *Neapoli, apud Franciſcum Savium.* 1642. *in* 4.

Elegiarum libros IV. habet ſub praelo Romae.

BARTHOLOMUEUS SANCTUS Civis Roſſanenſis, Calaber, profeſſione Monachus, Ordinis Sancti Baſylii, Abbas primum Carbonenſis Coenobii in Lucanis, juxta *Armentum* Oppidum, Arglonenſis Dioeceſis; dein Abbas Monaſterii Cryptaeferratae in Agro Fuſculano. Scripſit perſuſiſſime Graece *Vitam Sancti Nili Roſſanenſis* ſocii, ac concivis ſui, ejuſdem inſtituti Sancti Baſilii Monachi, atque Abbatis prius Carbonenſis Coenobii, dein Cryptaeferratae Monaſterii fundatoris, ac Abbatis. In qua, ne dum de Sancto Nilo, ejuſque diſcipulis, eorumq. vita, geſtis, ac miraculis fuſius agitur; verum etiam de omnibus fere ejus aevi Monachis, qui in Calabriis, ac Cryptaeferratae Coenobiis ſanctitate claruerunt, mentionem facit. Servatur autem Vita haec in eo Coenobio Cryptaeferratae, quam in latinum tranſtulit Federicus Metius Epiſcopus Thermulanus, ut Baron. *tomo* x. *Annal. Eccl.* anno 976.

Ipſius quoque *Sancti Bartholomaei Vita* Graece ſcripta extat in eodem Monaſterio Cryptae ferratae ab eodem Metio latinitati donata.

Obiit autem in Cryptaferrata anno . . . Ubi ſacrum Corpus quieſcit, ac religioſe veneratur, & in Sanctorum numerum relatus eſt; meminit enim ejus *Martyrologium Roman.* die XI. Novemb. ac vitae Sancti Nili ab eo ſcriptae.

BARTHOLOMAEUS SYBILLA Monopolitanus Ordinis Predicatorum, Magiſter in Sacra Theologia, Philoſophus, ac Concionator egregius fuit. Edidit librum valde curioſum, quem inſcripſit *Speculum peregrinarum quaeſtionum* ad Alphonſum de Aragonia Calabriae Ducem, *per* III. *decades, ex Theologis, Juriſperitis, Philoſophis, & Aſtrologis, concinnatum, in quo de animalibus, de Coelo, de Purgatorio, de Inferno, de Angelis bonis, & malis, deque Hominibus, aliiſque de rebus pertractatur*, qui *Argentinae* primum *apud Joannem Greminger. anno.* 1499. *in* 4. prodiit, dein *Lugduni. anno* 1521. *apud Jacobum Mit*, ac pluribus aliis in locis, ac temporibus recuſus, & praeſertim *Venetiis* 1582. *apud Joannem Bertanum*, cum additionibus fratris Raphaelis Maffei Veneti Ordinis Servorum.

Martinus Delrius *Diſquiſit. Magic. lib.* I. *cap.* 3. 9. citat hunc librum, atque eum laudat, cum adverſus imagines Magorum fictitias loquitur.

De eo Leander Albertus in *deſcript. Italiae*, & *Ant. Senenſis* Luſitanus in *Bibliot. Ord. Praedic.* Ant. Poſſevinus *in* 2. *vol. Appar. Sac. fol.* 185. & in ſecundis additionibus ejus primi voluminis *fol.* 18. Frater Michel Pio *lib.* IX. *Hiſtor. Ordin. Praedicat.* Fr. Aldh. Ferraudes *de Script. Prae-*

Praedicat. *familiae*. Vixit annum circiter 1480.

BARTHOLOMAEVS DE VRSINIS, ſive de *Filiis Urſi* Nolanus Ord. Min. edidit latine *librum Sermonum* in Quadrageſima, quem vocavit *Gratiam Dei*, eumque conſcripſit anno 1463. ac dicavit Fratri Gaſpari de Pergula ejuſdem Ordinis. Impreſſus eſt autem liber *anno*. 1473. *in* 4. abſque nomine, & loco impreſſoris.

BASILIVS PANDOLFVS Licienſis Ordinis Cleric. Regul., edidit Italice *Rithmos ſacros*, nempe *Magdrigalia*, & *Cantiones*, ac Sacratiſſimae Caelorum Reginae Mariae Virgini Matri Dei dicavit, excuſ. *Licii*. 1634. *apud Petrum Michaelem*. *in* 8. Vivit adhuc.

BELISARIVS AQVAVIVA Aragoneus, Neapolitanus Neritonorum Dux, philoſophiae, ac Sacrae paginae, & rei militaris peritia, ac gloria ejus aetate illuſtris; Andreae Matthaei Aquavivi Adrianorum Ducis frater, cujus veſtigiorum ſectator fuit. Edidit libellum *De inſtituendis liberis Principum*, qui *Neapoli* excuſus eſt *apud Joannem Paſquet de Sallo*. *anno*. 1519. *in fol.* Praefert liber hic Petri Summontii epiſtolam ad eundem Beliſarium, quae ejus libri judicium, & auctoris commendationem continet.

Editus quoque eſt liber hic ſimul cum ejuſdem argumenti libro, nempe cum *Imper. Caeſaris Manuelis Paleologi Auguſti Praeceptis educationis regiae ad Joannem filium*, ex Joannis Sambuci bibliotheca, Joanne Leunclavio interprete, impreſſ. *Baſileae. in officina Petri Pernae*. 1578 *in* 8.

Scripſit etiam *Paraphraſim in Aeconomica Ariſtotelis* duobus libris diſtinctam, quae Petri Gravinae judicium de eo opuſculo in ſua epiſtola habet. excuſ. *Neapoli* cum libello *de inſtit. liberis Princip.* 1519. *apud Joannem Paſquet de Sallo. in fol.*

De venatione librum unum. *De aucupio librum alterum*. ad Andream Matthaeum ejus fratrem. Item *de re militari librum alium*, & *de alio genere pugnandi*, & *in quibus caſibus ſingulare certamen permittatur*, ſive *de ſingulari certamine* alium, qui ſimul editi ſunt *Neapoli*. 1519. *apud Joannem Paſquet de Sallo. in fol.* Habetur in principio eorum librorum Chriſoſtomi Columnii de lepidiſſimis his opuſculis ad lectorem epiſtola, in qua de ipſis judicium facit. At libelli *de liberis educandis*. *De venatione*, & *aucupio*. *de re militari*, & *de ſingulari certamine* recuſi ſunt *Baſileae*. *anno*. 1578. *in fol.*

Expoſitionem Orationis Dominicae Pater noſter *duobus libris* diſtinctam. Item *Homelias*, ſive *interpretaniones quorundam Davidis Pſalmorum*, quae excuſae ſunt *Neapoli*. *anno* 1522. *apud Joannem Antonium de Caneto Papienſem*. *in* 4. Adriano VI. Romano Pontifici dicatae.

Antonius Galateus *in Epiſtola* ad eundem Beliſarium, quae in fine libelli *De ſing. certam.* edita eſt, Beliſarium ob ingenium, ac rei litterariae, & militaris peritiam ſummis laudibus effert; ac quae ad ejus vitam, ac praeclara geſta pertinent, ſummatim recenſet. Idem in ſuo libello *De ſitu terrarum* vocat eum *animam candidam*, & *virum illuſtrem*, *puriſſimis moribus*, & *Chriſtianae religionis cultorem*. *obſervantiſſimum divinarum*, & *ſaecularium litterarum* (ſic enim ipſe liberales artes appellat) *peritiſſimum*. Pariterque in libello *de ſitu elementorum* vocat illum *ſeveri judicii virum*.

Elogium etiam hujus Beliſarii Neriton. Ducis, multaque de eo, ejus vita, ac geſtis ſcribunt Scipio Ammiratus; & Filibertus Campanilis in *famil. Aquaviva*.

Obiit autem Beliſarius Neritoni, ubi in Eccleſia Sancti Antonii Fratrum minorum obſerv. ſepultus eſt, & in ejus ſepulcro haec inſcriptio inciſa eſt.

Belisario Aquavivo Neritonorum Duci domi foriſq. praeſtantiſſimo et Suevae Sanſeverinae conjugi perpetuum monumentum p.

Benedictus Barensis, Apulus, Monaſterii Sanctiſſimae Trinitatis Cavae Monachus, Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis tunc Cluniacenſis, vir eximiae doctrinae. Scripſit librum *De ſeptem ſigillis.* qui in ejuſdem Caenobii Bibliotheca in membrana MStus aſſervatur. Vixit autem anno 1220: Arnoldus Uvion in ſuo libro, quod *lignum vitae* inſcripſit, & Antonius Poſſevinus in 1. *vol. apparat. ſacri*.

Benedictus Canophylus Sangrinus Monachus Caſſinenſis, & legum Doctor, ſcripſit quaedam ad jus Civile, ac Canonicum pertinentia, nempe: *Compendium juris Canonici, & Civilis, & ſummam rerum, & Enchiridion*, ſive repertorium juris Civilis, ac Canonici,

item *De haereſibus, & haereſiarchis, alias rite, & recte damnatis, & reprobatis*, ubi, & quando in Decretis, & Decretalibus ſexto, & Clem. & aliis Conciliis antiquis, ut ſciamus illas eorum opiniones fuiſſe deliramenta, & per conſequens ab omnibus contemnenda, & flocci pendenda, ad Reverendum Fratrem Franciſcum Canophylum Ord. min. regularis obſervantiae ejus concivem, & verbi Dei praeconem, & promulgatorem, excuſ. *Venetiis*. 1542. *in* 4. abſque nomine impreſſoris.

Tractatum *Fori, & poli* ſub repetitione *Cap.* 1. *de Conſtitutionibus, qualiter judicandum, & Conſulendum ſit in foro fori, tam Canonico, quam Civili, & qualiter in foro fori conſcientiae, & poenitentiali*, ad Reverendum P. Praeſidentem, ac caeteros patres, ac fratres ejus Congregationis Caſſinenſis impreſſ. *Venetiis*. 1542. *in* 8. *apud Aloyſium de Tortis*.

Tractatum *de Cenſuris Eccleſiaſticis* ad Dominum Gulielmum Pollicerium Epiſcopum Mompilerii, Francorum Regis Conſiliarium, ac Oratorem apud Senatum Venetum, excuſ. *Venetiis*. 1542. *in* 8. tacito nomine impreſſoris. *De duplici matrimonio ſpirituali, & temporali*, ad Donatum Canophylum I. C. ejus fratrem impreſſ. . . . .

Tractatus III. quorum primum *De rebus Eccleſiae alienandis, vel non*. II. *De privilegiis Eccleſiarum*. III. *De privilegiis Eccleſiaſticarum perſonarum*, ad Marchionem Vaſti, & ejus uxorem excuſ. *Venetiis*. 1543. *apud Venturinum de Ruffinellis*. *in* 8.

Ejuſdem Benedicti Canophyli *Repetitio in C. cum Joannes Eremita & C. ſi cautio extr. de fide inſtrum.* habetur in tomo IV. *Repetition. juris Canon.*, quae ſex voluminibus *Venetiis*. *anno*. 1587. excuſae ſunt *apud Juntas*. *in fol.*

Conradus Geſnerus in ejus *Biblioth.* meminit *Repetitionis* ejuſdem Benedicti Canophyli *ſuper primum Decretalium; & de Criminibus in Deum*, & *proximum*, & *poenis eorum*.

Benedictus de Falco Neapolitanus vir Graece, latinae, ac Hetruſcae linguae eruditus edidit librum, qui inſcribitur *Syllabae poëticae ad rem poëticam neceſſariae commodiori, atque faciliori ordine, quampridem ordinatae a Benedicto Falco Neapolitano* ad Illuſtrem, Doctumque Juvenem Joannem Thomam cognomento de Capua, qui excuſus eſt *Neapoli*. *apud Matthaeum Bionenſem*. 1539. *in* 8.

Elucubravit quoque *Inſtitutiones Grammaticae, & Vocabularium*, in quo multa collegit vocabula barbara, a latinae linguae vero, ac germano uſu remota, atque alia ſtudioſis juvenibus perneceſſaria ad inſtitutiones Grammatices pertinentia, ad Vincentium Tuttavillam Sarni Dominum. Profitetur ſe in nuncupatoria Epiſtola pro Sarnen-

Digitized by Google

menſibus juvenibus opus illud conſcripſiſſe, quibus erudiendis ad triennium operam iis pendebat. Editus eſt autem liber *Sarni. anno*. 1548. *per Franciſcum Fabrum Picenum in aedibus Gulielmi Cerebri. in* 4.

Scripſit etiam librum Italice, qui vocatur *Rimario del Falco*, qui prodiit *Neapoli. anno*. 1535. *ex officina Matthei Cancer Brixiani. in* 4.

Edidit quoque Italice *Deſcriptionem antiquorum locorum Neapolitanae urbis, ejuſque amoeno ſitu*, quam Leonardo Curz Alemano dicavit, excuſam *Neapoli. apud Joannem Franciſcum Suganappum*. in 8. abſque anno impreſſoris.

Conſcripſit etiam Italice *Tractatum de Amore*, ad Dominum Franciſcum Carrafam Pacentri Comitem, excuſum *Neapoli. apud Joannem Sulzbachium Alemanum. anno*. 1538. *in* 4.

Scripſit latine librum *De origine Hebraicarum, Graecarum, ac Latinarum litterarum, deque numeris omnibus*, ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum virum Petrum Antonium de Capua Archiepiſcopum Hydruntinum, qui excuſus eſt *Neapoli. apud Joannem Sulzbachium. anno*. 15. . . *in* 4.

BENEDICTUS MANDINA Melphienſis ſacrae Theologiae profeſſor Ord. Cleric. Regul. qui Theatini vocantur, ſcripſit in *Jeremiam Prophetam Expoſitiones* aliquot tomis diſtinctas, quorum primus in lucem prodiit, ac complectitur ea, quae in primo Capite continentur, excuſ. *Neapoli. anno*. 1620 *apud Octavium Beltranum. in fol.* ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Marinum Caracciolum Abellinenſium Principem, Atripaldenſium Ducem, Bellanorum Marchionem, Torellanorum Comitem, Sanſeverinorum Regulum, Magnum hujus Regni Neapolitani Cancellarium, ac equiturn gravis armaturae praefectum.

Edidit quoque *in Evangelia quadrageſimae Commentariorum* Tomum primum, Excellentiſſimo & Reverendiſſimo Principi Domino D. Franciſco Peretto Abbati Claravallenſi dicatum, excuſum *Neapoli*. 1631. *apud Ottavium Beltranum. in fol.*

Scripſit etiam Italice librum, quem praetitulavit *Sacro Convito, overo Conſiderazioni circa la Santa Cena del Signore. Neapoli*. impreſſum 1638. *apud Secundinum Ronchaliolum*. in 4. Dominae D. Annae Carrafae Oſtiliani Principi, Duci Medinae de Torres, & Sablonetae, Proreginae Neapolis dicatum.

BENEDICTUS DE UVA Capuanus Monachus Caſſinenſis, elegans poëta Etruſcus, multa ſcripſit Italico Carmine, nempe *Rithmorum ſpiritualium librum* 1. qui *Florentiae. ex typographia Bartholomaei Sermartellii. anno* . . . . *in* 8. prodiit.

De cogitatione mortis librum 1. ad Excellentiſſimam D. Hieronymam Columnam Ducem Montisleonis, a Scipione Ammirato dicatum excuſ. *Florentiae. apud eundem Sermartellium*. 1582. *in* 4.

Triumphos IV., unum ſcilicet *de Martyribus*, alium *de Virginibus* alium vero *de Confeſſoribus*, & reliquum *de Beatorum gloria*.

Paſſiones SS. Juſtinae, Agnetis, & Agathae editas *Florentiae. anno*. 1587. *in* 4. *apud* . . . . . .

Aliud poëma quod *Dorotheum* vocavit, & Camillus Pellegrinus Capuanus Domino Aloyſio Carrafae Oſtiliani Principi dicavit, excuſum *ibidem. anno*. 1582. *apud eundem in* 4. idemque Pellegrinus in nuncupatoria epiſtola ad eundem Principem affirmat, Benedictum de Uva in poëſi, *gravi ſimul, & dulci ſtilo uſum fuiſſe, ut ex multis aliis, ac raris ejus lucubrationibus, tum quoque ex paucis his Octavis facile perſpicitur*.

Scripſit quoque *Tragaediam Jephte*, ac ejus morum, & virtutis.

Edidit etiam *octavo rithmo librum*, qui inſcribitur *Virgines prudentes* in quo continentur paſſiones, & martyria Sanctarum Agatae, Luciae, Agnetis, Juſtinae, & Ca-

therinae Virginum, quem Scipio Ammiratus Excellentiſſimae Dominae Felici Verſinae in Regno Siciliae Ultra-farum Proreginae dicavit, ac in lucem edidit *Florentiae*. apud ***Bartholomaeum Sermatellium***. *1582. in 4*.

Porro ejus *Virgines prudentes* cum libro *de Cogitatione mortis*, & *Dorotheo* recuſi ſunt *Florentiae*, ejuſdem Scipionis Ammirati cura *anno*. 1599. *apud Lucium Spinedam. in* 12. Is vero Ammiratus in nuncupatoria epiſtola ad eam Dominam Felicem Vrſinam Benedictum maxime commendat, ejuſque *magnam artem in poëſi, ac linguae puritate, & de tanto judicio, quod de eo libro Florentiae fit; affirmatque neminem hucuſque nedum puriori lingua, nec pluribus methaphorae, & translationum luminibus, nec majori numeri dulcedine, & ſententiarum majeſtate in ſimilibus rebus pertractaſſe, ſed ne pari quidem*.

BERNARDINVS AMICVS e Gallipoli civitate in Hydruntina provincia Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia, edidit italice *Tractatum de Plantis, & imaginibus ſacrorum aedificiorum Terrae Sanctae in Hieruſalem, deſignatis ac delineatis ſecundum regulae proſpectivae, & veram menſuram eorum magnitudinis, umbratis autem, ac inciſis ab Antonio Tempeſti Florentino*, excuſum *Romae*. 1609. *in Regali pagina*. *in typographia linguarum externarum*. *in fol.* Philippo III. Hiſpaniarum Regi dicatum.

BERNARDINVS AQVILANVS BEATVS ex Oppido Foſſae in Aprutinis, quod quarto diſtat lapide ab Aquilana Urbe, Ordinis Minorum Obſervantium, & vitae ſanctitate, & miraculorum gratia illuſtris, doctiſſimus Theologus ac Canoniſta inſignis emicuit. Apoſtolicus Concionator fuit; ac perplures annos Vicarius provinciam rexit; & in Romana Curia totius Religionis procurator fuit; atque plures ejus Religionis habuit munera; multa ſcripſit, tum latine, tum italice, quorum major pars periit.

Scripſit namque latine multos *Sermonum* libros, nempe *Quod liberum quadrageſimale*. *Funerale*. *Centurionem*. *ac Peregrinum*, quem in Salvatoris noſtri memoriam (qui ei ſub peregrini ſpeciem apparuerat) conſcripſit. Habentur quoque imperfecti alii quidam ejus libri, nempe *Sermonum* libri, item *Admonitiones*. *Beati Bernardini Senenſis, ac B. Philippi Aquilani vitae* Latine ſcriptae; at B. Bernardini Senenſis vitam *Spicas* inſcripſit.

Scripſit quoque latine brevem, ac compendioſum *libellum de Coenobiis, quae in Aprutinis in Sancti Bernardini provincia reperiuntur. ex Franciſcana familia, cum Vitis PP. aliquot, qui in eorundem Coenobiorum Eccleſiis ſepulti ſunt, uſque ad annum* 1464. licet nec etiam integer, ac perfectus videatur.

Prodierunt tamen ex his omnibus *Funerale* dumtaxat, ac *libellus is de Coenobiis in Sancti Bernardini provincia poſitis, cum Vitis PP. quorundam*. *Venetiis*. *ex officina Dominici Nicolai*. *anno*, 1572. Joannis Amicii Aquilani e Foſſa Cl. Doctoris ejus conſanguinei cura, in 16. addita Vita ejuſdem Beati Bernardini, ab eodem Amicio conſcripta, quae ei libello praefixa eſt.

Prodiit etiam ipſius Tractatum *De nubere volentibus*, in tractatibus juris nuperrime editis *Venetiis*. 1584.

Obiit autem B. Bernardinus anno 1503. aetatis ſuae annorum agens 83. & in Divi Juliani Caenobio ejus Ordinis prope Aquilam ſepultus eſt; dein translatum eſt ejus corpus in Coenobium Sancti Angeli inter Foſſam, & Ocram, in quo honorifice veneratur, ac miraculis inclareſcit, In cujus laudem hunc conſcripſit tumulum idem Joannes Amicius, qui ejus vitam, & geſta ſummatim continet.

Ad Bernardinum greſſus teneatis orantes,
Qui poterit nobis conciliare Deum.

Nam,

Digitized by Google

Nam, quem deſtituit Medicorum concio ſanat,
Et Cruce dat muto plurima rite loqui.
Obviat inque via Chriſtus peregrinus eidem,
Ad Caeloſque choris evolat Angelicis.
Vidit enim noſter Vincentius ipſe Beatus
Ad Coelos animam convolitare ſuam.
Hanc igitur propera, Caeli qui regna peroptas
Scandere, & aeternum pace manente frui.

De hoc etiam B. Bernardino multa Fr. Petrus Rodulphius Foſſinianus *lib.* 1. *hiſtor. Seraph. Relig. fol.* 91. *a t.*

BERNARDINVS BOMBINVS Conſentinus, legum Doctor, ſcripſit volumen *Conſiliorum legalium num.* XI. quae Ferrariae in Scholis, & Romae confecit, impreſſum *Romae. apud Antonium Bladum Aſulanum. anno.* 1550, *in* 4. dicavit autem illud Marchioni Petro Conſali Mendocio, viro Clariſſimo. In fine vero Conſiliorum ſunt edita *Quaeſita* VIII, *& Concluſiones* quaedam Ferrariae per ipſum diſputatae die 22. Decembris 1546. aetatis ſuae anno 23. quae quidem juvenilia ſunt. Dein cum ſenex eſſet, & gravior eum librum adeo locupletavit, & auxit, ut de novo fere confectus eſſe videretur; adjecitque alia XLIX. *Conſilia*, aliaſque VI. *Quaeſtiones. De Doctoris dignitate* tractatulum. Quae omnia *is* Conſentiae confecit anno 1573. excuſus eſt autem liber hic *Venetiis. anno.* 1574. *apud Franciſc. de Franciſco Senenſem. in fol.*

In Epiſtola ad Lectorem cito editurum pollicetur volumen VI. *Repetitionum ſuper tit. ff. de verb. obligat.* diu in ejus ſcriptis promiſſum, ac etiam tractatum *de Praeheminentia Epiſcoporum Bruttiorum*, eorumque *Hiſtoriam*; in qua duodecim annos adlaboraſſe, ait, tum ad eam bene, ac undique, colligendam; tum vero ad recte ſcribendam, & Romano eloquio exornandam. Poëmata quoque dulciloqua, quae Etruſca lingua, cum ex ephebis exceſſerit, ſe conſcripſiſſe, ait, ſibique non ingrata fuiſſe; in quibus expoſitam Platonis, & Ariſtotelis mentem, ac deſcriptos *de muſarum inventis ſermones* quamvis jucunda lectoribus videri poſſint aetate tamen jam ingraveſcente, nolle ſe in lucem edere, teſtatur.

At tractatus *de Praeheminentia Epiſcoporum* dein editus eſt *Venetiis.* 1583. *apud Franciſc. de Franciſco Senenſem. in* 8. Reverendiſſimis, & Illuſtriſſimus Epiſcopis directus. Item *Repetiones* VI. *in* aliquot *leges* ff. *de verbor. obligat.* excuſae ſunt *Venetiis.* 1583. *apud Franciſc. de Franciſco Senenſem. in* 8. Eas autem leges repetiit, atque abſolvit Ferrariae anno 1546. & Leguleis in Cathedris legentibus Juriſque peritis dicavit.

Edidit praeterea Italice librum, quem inſcripſit, *Diſcorſi intorno il governo della guerra, e governo domeſtico*. in quo haec praecipue argumenta pertractantur: *Theorica dell' Agricoltura. Regimento Regio. Il Tiranno, & la eccellenza dello umano genere*, qui excuſus eſt *Neapoli.* 1566. *apud Raymundum Amatum, & Joannem de Boy ſocios. in* 8. Illuſtriſſimo Domino Nicolao Antonio Caracciolo Marchioni Vici dicatus.

Eum librum dein auxit, atque hunc in modum praetitulavit. *Diſcorſi intorno il governo della guerra, e del governo domeſtico.* in quo habentur *Teorica dell' Agricoltura. Regimento Regio. Il Tiranno. Epitome delle virtù del uomo ſavio, e perturbazioni del ſuo animo. e dell' eccellenza dell' umano genere. con alcun' altri diſcorſi intorno al governo della guerra, da Zenofonte da lui raccolti.* Qui quidem liber impreſſus eſt *Venetiis.* 1583. *apud Franciſcum de Franciſcis Senenſem. in* 8. Cum Auctoris effigie.

BERNARDINVS CALELLVS Specienſis, Salentinus philoſophus, cum Patavii conſiſteret, ſcripſit librum *de Mundi Creatione juxta Ariſtotelis ſententiam.* ad Illuſtriſſimum ac Excellentiſſimum Dominum D. Franciſcum Gonzagam Milfetti Princi-

pem

pem impreſſ. *Patavii*. *anno*. 1585. *apud Laurentium Paſquatum*. *in* 4. quo tempore is vivebat.

Scripſit etiam dilucidam *Expoſitionem intentionis Ariſtotelis in ſecundo Poſteriorum libro* contra omnes interpretes, tum veteres, tum recentiores, excuſ. *Patavii*. 1584. *in* 8. ut ex Indice Francofurti *fol.* 447.

BERNARDINVS CYRILLVS Aquilanus, variae eruditionis vir, in Romana Curia pluribus honoribus, ac dignitatibus functus, Prothonotarius enim & Secretarius Apoſtolicus fuit; Lauretani Templi Archipresbyter, atque Sanctae Mariae Majoris Canonicus. Pauli IV. ac Pii V. familiaris, ac Magiſter domus; & demum celeberrimi Hoſpitalis Sancti Spiritus Romae Commendatarius. Scripſit Italice libellum *De ſancta aede Lauretana*, qui excuſus eſt . . . . .

Annales etiam *Civitatis Aquilae*, *cum hiſtoriis ejus temporis*, italice conſcripſit, qui editi ſunt *Romae*. *anno*. 1570. *apud Julium Accoltum*. *in* 4. & Aquilanis Civibus dicati.

Obiit autem Romae, & in templo S. Spiritus marmoreo ſepulcro hac inſcriptione ſepultus eſt.

BERNARDINO CYRILLO AQVILANO PROTHONOTARIO SECRETARIOQVE APOSTOLICO ALMAE DOMVS LAVRETANAE QVONDAM RECTORI BASILICAE SANCTAE MARIAE MAIORIS CANONICO SAEPE VICARIO PALATINAE FAMILIAE PAVLI IV. ET PII V. PONTIFICVM MAXIMORVM SANCTI SPIRITVS IN SAXIA MAGNO PRAECEPTORI BENEFICENTISSIMO SVAVISSIMO INNOCENTISSIMO

IOANNES PAVLVS ET IOANNES ANTONIVS QVATRAO B. M. P. VIXIT ANNIS LXXV. OBIIT XIII. KAL. IVLII. ANNO SALVTIS MDC.

BERNARDINVS GINNARVS Neapolitanus, Societatis Jeſu Theologus, qui per aliquot annos publice docuit Theologiam Moralem, ſcripſit Italice librum quem inſcripſit *Saverio Orientale, overo Iſtorie di Criſtiani illuſtri dell' Oriente, li quali nelle parti Orientali ſono ſtati chiari per virtù, e pietà Criſtiana dall' anno 1542. quando S. Franceſco Saverio Apoſtolo dell' Indie, e con eſſo i Religioſi della Compagnia di Gesù penetrarono a quelle parti, ſino all' anno 1600. raccolte dalle lettere ſcritte in Europa da' medeſimi Religioſi, i quali ſi ſono ivi affaticati nella converſione de' Gentili, e da altri Autori. Tomo* 1., qui excuſus eſt *Neapoli*. *apud Franciſcum Savium*. 1641. Eminentiſſimo Antonio Cardinali Barberino dicatus *in* 4.

Edidit quoque italice *Relationem Veſuviani incendii*, qui contingit anno 1631. ſuppreſſo nomine, *Neap. apud Lazarum Scorigium*. 1632. & iterum apud eumdem cum additionibus.

Tabulam quoque *perpetuam* in expanſa charta, *ad horam ortus, occaſuſque Solis*, Meridiei quoque articulum, & diei longitudinem quotidie toto anno agnoſcendam, tam juxta Italicum, quam juxta Aſtronomicum horologium. *Neapoli*. 1626.

BERNARDINVS MANDELIVS Tabernas, Calaber, edidit latine *De futuro & proximo judicio codicillum*, ad Illuſtres Laviniam, & Camillam Correales, qui excuſus eſt *Neapoli*. *anno*. 1560. *apud Matthiam Cancer*. *in* 8. quo tempore Auctor hic floruit.

BERNARDINVS PANDVS Gravinenſis, legum doctor, edidit *Commentaria in Ritum Magnae Curiae Vicariae Neapolit. de praeſentatione, & executione inſtrumentorum*, quae quinque partibus abſolvit, excuſa *Neapoli*. 1556. *in* 4. abſque nomine impreſſoris, ad Illuſtrem Dominum D. Bernardum a Bolea Juriſconſultum, & in Supre-

premo Philippi Hiſpaniarum Regis Conſilio Cancellariam Regentem. Deinde recuſa ſunt cum Marini Frecciae, aliorumque auctorum ſcriptis *de liquidationibus inſtrumentor. Venetiis. anno. 1590. apud Nicolaum de Bottis, & Jacobum Anellum de Maria. in 4.*

BERNARDINVS PICA; Aquilanus Ordinis Min. Obſerv. quem in vetuſto quodam M. S. Codice ſcriptum reperi fuiſſe *bonum, & ſtrenuum, & ſanctitatis ſpeculum, formamque virtutum, cujus vita Deo ſit honor, & gloria*. Scripſit librum *De Calendario, ejuſque correctione ac celebratione Paſchatis*, qui editus non eſt; ſed in pergameno ſcriptus ſervatur Aquilae in Conventu Sancti Bernardini. Floruit autem annum circiter 1470.

BERNARDINVS ROTA Neapolitanus poëta, tum latino, tum Italico carmine ſcribendi peritus, ac eques Sancti Jacobi de Spada, Trentenariae, ac Pratae regulus. Scripſit carmine latino haec nempe: *Elegiarum. libri* III. *Epigrammatum. lib.* I. *Sylvarum, ſeu Metamorphoſeon lib.* I. *Nenias, quae nuncupantur, Portia.* impreſs. *Neapoli. apud Joſephum Cachium.* 1571. *in* 4. Praefert liber hic praefationem Dionyſii Athanaſii, in qua is mirum in modum Bernardinum Rotam, ejuſque opera celebrat, atque commendat, idemque Dionyſius Periphano Riberae Neapolitano Proregi illa nuncupat.

Edidit quoque Rota *Eclogas piſcatorias* XIV., Italico metro, quas Scipio Ammiratus in lucem edidit *Neapoli. anno.* 1560. *apud Joannem Mariam Scotum. in* 8. & Domino Joanni Franciſco Mormili dicavit; quae dein recuſae ſunt tertio *Neapoli.* 1572. *apud Joſephum Cacchium. in* 4. In Epiſtola nuncupatoria Ammiratus ait opus illud eſſe juvenile, & ante annos XXVII. Bernardinum, brevi etiam temporis ſpatio, conſcripſiſſe; primumque fuiſſe Rotam, qui Piſcatorias eclogas Italice ſcripſerit, Sannazarii imitatione, a quo primum latinae ſunt elucubratae. Conferre autem cum Sannazario eas Eclogas (ait Ammiratus) valde delectat; varie enim, & diverſimode uterque eandem materiam, & lingua, & re, & conceptibus tractarunt. Et recolit Sannazarium in Mergollina ſcripſiſſe; Rotam vero in Aegla; ubi pulcherrimi ejus hortus ſunt, quamobrem *Aeglaetrimphae* nomine nuncupat. Et ſicut loca ipſa vario nitore, & amoenitate coruſcant, & ſimul pulcritudine, & amoenitate contendunt; ita eorum Domini, unuſquiſque ſua lingua, de principatu, & praecedentia contendere videntur.

Eum autem *Aeglae* locum in extrema civitatis ora poſitum, ea ex parte, quae ad mare vergit, ubi pomerium Bernardinus habebat, Muſis idem dicavit, hac appoſita ad otium inſcriptione marmori inciſam:

BERNARDINVS ROTA MVSIS HORTOS DEDICAVIT RATVS EAS HILARI HVIVSCE CAELI POSITIONE ALLICERE ATQVE ITA FORTASSE AMICAS FORE. M. D. L. V.

Rithmorum etiam *librum* Rota conſcripſit a Scipione Ammirato in lucem emiſſum, qui illum Veſpaſiano Gonzaghae dicavit. Prodiit autem *Neapoli.* 1560. *ex officina Joannis Mariae Scoti. in* . . . dein a Dionyſio Athanaſio recuſus *apud* . . . . . & ab eodem Dionyſio Joanni Hieronymo Aquavivo Atrianenſium Duci dicatus prodiit. Tertio vero *Neapoli* editus eſt *anno.* 1572. *apud Joſephum Cacchium. in* 4. ab eodem Rota in lucem emiſſus, mutatis quibuſdam, & in minorem formam redactus.

Obiit autem Bernardinus Neapoli, & in aede divi Dominici Predicat. in proprio Sacello ſepultus eſt in nobiliſſimo, ac ſublimi marmoreo ſepulcro; in quo praeter praeclaram ejus ſtatuam, duorum quoque ſenum flentium ſimulacra habentur (qui *Tibrim*, atque *Arnum* ſignificant); quorum Singuli

Digitized by Google

Singuli lauream coronam in manibus habent; duarum etiam mulierum ſtatuae conſpiciuntur, quarum Aaltera rtem, altera naturam portendunt, cum hac inſcriptione:

ROTAM FLET ARNVS ATQ. TIBRIS EXTINCTVM CVM GRATIIS QVAERVNTVR AONIS DIVAE ARS IPSA LVGET LVGET IPSA NATVRA FLOREM PERIISSE CANDIDVM POETARVM.

BERNARDINO ROTAE PATRI OPTIMO ANTONIVS IO BAPTISTA ET ALPHONSVS FILII POSS. MORITVR MDLXXV. AN. AGENS. LXVI.

BERNARDINVS ROBERTI a Crypta Minervae, Oppido provinciae Ulterioris Principatus, quod *Crypta minarda* vulgo appellatur, Concionator e Capucinorum familia, & in Neapolitana provincia pluries Deffinitoriatus, & Provincialatus officio perfunctus eſt. Edidit *Itinerarium animae ad palmam virgineam*; palma virginea 72. ramusculorum juxta numerum annorum Virginis diviſa in quinque palmis, litteris quinque nominis ejuſdem teſſeratis; quarum quaelibet veſtita foliis virens, frondeſcit ſacrae ſcripturae auctoritate, & SS. PP. ſententiis coronata floribus vernans floreſcit, ſubtilitate doctrinae, conceptuum multitudine copioſa, & onuſta dactylis ſpiritus pinguedine, & dulcedinis ſapore fructificat in anima incumbentis Verbo Dei, & dulci meditationi, ac contemplationi pie, ſanctequе *vacantis*; quod excuſum eſt *Neapoli. anno.* 1647. *apud Octavium Beltranum. in fol.* Sanctiſſimae Virgini Mariae, ejus Dominae, ac Reginae dicatum.

BLASIVS DE MORCONO *Judex*, Antiquus, & inſignis juris conſultus, floruit temporibus Roberti Neapolitanorum Regis. Scripſit gloſſas, ſive *Commentarios ad leges Longobardorum* praegrandi volumine, qui adhuc in MStis extant apud Doctorem Joannem Baptiſtam de Bella, & alios.

Gloſſa ordinaria in pragm. Regni: dubitationem. tit. de term. cit. auct. in cauſa reali; mirum in modum commendat Blaſium de Morcono.

Marinus Freccia *in lib.* 11. *de ſub feu. authoritate* 46. *n.* 8. ait, ſe Blaſii de Morcono librum in legibus Longobardis habere Manuſcriptum, & *lib.* 1. *de ſubfeud. in tit. de orig. feud n.* 56. vocat *Blaſium de Morcono* [illegible]*orem regnicolum*, citatque illum ſaepius in iis libris *de ſubfeudis*.

Franciſcus Vivius *in deciſ. Neapol.* 163. *num.* 1. citat Blaſium de Morcono (quem ipſe ex errore, vel impreſſoris incuria Blaſium de Marco vocat) *virum admodum magnae authoritatis in Regno gloſſatorem juris Longobardorum in tractatu de differentiis inter jus Longorbardum, & Romanum.*

Scripſit quoque Blaſius *Annotationes, ſive gloſſas ad Conſtitutiones Regni Neap.*, quae jam habentur cum ipſorum Conſtitutionum volumine. *Singularia, & cautelas* ipſius citant author *Judicis librorum legalium* & Corradus Geſnerus in ejus *Bibliotheca*.

Fuit autem Blaſius Lucae de Penna coëtaneus; in gloſſa enim ejuſdem Blaſii ad *Conſtit. Regni, majeſtati noſtrae. ſub tit. de adult. coërcendis. num.* 17. ait, *& Lucas de Penna a me interrogatus, ſic de verbo ad verbum reſpondit*. Fuit Blaſius ex familia *Pacona*, ut ex Archivio regiae Siclae perſpeximus, etenim in *regiſtro Caroli Calabriae Ducis*, Roberti Regis filii, ac Vicarii 1322. & 1323. *lettera E. fol.* . . . ac. *Judex Blaſius Paconus de Morcono juris peritus fidelis regius obtinet ab eodem Duce facultatem patrocinandi in Cauſis, & conſtituitur Advocatus in forma in provinciis Terrae laboris, & comitatus Moliſii, Aprutii citra, & Capitanatae, ut ex Ducalibus litteris Neapoli datis die* 9. *Feb.* 1327. *Ind.* 6.

Idem quoque Robertus Rex anno 1338. die 7. Auguſti Blaſium de Morcono Clericum, Juriſperitum, Praepoſitum Eccleſiae Sanctae Mariae de Atino ob ejus probitatem, induſtriam, ac virtutes creavit ejus Conſiliarium, Cappellanum, ac familiarem,

liarem, ut ex *Regiſtro* ejuſdem Regis *anno* 1337. *lit. A. fol.* 107. *at.* ut ex his litteris pa.et.

Robertus &c. *Tenore praeſentium notum facimus univerſis, quod ſuaſi probitate, ac induſtria, virtute, aliiſque laudabilibus meritis Blaſii de Murcono Clerici, Juriſperiti, Praepoſiti Eccleſiae Sanctae Mariae de Atino, quibus fide digno teſtimonio multipliciter commendatur; nec minus promptitudine, quam habet noſtrae celſitudini devotius obſequendi, conſequenter inducti, ipſum in Conſiliarium, Cappellanum & Familiarem noſtrum duximus de certa noſtra ſcientia, & ſpeciali gratia harum ſerie remittendum; recepto prius ab eo ſolito in talibus juramento, volentes, & decernentes expreſſe, ut illis honoribus, atque favoribus, privilegiis, immunitatibus,* & *gratiis potiatur, & gaudeat, quibus caeteri Conſiliarii, Cappellani, & familiares noſtri alii potiuntur, & gaudent, ac potiri,* & *gaudere ſoliti ſunt,* & *debent. In cujus rei teſtimonium praeſentes litteras fieri,* & *pendenti Majeſtatis noſtrae ſigillo juſſimus communiri. Datum in Caſaſana prope Caſtrummaris de Stabia per Joannem Grillum* de *Salerno* & c. *anno Domini MCCCXXXVIII. die 7. Auguſti 6. Ind. regnorum noſtrorum anno XXX.*

Ex Blaſii Commentariis in jus Longobardorum, ejus patria, & origo, fortuna, & tempora, quibus vixit colliguntur. In titulo enim *de beneſ. tribut. ante finem*. ait, e Morcono originem trahere, eumque in Certetum a perverſa fortuna deductum eſſe. Et ex his quae dixit *in tit. de aedif. dirut. refic.*, apparet fuiſſe tempore Regis Roberti; ait enim. *Et propterea fuit obtemptum a Regia majeſtate, ut aedificia facta ſuper muro Morconi dirui non deberent, cum ipſa terra eſſet ad demanium Domini Regis Roberti;* & *quod terrae Reverendi Domini Patris Benedicti* de *Milo* de *Morcono, utriuſque juris profeſſoris, & Epiſcopi Caſertani Domini mei, qui me de nihilo fecit aliquid, non dirimerentur de muro terrae, in quo conſtructae ſunt.*

BLASIVS PICVS Fonticulanus Aquilanus, Philoſophus, ac Medicus humanis quoque litteris apprime eruditus fuit. Scripſit *Grammaticam ſpeculativam* mira arte contextam, ſive *De quatuor partibus orationis declinabilibus* ad Alphonſum Piccolhomineum de Aragonia Amalphi Ducem, & Celani Comitem, quae *Aquilae* primum excuſa eſt *anno.* 1495. *in* 4. abſque nomine impreſſoris, dein pluries recuſa variis in locis.

De eo Salvator Maſſorinus *de rebus Aquilanis*, & Hieronymus Picus Fonticulanus in *Deſcriptione ſeptem Illuſtr. Ital. Civit.* meminerunt; qui ſuperaddit ſcripſiſſe quoque eum ſuper *Aſtrologia*, & *Philoſophia*. Floruit autem annum circiter 1480.

BONAVENTVRA MORONVS e Tarento Ord. min. ſtrictioris obſervantiae, ſacrae Theologiae Doctor, ac Concionator inſignis, Graecis, ac latinis litteris excultus eſt. Cum adhuc in ſaeculo eſſet, ac *D. Cataldus Moronus* vocaretur, juſſu Domini Laelii Brancatii Tarentini Archiepiſcopi *Cathecheſim* conſcripſit *ad Graecos*, qui circa Tarentum morantur, inſtruendos, quaeque ab Illuſtriſſimo Domino Julio Antonio Sanctorio Cardinali Sanctae Severinae Graecorum apud Apoſtolicam Sedem protectore reviſa, ac probata, excuſa ſunt *anno*. 1586.

In Clauſtris vero degens, Lector fuit Graecae linguae in Aracaeli Caenobio ejus Ordinis, ac concionibus, & ſacrae poëſi operam navans, edidit Italico Sermone nonnulla *Spiritualia*, *ac pia Poëmata*, ad pietatem, ac devotionem ſpectantia, nempe: Tragoediam ſpiritualem ſoluto Carmine, quam inſcripſit *Il Mortoro di Criſto*, Beatae Virgini Matri Dei dicatam, quae pluribus in locis excuſa eſt, nempe *Bergami. Mediolani. Brixiae. Parmae. Neap.. ac Venetiis.*

Tragoediam aliam nomine *Juſtinam*, nempe de Sancta Juſtina Virgine, ac Mar-

Digitized by Google

tyre, Italico Carmine, edidit, quae *Mediolani* prodiit.

Tragoediam *San. Irenae Virg. & Mart.* & Patronae Liciensis urbis, ad eandem Licii civitatem, quae prodiit *Neapoli. ex Officina Lazari Seorigii.* 1618.

Rithmorum ſacrorum primam partem edidit Reverendiſſimo Patri Fratri Benigno e Janua ejus Ordinis Generali Miniſtro dicatam, quae excuſa eſt *Neapoli. 1619. apud Lazarum Scorigium. in* 12.

Item Heroico, ac Latino Carmine conſcripſit *Vitam, geſta, ac miracula Sancti Cataldi* Tarentinae urbis Epiſcopi, ac tutelaris VI. *libris* contentam, quam *Cataldiados* inſcripſit ad Cives ſuos Tarentinos. impreſſ. *Romae. apud Jacobum Maſcardum. in* 4.

Multa etiam conſcripſit, quae adhuc non ſunt in lucem edita, quae auctor abſolvit, & morte praeventus non emiſit, nempe: *Rithmorum ſacrorum*, Secundam partem. *Silvam conceptuum ſpiritualium ad loca Communia redactum. Concionum quadrageſimalium, & Dominicalium* librum.

BONAVENTURA PASSER Nolanus Ord. min. Conv. ſacrae Theologiae Magiſter, concionator inſignis, in celebrioribus ejus Ordinis Conventibus, ſtudii Regens; nempe Bononiae, Mediolani, Patavii in ſtudio quoque Sancti Laurentii Neapolis; ejus Ordinis Regens, & ſacri Neapolitani Theologorum Collegii Decanus, ac Vice cancellarius. Dein in Caenobio Romano Sancti Bonaventurae ſtudii Regens, Theologiam tum ſcholaſticam, tum poſitivam, ac dogmaticam per annos ultra quadraginta eſt interpretatus in magnis praecipuis ejus Ordinis Coenobiorum Scholis. Inquiſitor quoque fuit generalis in Civitate Senarum.

Edidit librum Italice *Concionum* VII. ab eo habitarum extraordinarie, & extra quadrageſimalia tempora variis in locis, & occaſionibus, excuſum *Neapoli. anno. 1605. apud Tarquinium Longum. in 4.*

Edidit quoque *Pinacothecae ſelectae* praecipuarum concluſionum, ac quaeſtionum diverſas materias continentis in Collegio Seraphico almae urbis, ex doctrina Scoti diſcuſſarum, ſub auſpiciis ipſius Magiſtri Bonaventurae Paſſeris Nolani Minorum Conventualium ejuſdem Collegii Regentis, ac Rectoris ab eodemque Bonaventura publico Baccalaureorum aemolumento & commodo editarum, Tomum primum, ad Illuſtriſſimum Dominum Alexandrum Perettum Cardinalem Montaltum S. R. E. Vice cancellarium, impreſſ. *Romae. 1621. apud Jacobum Maſcardum. in* 4.

Obiit autem Neapoli anno 1630. in Coenobio Sancti Laurentii ejus Ordinis agens annum ſeptuageſimum.

C. HELVIUS VESTINUS citatur a Plinio *lib.* II. qui multa ex eo tranſtulit, ac etiam ab eodem citatur in *Elencho libri* XXI. inter auctores.

CLAUDIUS NEAPOLITANUS *Librum* conſcripſit *contra eos, qui carnibus abſtinent*; quem citat Porphyrius Tyrius Philoſophus celeberrimus *lib.* I. de *abſtin. ab eſu animal.* ut Corradus Geſnerus in ſua *Bibliotheca*; qui quidem Porphirius floruit temporibus Aureliani Imperatoris ad Diocletianum uſque. An autem Claudius hic fuerit ex noſtra hac Neapoli, vel alia, nos latet.

C. LUCILIUS *Sueſſanus Auruncanus*, ex Aurunca nobili Civitate in Aprutiis, nunc diruta, divitiis, & natalibus praeſtitit. Fuit enim vir valde nobilis, utpote magnus avunculus magni Pompei. Latinam linguam apprime calluit, doctus, ac perurbanus Satyrographorum poëtarum princeps, ſatyrarum uempe apud Latinos auctor, & inventor. Acer, & violentus poë-

Digitized by Google

poëta, Scipionis, & Laelii ſamiliaris amicus, floruit ſecundi belli punici temporibus; natus eſt enim Olimpiade CLVIII. & Olimpiade CLXIX. moritur Neapoli, ac publico funere efferitur, anno aetatis ſuae quadragesimo ſexto. Habuit Romae domum, quam Antiochi Regis filio obſidi Romani publice aedificarunt.

Scripſit Lucilius *Satyrarum* libros XXX. *Epodos*, *Hymnos*. At ejus opera non extant, niſi *Fragmenta* quaedam a Roberto Stephano collecta, & ab Henrico Stephano ejus filio, cum aliorum veterum latinorum poëtarum fragmentis, quorum opera non extant, excuſ. *Baſileae. in ejus typographia. anno.* 1564. *in* 8. Nuper vero Franciſcus Douſa Batavus omnes *Satyrarum Lucilii*, quae ſuperſunt *reliquias* ex variis antiquis ſcriptoribus collegit, diſpoſuit, & notas in eas addidit, quae prodierunt *Lugduni Batavorum. ex offic. Plantiniana Franciſci Raphelengii. anno.* 1597. *in* 4. & in principio ejus libri veterum omnium Scriptorum teſtimonia, & auctoritates de Lucilio accuratiſſime recenſet; de quibus pauca quaedam, quae ad ejus viri, atque operum judicium pertinent, referemus.

Cic. *lib.*I. & II. *de Orat.* vocat C. Lucilium *virum doctum, ac perurbanum*. & in *lib.* II. *Academ. quaeſtion.* citat Clitomachum in eo libro, quem ad C. Lucilium ſcripſit poëtam. A C. Trebonio in *Epiſt. ad Cicer. famil. lib.* XII. C. Lucilium *nimiam libertatem in loquendo* aſſumpſiſſe commemoratur: *Auctor Rhet. ad Haerenn. lib.* II. C. *Caelius Judex abſolvit injuriarum eum, qui Lucilium poëtam in ſcaena nominatim laeſerat. P. Mutius eum, qui L. Accium poëtam nominaverat, condemnavit.* Velleus Paterculus *lib.* II. *Hiſtor.* ait: *Celebre & Lucilii nomen fuit, qui ſub P. Africano Numantino bello eques militaverat.*

Horatius pluribus in locis Lucilii meminit, & praeſertim *lib.* I. *Sermon. ſatyr.* 4. & 10. & valde de eo ſentit; cum enim carpit, & taxat, quod ſatyricorum Graecorum poëtarum exempla ſecutus, in ejus Comoediis aliorum crimina, ac vitia multa cum libertate notaret, & quod verſus exemplo ſcriberet, & natura magis factos quam arte, multosque amaret facere, etſi non recte, nec bene; hoc uno contentus, ſi ducentos verſus ante cibum, & totidem coenatus caneret; ejuſque verſus mutare pedibus, ac numeris, & incompoſito ſaepe currere, & molliter euntes, ac lutulenter fluere; & quod latinis verbis Graeca miſcuerit. Licet idem Horatius *Comem*, & *Urbanum* Lucilium vocet *lib.* I. *Serm. ſat.* 9. & *Sapientem* eum appellet, & ex cenſu, ſeu divitiis, & ingenio eum commendat *lib.* II. *ſat.* I.

Quintilianus vero *lib.* X. *Inſtit. orator. cap.* I. ab Horatii conviciis Lucilium tuetur, atque ſic ait: *Satyra quidem tota noſtra eſt, in qua primus inſignem laudem adeptus eſt Lucilius. Qui quoſdam ita deditos ſibi adhuc habet amatores, ut eum non ejuſdem modo operis auctoribus, ſed omnibus poëtis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio diſſentio, qui Lucilium fluere lutulentum, & eſſe aliquid, quod non tollere poſſis putant; nam & eruditio in eo mira, & libertas, atque inde acerbitas, & abunde ſalis.* Idem Quintilianus *ibidem lib.* I. *cap.* 6. appellat eum *eruditiſſimum hominem*: Idem *in Dialogo de orat.* ait: *Neminem nominabo, genus hominum ſignaſſe contentus; ſed vobis utique verſantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, & Lucretium pro Virgilio legunt.*

Juvenalis *lib.* I. *ſatir.* I.

Cur tamen hoc potius libeat decurrere, campo
Per quem magnus eques Auruncae flexit alumnus:
Si vacat, & placidi rationem admittis edam.

& paucis interjectis, ait:

Enſe velut ſtricto quoties Lucilius ardens
Infremuit; rubet Auditor, cui frigida mens eſt.
Criminibus tacita ſudant praecordia culpa.
Inde irae, & lacrimae.

Cenſorinus in *lib. de die Natali*, citat Lucilium *lib.* IX. *ſatyr.* . . . .

Aſconius Paedianus *in Commentar. Orat. Cic. contra L.Piſonem*, ait; *Tradunt & Antiochi Regis filio obſidi domum publice aedificatam, inter quos Attius in annalibus, quae poſtea dicitur Lucilii poëtae fuiſſe.*

Plinius *lib.* I. *Hiſtor. natur.* ait, *Lucilius qui primus condidit ſtyli naſum.* Martialis *Epigr. lib.* XII. *in Tuccam.*

Audemus Satyras, Lucilius eſſe laboras.

Suetonius *in lib. de Illuſ. Grammaticis* meminit Satyrarum Lucilii, *eumque familiarem fuiſſe Laelii.*

Aulus Gellius pluribus in locis ejus libri *Noctium Atticarum*, Lucilii, & ejus Satyrarum meminit, nempe *lib.* VII. *cap.* 14. *& lib.* II. *cap.* 7. *& lib.* XVII. *cap.* 23. verum *lib.* XVIII. *cap.* 5. ab eo appellatur Lucilius *vir apprime latinae linguae ſciens.*

Macrobius *lib.* II. *Saturnal. cap.* 16. ait: *Lucilius acer, ac violentus poëta.* S.Hieronymus in *Chron. Euſeb.*, de Lucilio ſic ait: *Olimpiade* 158. *C. Lucilius Satyrarum ſcriptor naſcitur, & Olymp.* 169. *Neapoli moritur; ac publico funere effertur; anno aetatis ſuae quagradeſimo ſexto.* Idem Hieronymus *in lib. de vit. ſuſpecto contuber. Et ille nimium*, ait, *formidoloſus es. ubi illa quondam conſtantia, in qua multo ſale orbem defricans Lucilianum quippiam retuliſti.* Idem ad *Pammach. & Oceanum* denique ait: *Mordetur & Lucilius, quod incompoſito currat pede; & tamen ſales ejus, lepoſque laudantur.*

Commentator Vetus Horatii ad illum locum *lib.* I. *Satyr.* 3. *veluti Balbinum polypus Agnae.* ait; *Luciliana Urbanitate uſus in tranſito amaritudinem aſperſit.* Idem Comment. *lib.* I. *Satyr.* I. *Satyra Horatii inter Lucilii Satyram, & Juvenalis media eſt; nam & aſperitatem habet, qualem Lucilius, & ſuavitatem qualem Juvenalis. At ſciendum tamen eſt, quod Satyrarum carmen primo omnium auctore Lucilio ſit repertum, etiam ipſomet Horatio teſte.* Idem *lib.* II. *Satyr.* 105. ad illud. *noſtrum melioris utroque hoc*, talia refert. Hoc eſt, *qui Melior fuit, & te, & me o Trebati, cenſu, & natalibus: fuit enim vir bonus, & valde nobilis, utpote Magni Pompei Avus.* Idem denique: *Scipio Africanus, & Laelius feruntur tam fuiſſe familiares, & amici Lucilii, ut quodam tempore, Laelio circum lectos triclinii fugienti, Lucilius ſuperveniens, eum obtortam mappam quaſi feriturus ſequeretur.*

Joannes Pontanus *lib.* VI. *de bello Neap.* in fine, & Auguſtinus Niphus Sueſſanus in *epiſtola* nuncupatoria ejus libri *de Anima* ad Card. Julium de Medices, ajunt *Lucilium Sueſſanum poëtam Neapoli eum deceſſiſſet, publico funere a Neapolitanis fuiſſe elatum.*

Tandem Franciſcus Petrarca de Lucilio loquitur, dum ait:

S' io fuſſi ſtato fermo alla ſpelunca
Là, dove Apollo deventò Profeta,
Fiorenza aurebbe anco hoggi il ſuo poeta
Non pur Verona, Mantova, ed Arunca.

Nam Verona Catullum, Mantua Virglium, Arunca Lucilium poëtas habuit. Hunc locum mutuatus eſt Petrarca ab Ovidio Sulmonenſi *lib. Metam.* . . .

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo,
Pelignae dicar gloria gentis ego.

Martialis quoque *lib.* XXV. *epigr.* 172. in antiquis 195. dum de Catullo loquitur, in eundem fere modum ſic cecinit:

Tantum magna ſuo debet Verona Catullo;
Quantum parva ſuo Mantua Virgilio:

Julius Caeſar Scaliger *lib.* II. *ſuae Poëtices cap.* 7. invehitur contra Horatium, eo quod dixerit Lucilium fluere lutulentum, cum is ne fluere quidem ipſum arbitretur; & multo magis invehitur adverſus ſtolidos quoſdam, qui ita Lucilium ſunt admirati, ut ſolum ſciſſe Satyram conſcribere jactitent: ac Juvenalem non ſatyricum, ſed declamatorem exiſtimandum.

De Lucilio multa Petrus Crinitus *lib.* I. de-

de Poëtis Latinis cap. qui etiam ait, ab *Hadriano Imperadore Lucilium omnibus poëtis fuiſſe praepoſitum, qui ſatyras ſcripſerunt. &* Lilius Gregorius Gyraldus *de poët. hiſtor. dial.* IV. *fol.* 178.

C. Naevius Campanus illuſtris poëta Comicus, qui complures Comoedias, ac Tragoedias ſcripſit ſtilo valde erudito, ac gravi de quo multa Aulus Gellius; ait enim *lib.* III. *cap.* 3. *De Naevio quoque accepimus, Fabulas eum in carcere duas ſcripſiſſe*, Ariolum, *&* Leontem; *cum ob aſſiduam maledicentiam, & probra in principes civitatis ad Graecorum poëtarum morem dicta, in vincula Ro. a Triumviris conjectus eſſet; unde poſt a Tribuno Plebis exemptus eſt, cum iis, quas ſupradixi, Fabulis, delicta ſua, ac petulantias dictorum, quibus multos ante laeſerat, diluiſſet*. Idem Gellius *lib.* XVII. *cap.* 21. ait; *anno* 818. *ab Urbe condita C. Naevium poëtam tum Fabulas apud populum dediſſe, quem M. Varro in lib.* de Poëtis primo *ſtipendia feciſſe bello Punico primo, idque ipſum Naevium dicere in eo Carmine, quod de eodem bello ſcripſit*. Et *lib.* I. *cap.* 24. ubi eum *poëtam illuſtrem* vocat, & refert epigramma Cn. Naevii, quod ipſe fecit, & incidendum ſuo ſepulcro reliquit, ſic ait: *Epigramma Naevii plenum ſuperbiae Campanae; quod teſtimonium eſſe juſtum potuiſſet, niſi ab eo dictum eſſet:*

Immortales mortales, ſi foret fas flere,
Flerent divae Camoenae Naevium poëtam.
Itaque poſtquam eſt orcho traditus theſauro,
Obliti ſunt Romae lingua Latina loquier.

Hoc tamen Epitaphium, etſi ſcriptores multi illud referant, liber tamen *Epigrammatum antiquae urbis* Jacobi Mazochi, teſtatur tunc Romae haberi in palatio dominorum de Urſinis, apud Campum Florae, in regione parionis.

Ab hoc Naevio quamplurima mutuatus eſt Virgilius, ſicut & ab Ennio, Lucretio, Pacuvio, & aliis; ut Macrobius diligenter, atque accurate obſervavit. De Naevio hoc Petrus Crinitus *de poëtis lat. lib.* I. *cap.* 4. & Alexander ab Alexandro *Genial. dierum lib.* I. *cap.* 30.

Naevii opera non extant, ſed eorum Fragmenta quaedam collegit Robertus Stephanus, quae edita ſunt in lucem ab Henrico Stephano ejus filio, cum *Fragmentis poëtarum Veterum Latinorum*, quorum opera non extant, excuſa *Baſileae. apud eundem Henricum. anno* 1564. *in* 4. Naevii opera quae ab Antiquis Scriptoribus citantur haec ſunt: *Liber primus. de Bello Punico*, citatur a Priſciano in *verbo Titani*. a Macrobio *lib.* VI. *cap.* 5. A Chariſio *Liber* II. *de Bello Punico*. Nonio in *verb. perconto*. Priſciano in *verb. puer.* & in verb. *quieſ.* A Macrobio vero *lib.* VI. *cap.* 5. citatur *Liber* III. *de Bello Punico.* Nonio in verb. *gratulabatur*, & verb. *auſpicat.* Priſciano in verb. *adoriant.* Feſto in verb. *ſola*. *Liber* VI. *de Bello Punico* citatur a Nonio in ver. *concinnare*, & in ver. *danunt.* & in ver. *viciſſatim*. *Liber* VI. *de Bello Punico* a Nonio in ver. *ſuperbiter*, & in *contemptim*. *& locos*. *& illico*. *& cenſere*. *Liber* VII. *de Bello Punico* a Nonio in verb. *paciſcunt*.

Carmen Belli Punici Priſcianus ubique appellat, & Nonius alicubi, & Feſtus in voc. *quia non*. & *ſardare*. & *ſaturnus*. Gellius *lib.* XVII. *cap.* 21. Alii *Opus de Bello Punico*, Feſtus in verb. *qua nam*. Priſcianus, *lib.* VI. Donatus in *Andriam*. Iſidorus *ex Naevio*. Feſtus in verb. *ſardure*. Nonius in verb. *caſtus*.

Naevii quoque Fabulae hae a veteribus ſcriptoribus citantur. *Aemathia*, quam citat Varro *lib.* VI. *de L. L. Aegipcho*. Petrus Crinitus *de poëtis lat. lib.* I. *cap.* 4. *Agido*; Terentius. Varro *lib. de L. L. Agriſpruntes*. Nonius in verb. *promicare*. eamque lectionem reſtituendam eſſe quidam cenſent in Nonio, in voce *praemiatores*, ubi inepte ſcribitur, *Amnagremnuntibus*,

Digitized by Google

tibus, pro *Agrypnuntibus*, ſive *Agrypnuntur. Alceſtis*. Nonius in verb. *obeſus*. *Aſtitogiola*. Nonius in verbis *proſpica* · *reſtituto*. *Agitatoria*, cujus apud Soſipatrum fit mentio. *Aureolo*. Crinitus, ubi ſupra. *Claſtidius*. Varro *lib.* VI. *de L. L.* & *lib.* VIII. *Colax.* Nonius in verb. *collus*; ubi perperam cor. *Legium Terent.* in prol. Eunuchi. *Corollaria*. Varro *lib.* VI. *de L. L. Coſmotria*. Varro *lib.* VI. *de L. L.* ſed Joſeph Scaliger legit *Amathia*. *Danae*. Nonius in verb. cit. nam in verb. *fulgurivit*, pro *ſanea*, reponit *Danae*. *Demetrius*. Varro lib. VI. *de L. L. Diabolaria*. Fulgentius in libello *de priſco ſermone* in verb. *napopolae*. *Dolum*. Varro lib. VI. *de L. L. Duroleſte*. Varro lib. VI. *de L. L. Equus Trojanus*. Macrobius lib. VI. *cap.* I. *Erotopaegnia*. Nonius in verb. *latibulet*. *Erularia*, aut, ut Codex Gandavenſis habet, *Herularia*; Vulgati *Aulularia*. Nonius in verb. *praeciſum*. *Eſiona*. Varro lib. VI. *de L. L. Fretum*. Varro *ibidem*, Feſtus in verb. *gemini*, Nonius in verb. *feſtiviter*. *Gladiolus*. Feſtus in verb. *pedibus obſitum*. *Gymnaſticus*. Nonius in verb. *cupido*, & *pecua*. *Hariolus*. Feſtus in verb. *Oreae. freni*. *Hemyſphorium*. Varro lib. VI. *de L L. Iphygenia*, Nonius in *verb. paſſum*. *Lampadio*. Varro lib. VI. *de L. L. Leonte*. Crinitus ubi ſupra. *Lycurgus*. Nonius in *verb. vitulantes*, Feſtus in *verb. obſtinato*. *Nautae*. Feſtus in *verb. ſupperus*. *Paraecius*. Nonius in *verb. catapulta*. *Pratus*, ſive *Atellana* A. Gellius lib. XVII. c. 2. *Pathici*. Nonius in *verb. dicebo*. *Perſae*. Varro lib. VI. de L. L. *Perſonata*. Feſtus in verb. *perſonata*. *Philempotus*. Fulgentius in lib. *de priſco ſermone* in *verb. ſculponeus*. *Proteſilaus*. Nonius in *verb. jocus*, & in *verb. gratitudo*. *Pulli*. Nonius in *verb. aſperiter*, vel *pullis eſcam*, & in *verb. aſculatim*. *Quadrigemini*. Nonius in *verb. parcuit*. *Romotus*. Varro loco ſaepe cit. *Sanniones*. Nonius in *verb. purpuriſſum*. *Satyra*. Feſtus in *verb. quia nam*. *Stigmatia*. Varro *ibidem*. *Tabellaria*. Nonius in *verbo pannius*. *Tarentilla*. Feſtus in verb. *adnictat*. *Tereo*. Crinitus ubi ſupra *Therimus*. Varro ibidem. *Triphola*. Crinitus. *Tunicularia*. Feſtus in verb. *naucum.* & in verb. *panem*. *Zenone*. Crinitus. Et multis aliis in locis idem Feſtus. C. Naevium citat, ſed non exprimit libros.

Cic. *Tuſcul.* I. meminit Plauti, & Naevii, qui Fabulas docuerunt; idem quoque dicit *lib.* IV. *de Republ.* apud S. Auguſtinum *de Civit. Dei lib.* II. *cap.* 9. Idem Cic. in *Cat. Majore*. Terentius in Prologo *Andriae*, ſic ait:

Qui cum hunc accuſant, Naev. Plaut. Enn.
Accuſant, quos hic noſter Auctores habet.

Idem in Prolog. *Eunuchi* teſtatur Colacem *eſſe Naevii, & Plauti Veterem fabulam.*

Vulcatius Sedigitus *de poëtis* apud Gell. *lib.* XV. *cap.* 24. inter poëtas latinos Comicos dat primum locum Caecilio Statio, ſecundum Plauto, tertium Naevio.

C. PLAUTIUS ARPINAS, poëta Comicus complures Comoedias, ac fabulas Romae ſcripſit; cujus meminit Varro, qui ſic ait: *Cum pecunia omni, quam in operis artificium ſcenarum pepererat in Mercationibus perdita, inops Romam rediiſſet, & ob querendum victum ad circumagendum molas, quae tranſatiles appellantur, operam piſtori locaſſet, ubi quoties ab opere vacaret, ſcribere fabulas, & vendere ſolitus erat.*

Meminerunt quoque Sabellicus *Enneid.* v. *lib.* VII. Petrus Crinitus *de poëtis latinis*. Franciſcus Patricius in *Poëtica*, Franciſcus Alumnus in ſua *Fabrica mundi. numero* 81.

At Arimannus Schedel in ſuo *regiſtro Chronicarum*, & Calepinus in dictione *Arpinum* perperam putant M. Plautum celebrem illum Comicum Arpinatem fuiſſe, nominis ſimilitudine decepti, cum *Arpinas* hic,

hic , non Plautus , ſed *Plautius* nuncuparetur , ac Plautus e Saſſina patria fuerit in Umbria, quod Lilius Gregorius Gyraldus bene obſervavit , qui in *dial.* III. *de poëtis lat.* ſic ait : *Plautinum quendam Comoediarum poëtam fuiſſe , cujus Fabulae, quod Plautii inſcribebantur , acceptae fuerunt quaſi Plautinae; cum eſſent non a Plauto Plautinae, ſed a Plautio Plautianae.*

CAEsar Aevolus Neapolitanus Philoſophus, ac Theologus inſignis , & rei militaris peritia illuſtris, ac pro Philippo II. Hiſpaniarum Rege Militum Imperator in Belgiis meruit . Edidit latine librum *De Divinis attributis* , quae *Sephir* ab Hebreis nuncupantur , ad Maximilianum II. Caeſarem, excuſum *Venetiis* . 1573. *apud Franc. Zilettum. in* 4.

Scripſit quoque *De Cauſis Antipathiae , & Sympathiae rerum naturalium*, ad Ill. Carolum Aevolum dilectiſſimum Fratrem , impreſſum *Venetiis* . *anno* . 1580. *apud eundem Zilettum. in* 4. Dein iidem libri *de Divinis attributis.* & de *Cauſis Antipathiae.* *recuſi* ſunt , cum duobus aliis ejus libris, nempe *De modo , & poteſtate, quam Demones habent , intelligendi , ac commovendi conceptus animae , paſſioniſq. appetitus* . ac ejuſdem *Apologia pro Urſula Neapolitana* (quae cum Sanctitatis opinione tunc Neapoli vivebat) quae acceſſit ad Urbem anno 1583. quae omnia prodierunt *Venetiis . ex offic. Dominici de Farris*. 1589. *in* 4.

Edidit etiam Italice *Inſtitutiones acierum*, quas ipſe nuncupat *Delle Ordinanze di Bataglie* , qui liber prodiit . . . . demum ab eodem auctore recognitus , & locupletatus, cum novo tractatu, *Degli Alloggiamenti di Campagna* , recuſus eſt *Romae . apud Petrum , & Paulum Dianos fratres . anno.* 1586. *in fol.*

Obiit autem is in Claſſe Maris Oceani Philippi III. Hiſpaniarum Regis anno 1598. cum ejus Claſſis eſſet praefectus, vulgo *Maſtro di Campo* .

CAEsar Aluccius, Theatinus, Societatis Jeſu Theologus , edidit latine *Pſychagogiam* , hoc eſt *Animae recreationem*, in qua agitur de cauſis , in quibus juſtorum animae recreantur in morte, ſive *De bono mortis* excuſ. *Romae. apud Jacobum Maſcardum* . 1627. . *in* 12.

Summarium earum rerum , quas oportet ſcire, ut poſſimus adipiſci Jubileum anni Sancti, impreſſ. *Romae.* 1625. *apud haeredem Bartholomaei Zannetti. in* 12. quod deinde prodiit Italice iiſdem typis , & anno.

Lignum vitae , ſive *de fructibus rerum ſpiritualium , de tribulatione , & mortificatione* , in illa verba Joannis Apocal. 12. *Lignum vitae efferens fructus duodecim* , libri III. , quod excuſum eſt *Romae*. 1625. *apud haeredem Bartolomaei Zannetti . in* 4. poſtmodum *Brixiae* . 1626. *apud Ludovicum Britannicum . in* 8.

Filium Prodigum , ſeu *Inſtitutionem Juventutis* . Italice . *Romae . apud Bartholomaeum Zannettum.* 1627. *in* 12.

Edidit Italice ſub nomine *Georgii Poſtii* collectoris *Speculum* , ſeu *Compendium antiquitatum ſacrarum , tum prophanarum Urbis Romae* , excuſſum ibidem, *Romae* . 1625. *apud haeredem Bartholomaei Zannetti . in* 12.

Scripſit *Vitam Alexandri Valignani* Societatis Jeſu , quae excuſa non eſt , ut ſuperius in Alexandro diximus .

Obiit autem Romae die 25. Novembris 1634.

De Caeſare Baronio placuit , quae Antonius Poſſevinus in II. Volum . Bibliothecae Selectae . lib. XVI. cap.47. habet, *adamuſſim , & propriis ejus verbis referre . Is enim de Baronio , ejuſque operum neceſſitate, praeſtantia , ac judicio bene*

Digitized by Google

bene , atque accurate diſſerit . Sic itaque Poſſevinus:

CAESAR BARONIUS, Soranus, primo Sacerdos congregationis Oratorii Romae, deinde a Clemente VIII. Pontifice Maximo in numerum Cardinalium S. R. E. cooptatus; denique Sedis etiam Apoſtolicae Bibliothecarius *Annotationes in Martyrologium Romanum*, item *Annales Eccleſiaſticos* ſcripſit; illas hortatu Gregorii VIII. hos urgente Eccleſiae neceſſitate, ac Deo ipſo, ut pie licet conjicere, impellente. Quippe delatum aliis negotium de Eccleſiaſtica Hiſtoria ſcribenda, cum haud ſucceſſiſſet, Baronius deniq , qui in eam ſcriptionem a pueritia propenſus erat feliciter aggreſſus, magno labore, ac ſincero, & vero Chriſtiano dicendi genere, quod ab omni fucu, & fallaciis abeſt, plures jam tomos ejuſdem Hiſtoriae emiſit in lucem. Porro ea fuit Eccleſiae neceſſitas, quod Haeretici praeterquam quod, ut Divinum Verbum, ſic antiquas hiſtorias perverterant, ac aboleverant. Centurias quoque ab Eccleſia naſcente, uſq. ad pleraque ſaecula conſarcinaverant, unde expugnari Traditionum veritatem poſſe ſperabant. Contra quas Centurias poſuere quidem plurimum Virorum doctiſſimorum ſcripta, vel in primis earum jugulum petiit Annalium Baronii ſcriptio. Quorum aliqua praeſtat huc adtexere, ut cum varia eorum utilitas conſtet, tanto libentius quiſque eam arripiat.

Apoſtolicas enim Traditiones, & Ritus Eccleſiaſticos legitimos exploravit; explanatos conſtituit, atque illuſtravit paſſim, ubi ſe dedit occaſio. Synodos pleraſque, quae erant abditae, aut de quibus ob praepoſterum ordinem, vel altum ſilentium dubia erat fides, accuratiſſime conquiſivit, & quaſi redivivas fecit. Sacros Canones plures quidem e denſis latebris eruit, & ſic eruit, ut paſſim opportune doceat, qui germani, qui ſpurii, qui pietate obſervandi, quantum Caeſareo juri praeſtent. At praeter haec Baronius ponit ob oculos Martyrum geſta, labores, victorias, cibum utique fulciendis viribus piorum, ut & fidem Chriſti Domini tueantur, & praecepta, & conſilia pro ſua quiſque vocatione ſervet, ac demum impavidus ad coronas aeternas advolet. Quin & non defuit qui ex Melchioris Cani *Locis communibus Theologicis* oſtendit ab Annalibus Baronii poſſe comparari plurima, quae ad Theologum, ut ita dicam, efformandum ſpectet; quae in aliis disjecta, vel lacera, vel adeo pugnantia, vel ambigua in unum veluti corpus accurate examinata redegit. Sortitus a Domino Jeſu divinum donum bonam valetudinem, ſpatium temporis diuturnum, quo Romae integris viribus vixit; quadraginta enim, & quatuor integros annos in hunc laborem impendit.

Anaſtaſius Germoſius (ut idem Poſſevin. ait in loco citato) Urbini Ducis apud Clementem VIII. Pontif. Max. Orator, idemque utriuſq. Signaturae Referendarius; qui antea Canones ſuos Auguſtae Taurinorum multos annos ingenti cum laude docuit, & perelegantibus, ac perdoctis Commentariis eſt interpretatus, interrogatus, ecquid de Baronii Annalibus ſentiret, reſpondit: *Ego vero Baroniam Hiſtoriam, quaſi caeleſtem facem ſuſpicio, atque oblatam nobis lucem cupidiſſime intueor. Interdum etiam auctorem ipſum in Arcanis Pontificum, & Conciliorum Actis conſulo perſtudioſe.* Hactenus Poſſev.

Edidit autem Baronius optima, ac elaborata *Scholia*, & locupletes *Annotationes ad Romanum Martyrologium* a Gregorio VIII. auctum, & ad novam Calandarii rationem, & Eccleſiaſticae Hiſtoriae veritatem reſtitutum; quibus praefixit tractatum *De Martyrologio Romano*; quae ſimul cum Martyrologio editae ſunt *Romae. anno.* 1587. *in* 4. Sixto V. Rom. Pontif. dicata. *Autuerpiae. apud Chriſtophorum Plantinum.* 1589. *in fol.* Dein eum librum auctum ac recognitum, ac multis in locis correctum iterum edidit *Venetiis. anno.* 1605. *apud Hie-*

Digitized by Google

Hieronymum Polum . *in* 4. Item *Coloniae* : *apud Gymnicum* . *in* 4. & *Pariſiis* . . . . *apud Michaëlem Somnium* . *in fol.* Ac monuit, ſi in Martyrologii additionibus quibuſcumque varietas aliqua reperiretur, eam ad Annalium normam eſſe refingendam. Sed Antuerpienſis editio, quamvis eam Typographus emendatiorem in operis fronte aſſerat, pro tali tamen ab auctore non fuit agnita; ut Poſſevin. ait in II. *vol. Biblioth. ſelec. lib.* XVI. *cap.* 47.

Scripſit quoque *Annales Eccleſiaſticos* in plura volumina ſectos, quae variis in locis, ac temporibus excuſa ſunt, nempe: *Annalium Eccleſiaſticorum Tomus* I. *ab anno primo Chriſti* , *uſque ad annum* XCIX. *incluſive*, quem Sixto V. Rom. Pontif. nuncupavit, excuſ. *Romae* . *anno* . 1588. *in typogr. Vaticana*. *in fol.* Ab eo recognitus, & emendatus, *Antuerpiae* prodiit *apud Plantinum* . 1589. & 1590. *in fol.* Item ibidem *Antuerpiae* quarta editio facta eſt 1596. apud *Moretum* . *in fol* ab auctore recognita, & *Coloniae* . 1601. *apud Joannem Gymnicum*, & *Antonium Hierat. in fol.* item *Romae* , & *Antuerpiae* .

Tomus II. ad eumdem Pontif. Sixtum V. *ab anno Chriſti* C. *uſque ad* CCCVI. excuſ. *anno* . 1590. *in Vaticano* . *in fol.* item *apud Plantinum*. 1592. *in fol. Tomus* III. ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem Catholicum, *ab anno* CCCVI. *uſque ad* CCCLXI. impreſſus *Romae* . *in Officina Torneriana*. *anno* . 1592. *Tomus* IV. ad Clementem VIII. Pontif. Max. *ab anno* CCCLXI. uſque ad CCCXCV. excuſus *Romae* . *in officina typographiae Congregationis Oratorii* , apud S. Mariam in Vallicella . 1593. *in fol. Tomus* V. ad eumdem Clementem VIII. Pontif. *ab anno* CCCXCV. *uſque ad annum* CCCCXL. editus ibidem *apud S. Mariam in Vallicella* . 1594. *in fol.* item *Antuerpiae* . *in officina Plantiniana* . 1565. *in fol. Tomus* VI. ad eundem Pontif. *ab anno* CCCCXL. *uſq. ad* DXVIII. excuſ. *anno.* 1595. *in S. Maria de Vallicella* . *in fol. Tomus* VII. jam Cardinalis creatus ad eundem Clementem VIII. Pontif. *ab anno* DXVIII. *uſq. ad* DXC. *Romae*. *in typographia Vaticana* . *anno* . 1596. *in fol. Tomus* VIII. ad eundem Clementem VIII. *ab anno* DXC. *uſque ad* DCCXIV. excuſus *in typographia Vaticana* . *in fol.* 1699. *Tomus* IX. ad Henricum IV. Francorum, & Navarrae Regem, *ab anno* DCCXIV. *uſque ad annum* DCCCXLII. editus *in Vaticano* . *anno* . 1600. *in fol. Tomus* X. ad Rodulphum II. Romanorum Imperatorem electum, ſemper Auguſtum, *ab anno* DCCCXLII. *uſque ad* M. *incluſive*, impreſſus *ibidem* 16. . . . dein excuſus *Venetiis* . 1603. *apud haeredes Hieronymi Scoti* . *in fol. Tomus* XI. *ab anno* M. *uſque ad* MC. *excluſive*, ad Sigiſmundum III. Poloniae Regem, impreſſ. *Romae* . *in typographia Vaticana* . 1605. *Tomus* XII. *ab anno* MC. *uſque ad* MCXCVIII. ad Paulum V. Pontif. Max. excuſus *in typographia Vaticana* . 1607. *in fol.*

Ejuſdem Tomi omnes ab ipſomet auctore aucti, & recogniti, prodierunt *Coloniae* . *apud Joannem Gymnicum*, & *Antonium Hierat. anno* . 1609. *in fol.* & *Antuerpiae* . *apud Moretum* . 1610. *in fol.*

Caeteros autem Annalium tomos, quos ipſe ad noſtra uſque tempora producere, & conſcribere propoſuerat, ac in ejus operibus pollicetur, morte praeventus non abſolvit. At Frater Abrahamus Bſovius Polonus Ordinis Praedicatorum Baronii Annales eodem ordine, ac methodo continuavit; & octo adhuc volumina prodierunt in lucem, nempe XIII. *ab anno* MCXCVIII. *uſque ad* MCCXCIX. & XIV. *ab anno* MCCC. *uſque ad* MCCCLXXVIII. & XV. *ab anno* MCCCLXXVIII. *ad* MCCCCXXXI. & XVI. *ab anno* MCCCCXXXI. *uſque ad* MCCCCXLVII. & XVII. *ab anno* MCCCCXLVII. ad MCCCCLXXI. & XVIII. *uſque ad* MDIII. & XIX. *ab anno* MDIII. *uſque ad* MDXXXV. & XX. *a* MDXXXV. *uſque ad* MDLXV.

At quia Baronius eos Annales, & Eccleſiaſticam Hiſtoriam texens hiſtoriae fines praeterire, atque extendere videtur, nuda, & ſimplici narratione non contentus, multa

ab iis dicta refert, & ſaepe profuſe, prout ſubjecta materia requirit in rebus gravibus, & controverſis, ac varie a ſcriptoribus enarratis; multa diſputat ad eruendam, ac indicandam veritatem; omnia accurate diſcutit, obſcura illuſtrat, occulta pandit, falſa reprobat, vera firmat, omniaque ad diſquiſitionem revocat, & plene examinat, & tanquam aurum igne probat; eam ob cauſam effectum eſt, ut vaſta, & immenſa Baronii Annalium lectio quamplures deterreat ſua prolixitate, & a legendo abſtineat, etſi multis grata ſit, optata, ac laudabilis; praeterquam alios tot voluminum non modo praetium in illis emendis deterret, multi ſunt qui ejus Annales in epitomen redegerunt.

Franciſcus Panigarola Aſtenſis Epiſcopus in breve *Compendium* Italice coëgit primum Annalium Baronis volumen, quod anno 1590. & 1592. *Romae*. prodiit. *in* 4. Joannes quoque Gabriel Biſciola Mutinenſis Societatis Jeſu Theologus, *Compendium* fecit VII. *primorum Annal. voluminum*, quae tunc ſuo tempore prodierant, ac in II. *Tomos* diſtinxit, excuſos *Coloniae. apud Joannem Gymnicum*, & *Antonium* Hierat. 1600. *in fol.* & *Lugduni* 1602. *apud Joannem Pillehotte*. *in* 4. Ludovicus etiam Aurelius Peruſinus omnes XII. Annalium Baronii Tomos in parvum libellum breviſſime redegit, qui *Romae* excuſus eſt 1636. *apud Pompilium Trottum*. *in* 12. Sanctiſſimo Domino Urbano VIII. Pontif. Max. dicatus. Ioannes Franciſcus Bordinus Archiepiſcopus Avinionenſis, ex primis ſex Annalium Baronii Tomis, uſque ad annum DXIII. incluſive, deprompſit ſummorum Urbis, & Orbis Pontificum ſeriem, & geſta, & juſtum exinde Volumen confecit, quod prodiit *Pariſiis.* 1604. *ex typographia Abel Angelerii in Aula palatii*. *in* 4. Joannes quoque Spondanus Congregationis Oratorii omnes XII. Baronii Tomos in *Epitomen*, *unico* pergrandi *Volumine* redegit; & quidem optime eodem Baronio tunc vivente, atque aſſentiente. Idem Frater Abraham Bzovius Polonus Baronii Annales in *Epitomen* contraxit, & quidem caeteris omnibus pinguius, & in 11. *Volumina* ad duodecim libros coëgit, & *Eccleſiaſticam Hiſtoriam* nuncupavit; etſi aliorum quoque auctorum libris, in eo opere Bzovius uſus ſit. Ejuſdem Baronii Tomos X. in *Epitomen* redegit Petrus Skarga Societatis Jeſu, ut Petrus Ribadeneita in *Catalogo Scriptorum* ejuſdem *Societatis* ait; etſi non adhuc (quod ſciamus) in lucem editum ſit.

At ex omnibus fere mundi partibus, adverſus Baronium in Annalibus, quaerelae reſonant; dum enim is pro eruenda, ac indaganda veritate, ac e terrae viſceribus eam elicere diutius invigilavit, ac in iis libris conſcribendis jugiter inſudavit, complures inſurrexerunt, adverſus ipſum libros conſcribentes. Dum enim Monachis Benedictinae familiae Sanctum Gregorium Papam, Hiſpanis Sanctum Jacobum Apoſtolum, ac Trinacriae Regibus Monarchiam auferre conatur, multaque his ſimilia facere; multorum in ſe odia concitavit, e quibus aliquas commemoramus.

Iſaacius Caſaubonus Gallus, etſi vir eruditiſſimus, & magni nominis in ſaecularibus litteris, & libris editis celeberrimus, Sacrarum tamen rerum expers, & impius in ſenectute, & perfidus Calvini ſectator (qui paucos ante annos in Anglia ab humanis deceſſit), adverſus primum volumen Baronii librum conſcripſit ad Jacobum Magnae Britanniae Regem, mortuo jam Baronio; quem praetitulavit, *Exercitationes ad primam partem Ill. Card. Baronii*, in cujus ſexdecim prioribus Exercitationibus, Romani Pontificis auctoritatem, & primatum exagitat; & Sanctiſſimum Euchariſtiae Sacramentum urget; in reliquis vero ſexdecim exercitationibus Baronii errores circa temporum Chronologiam, ac ſupputationem, vocum translationes ex Graecis, Hebraicis, ac Latinis, atque hujuſmodi levia errata, Baronium indignis modis ſuccenſet. Contra quem Iſacii librum Julius

Cae;

Digitized by Google

Caeſar Bulengerius Gallus Societatis Jeſu edidit *Diatribas*, in quibus ipſius Baronii, ſeu potius Catholicae Fidei cauſam validiſſime tuetur, ac propugnat; atque Baronium, etſi in levibus hujuſcemodi erraverit; in rebus tamen gravibus, & verae, & ſolidae Fidei inoffenſo pede ſemper omnia diſcurrere contendit, ac probat. Inſcripſit autem librum hunc in modum, Julii Caeſaris Bulengerii *Diatribae, ad Iſaaci Cauſaboni Exercitationes adverſus Ill. Card. Baronium*. impreſs. *Lugduni*. 1617. *apud haeredes Gulielmi Rovillii. in fol.*

Pro Baronio etiam adverſus eadem Iſaaci ſcripta, ac maledicta prodierat prius liber Heriberti Rosweydi, nimis jejune, qui ſic inſcribitur, *Lex Talionis Xii. tabularum Cardinali Baronio ab Iſaaco Cauſabono dicta, retaliante Heriberto Rosweydo Vltraiectino Societatis Jeſu Theologo*, impreſſ. *Antuerpiae. in Officina Plantiniana*. 1614. *in* 8. Philippus quoque Morneus in impio ejus libro *de Myſterio iniquitatis*, ſuccenſet Baronium in .... adverſus quem Leonardus Coquius Auguſtinianus in ſuo libro, quem inſcripſit *Antimorneum*, Baronium tuetur, impreſſ. *Mediolani. anno.* 1606. *apud haeredes impreſſorum Curiae Archiepiſcopalis. in fol.* Jacobus quoque Gretſerius e Societate Jeſu Baronium adverſus Morneum defendit. Melchior item Goldaſtus, ſectarius Calviniſta, ſcripſit adverſus Baronium & acribus verbis, & immodeſte contra eum invehitur; at contra eum impium, ac mendacem defendit Baronium Jacobus Gretſerius Societatis Jeſu in ejus Opuſculo, quod excuſum eſt cum *Vita Papae Gregorii* VII. *Ingolſtadii. apud Adamum Sertorium*. 1610. Inſcriptio autem Apologiae ſic habetur *Caeſar Baronius* S. R. E. *Card. Ampliſſ. a Rationalis Calviniani Criminationibus vindicatus eſt*.

Sed omiſſis hujuſmodi Haereticis, ac Sectariis, qui infiniti propemodum ſunt, quiq. ſub colore impugnandi Baronium in Annalibus, Fidem Chatolicam, ac Pontificiam Poteſtatem labefactare conati ſunt; & ex antiquo odio in Romanam Eccleſiam eorum virus evomunt; quamobrem veniamus ad Chatolicos viros: qui Baronium in rebus hiſtoricis impugnant: ſunt autem hi:

Qui ſcripſerint adverſus Baronium *de acceſſu Santi Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniam*, ut nobis relatum eſt.

Don Joannes de Valaſques, Dux Fines, Regni Magnus Admiratus, vir quippe doctus ſcripſit Hiſpanica lingua librum *de Acceſſu Sancti Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniam*. qui editus eſt in Hiſpania. Ciryacus Puteanus Belga., Juſti Lipſii diſcipulus, vir eruditus, qui multa ſcripſit, edidit latine librum *de Acceſſu Sancti Jacobi ad* Hiſpanias. Canonicus quidam Siracuſanus Hiſpanus, ſcripſit Hiſpanice librum de *Acceſſu S.Jacobi ad Hiſpanias*, qui excuſus eſt. Monachus quidem Hiſpanus Ordinis Mercedis, ac Philippi III. Hiſpaniarum Regis Hiſtoriographus ſcripſit Hiſpanice *de* eodem *Adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam*, qui excuſus eſt. Joannes Mariana Hiſpanus Societatis Jeſu, in ejus Opuſculis, opuſc. primo agit *de Acceſſu Sancti Jacobi in Hiſpaniam adverſus Baronium*. Gaſpar Sanchez Hiſpanus, Societatis Jeſu, format breviter hanc quaeſtionem *de Acceſſu* eodem *S. Jacobi in Hiſp.* ſuis Commentariis in Apocalypſim, & concludit contra Baronium.

Antonii Caraccioli Neapolitani Clerici Regularis Biga illuſtrium controverſiarum I. *de Sancti Jacobi Apoſtoli Acceſſu in Hiſpaniam*. II. *de Funere Santi Martini a B. Ambroſio procurato*, excuſa *Neapoli*. 1618. *apud Tarquinium Longum. in* 8.

Qui autem *de Benedictino Monachatu Sancti Gregorii adverſus Baronium* ſcripſerint, hi ſunt:

D. Conſtantinus Bellóctus Monachus Ordinis Santi Benedicti, vivente adhuc Baronio, edidit latine librum adverſus illum, qui ſic inſcriptus eſt: *Divus Grego-*

Digitized by Google

rius Ordini Benedictino reſtitutus , qui prodiit *Venetiis* .... At Baronius illico, ac tumultuarie in ſui defenſionem , edidit alium librum , qui ſub nomine *Antonii Gallonii Congregationis Oratorii* prodiit , qui inſcriptus eſt : *Apologeticus liber Antonii Gallonii Presbyteri , pro aſſertis in Annalibus Eccleſiaſticis de Monachatu Santi Gregorii Papae , adverſus D. Conſtantinum Bellotum Monachum Caſſinatem* , cui acceſſit *Reſponſio de iiſdem , ad alium ejuſdem Ordinis Monachum* , impreſſ. *Romae.* 1604. *in typographia Vaticana . in* 4. Monachus quidam Ultramontanus edidit librum contra Baronium de eadem re , excuſum *apud Plantinum* . Hieronymus Lauretus Hiſpanus Monachus Coenobii Caſſinenſis , & Abbas ſcripſit librum *de Monachatu Santi Gregorii , adverſus Baronium* , qui excuſus habetur poſt *Chronicum Caſſinenſe* recenter recuſum *Neapoli . anno .* 1616. *apud Tarquinium Longum. in* 4. D. Conſtantinus Caietanus Siracuſanus Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis , Abbas S. Baronti , edidit librum *de Monachatu Santi Gregorii Papae* , qui excuſus eſt .

Quod autem pertinet ad Monarchiam Siciliae , tomus X. Annalium Baronii (in quo de ea Monarchia agitur) in omnibus Regnis , ac terris Philippi II. Hiſpaniarum , ac utriuſque Siciliae Regis Catholici prohibitus eſt legi , ac teneri , gravibus poenis addictis, pro ut ex litteris ejuſdem Regis .

Adverſus Baronium pro Monarchia Siciliae , ſive Trinariae ſcripſerunt plures Theologi , Juriſconſulti , ac Hiſtorici , ex Regno Trinacriae , Neapolis , Hiſpaniarum, ac Mediolani Ducatu , & alii, quorum ſcripta quaedam in lucem prodierunt ; caetera autem minime .

Aſcanius Columna S. R. E. Cardinalis ſcripſit librum adverſus Baronium *de Monarchia Siciliae* , qui excuſus eſt . Adverſum quem prodiit ejuſdem Caeſaris Baronii Tractatus *de Monarchia Siciliae* , cum Cardinalis Columnae ſcripto , ac ſimul cum ipſius *Reſponſione Apologetica adverſus Cardinalem Columnam* , excuſi *Pariſiis apud Hadrianum Beys . in* 8. 1609. Prodiit quoque Abrahami Sculteci *Confutatio* prolixa *diſputationis Caeſaris Baronii de Baptiſmo Conſtantini* , impreſſa *Ingolſtadii* . 1607. *in* 4.

Conſcripſit etiam Baronius *Vitam Sancti Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi* profuſiſſime, juſſu Domini Felicis a Monteauo S. R. E. Cardinalis (qui poſtea Sixtus V. Pontifex Max. fuit) , quae praefixa eſt ejuſdem Sancti Ambroſii Operibus in principio V. *Romae* . tunc anno 1583. ſumma ejuſdem Cardinalis diligentia , ac laboribus expurgatis, ac in lucem editis .

Extat quoque Caeſaris Baronii *Narratio Legationis Eccleſiae Alexandrinae ad Apoſtolicam Sedem* , quomodo Patriarcha Alexandrinus ſeſe , cum ſuis Eccleſiis, Clementi VIII. Pontif. Max. ſubjecerit , impreſſa *Coloniae . apud Nicholaum Stein* . 1598.

Dein eam Narrationem cum alia Relatione *Legationis Ruthenorum* coniunxit , ac in lucem protulit , hoc titulo adiecto: *Caeſaris Baronii Relationes duae hiſtoricae illuſtrium duarum Legationum* I. *D. Gabrielis Moderni Patriarchae Alexandrini ad Sedem Apoſtolicam* . II. *de Ruthenorum aliquot mille Eccleſiarum ad eumdem Sedem converſione. Coloniae*. 1600. *apud Nicolaum Stein . in* 8.

Edidit etiam Baronius Tractatum contra quatuor libros *Inſtitutionum Calvini* , excuſ. *Coloniae* . 1600. *apud Herm. Holerg. . in* 4.

Scripſit quoque Baronius *Chronologiam* , ſive *Chronographiam ad ſupputanda tempora aptiſſimam* , quae , ut ipſe paſſim in ejus Annalibus affirmat , veritati in omnibus reſpondit , pluribus teſtificationibus comprobata , & verior reddita : quae non adhuc eſt in lucem edita .

Elucubravit praeterea Baronius *Paraeneſim ad Rempublicam Venetam in Cauſa illuſtris , ac memorabilis controverſiae habitae inter Paulum V. Pontif. Max. ac Venetos . anno* . 1606. editam *Romae . eodem anno* . 1606. *apud Carolum Vailliettum . in* 4. *Neapoli.* 1606. *apud Joannem Jacobum Carlinum*

Digitized by Google

linum in 4. *Auguſtae Vindelicorum* . 1606. *apud Gregorium Willer*. *in* 8. *Coloniae*. *apud Mathaeum Smiz*. 1606. *in* 8. *Moguntiae*. 1606. *apud Albinum*. *in* 8.

At multi ſunt, qui pro Republica Veneta adverſus Baronium, imo potius contra Romanum Pontificem ſcripſerunt; prodierunt enim illico hi libri *Chriſtianorum Reipublicae Venetae Civium*, & *Amicorum ad Antichriſtianam Cardinalis Baronii Paraeneſim Reſponſio*, edita *apud Commelin*. 1606. in 4. Nicolai Craſſi *Antiparaeneſis ad Caeſarem Baronium Cardin. pro Sereniſs. Veneta Republ.* excuſa *Patavii*. *apud Societatem*. 1607. *in* 4. Nicolai Vignerii *de Venetorum excomunicatione adverſus Caeſarem Baronium Diſſertatio*, cum adjuncta *Reſponſione Chriſtianorum Reipubl. Venetae Civium*, & *Amicorum ad &c.* excuſa *Francofurti*. *in Officina Feyerabendina*. 1607. *in* 4. Inſuper *Duo vota*, *unum D. Caeſaris Baronii Cardinalis contra Rempublicam Venetam; alterum D. Joannis Marſilii Theologi pro eadem*, impreſſa *apud Societatem Venetam*. 1607. *in* 4. Ad Caeſarem Baronium Cardinalem *Epiſtola incerti Auctoris*, excuſa *apud Societatem Venetam*. 1607. *in* 4.

Infiniti quoque Theologi, ac Juriſconſulti ex toto Chriſtiano orbe pro Romano Pontifice, atque Eccleſiaſtica libertate adverſus Venetos ſcripſerunt; quorum ſcripta iam typis tradita ſunt, inter quos ſpeciatim pro Baronio noſtro hi concertarunt, ac in medium prodierunt. *D. Felicis Milenſii* Ord. Eremitarum Sancti Auguſtini *Scrutinium pro Voto Cardinalis Caeſaris Baronii in cauſa Veneta*, *contra votum D. Joannis Marſilii refragantis*, impreſs. *Moguntiae*. 1607. *apud Albinum*. *in* 8. Nicodemi Macri Senioris cum Nicolao Craſſo juniore Cive Veneto *Diſceptatio de Paraeneſi Cardinalis Baronii ad Rempub. Venetam* impreſſ. . . . . *apud Georgium Willer*. 1607. *in* 4.

Obiit tandem Baronius Romae anno 1607. die 30. Junii, & in aedae Sante Mariae de Vallicella Congregationis Oratorii ſepultus eſt; cui patres ejus domus commune ſepulcrum, ſimul cum Cardinali Tauruſio, ejus familiari amico, hac poſita inſcriptione, erexerunt:

D. O. M.

FRANCISCO MARIAE TAVRVSIO POLITIANO ET CAESARI BARONIO SORANO EX CONGREGATIONE ORATORII S. R. E. CARDINALIBVS NE CORPORA DISTINGVERENTVR IN MORTE QVORVM ANIMI DIVINIS VIRTVTIBVS INSIGNES IN VITA CONIVNCTISSIMI FVERVNT EADEM CONGREGATIO VNVM VTRIQVE MONVMENTVM POSVIT. TAVRVSIVS VIXIT ANNOS LXXXII. MENSES IX. DIES XXIV. OBIIT VII. IDVS IVNII MDCVIII.

BARONIVS VIXIT ANNOS LXVIII. MENSES VIII. OBIIT PRIDIE CAL. IVLII MDCVII.

CAEsar Campana Aquilanus, vir variae lectionis, atque humanarum litterarum profeſſor inſignis, multa edidit, nempe:

Rithmorum volumen, quos affabre, ac docte cecinit ad Comitem Claudium Tienem Vincentinum, &. *Vincentiae*. *anno*. 1577. excuſum . . .

Lacrymas Bacchilionis, *Octavis rithmis*, *in funere Comitis Antonii Valmaranae*. *Sinarmoſoli*, nempe *Dialogos duos De vera nobilitate*, qui *Vincentiae* editi ſunt *anno*. 1586.

Scripſit *Hiſtorias rerum geſtarum ſui temporis in univerſo Orbe*, quae pluribus in locis excuſae ſunt; prodierunt autem duobus voluminibus diſtinctae; quorum primum x. libris contentum, complectitur geſta ab anno 1570. uſque ad 1580. quod domino Odoardo Farneſio S. R. E. Cardinali dicavit, impreſſum *Venetiis*. *apud Iunctas*. *anno*. 1599. *in* 4. Secundum vero volumen in XVI. libros diviſum, continet geſta ab anno 1580. uſque ad annum 1596. quod Sereniſſimo Franciſco Mariae de Rovere Urbini Duci nuncupavit, excuſum *ibidem*; cui etiam addidit *Diſcurſum*

ſum circa hiſtorias conſcribendas, quem Domino Paulo Taurello dicavit.

Dein hae hiſtoriae ab Auctore reviſae, correctae, & ampliatae, & in meliorem formam redactae, additis quoque bellis Belgicis, quae iiſdem temporibus contigerunt, ab eodem Auctore conſcriptis, & ſuis quibuſque locis repoſitis recuſae ſunt *Venetiis*. 1607. *apud Junctas*, duobus tomis.

Demum *Hiſtoriarum libros* valde auxit, ac locupletavit, & in aliam formam adegit, titulo etiam mutato, vocavit enim eos: *Vitam Philippi Auſtriaci Hiſpaniarum, & utriuſque Siciliae Regis*, quam in partes IV., & decades VII. diſtinxit, quae in tria juſta volumina ſecari commode poſſunt; in quibus de armorum motibus, bellis, ac rebus geſtis in totius mundi partibus ab anno 1527. uſque ad 1598. abunde, ac copioſe agitur. Prima etenim pars, ac prima decas continet geſta ab anno 1527. uſque ad 1537. & Philippo II. Hiſpaniarum Regi dicavit, impreſs. *Vincentiae*. 1605. *apud Georgium Graecum*. *in* 4. Secunda autem decas primae partis complectitur geſta ab anno 1537. uſque ad annum 1547. ad Dominum Matthaeum de Capua Conchanorum Principem, & magnum hujus Regni Admiratum, excuſ. *ibidem. & eodem anno*. Alia vero pars prima decadis ſecundae continet geſta ab anno 1547. uſque ad 1569. ad Dominum Carolum de Aquino Martorani Comitem, & Caſtilionis Principem, ab Auguſtino Campana Caeſaris filio dicata, excuſa ibidem *apud Petrum Graecum, & fratres*. *anno*. 1608. *in* 4.. Quarta vero pars continet arbores illarum omnium familiarum, quae dominatae ſunt iis Regnis, civitatibus, ac regionibus, quae poſtmodum legitimis titulis poſſeſſa fuit ab eodem Philippo II. Rege, & ad praeſens Philippus III. Rex ejus filius poſſidet, & Chriſtopharo Caſtilioni ab Auctore dicata, excuſa eſt *Venetiis*. *apud Georgium Graecum*. 1605. *in* 4. Superaddidit quoque Auguſtinus Campana ſupplementum *Compendium* nempe *rerum geſtarum in univerſo Orbe*. *ab anno* 1583. *uſque ad annum* 1596., cui ſupplevit & hiſtorias Univerſales de omnibus rebus, quae ab anno 1596. ad 1599. excluſive evenerunt, excuſ. *Venetiis*. 1609. *apud Bartholomaeum Carampellum*. *in* 4. ad Ill. Dominum Carolum Cardinalem de comitibus Signiae.

Edidit quoque *Arborem Familiarum Regalium Hiſpaniae*. *Veronae*. 1591. *& anno*. 1592.

Laboravit quoque in recudenda *Hiſtoria Joannis Tarcagnotae* integriore, quae nuper *Venetiis*, edita eſt, ut Antonius Poſſevinus in II. *vol.*

CAESAR CARPANUS Neapolitanus, majoris ejus urbis Eccleſiae Canonicus, dein S. Mauri Epiſcopus a Leone X. creatus anno 1521. Scripſit latino metro ſapphico, & hendecaſillabo libellum *De Martyrio, ac Miraculis Santi Januarii* praecipui Neapolitanorum patroni; quibus addidit pauca quaedam alia *Carmina*, quae omnia Donato Pulverino Neapolitano AEnarienſi, ſive Iſclano Epiſcopo, & Neapolitanae Eccleſiae Generali Vicario dicavit, & *Neap.* prodierunt *ex typogr. Sigiſmundi Mayr Germani*. *anno*. 1515. *in* 4.

CAESAR LAMBERTINUS Tranenſis, Epiſcopus Inſulenſis, Juris Conſultus, & Canoniſta praeſertim inſignis fuit. Scripſit tractatum *De Jurepatronatus*, *quem Baſylicam Sancti Hieronymi Lambertinam* nuncupavit, qui pluries excuſus eſt variis in locis, temporibus, ac forma tum ſeorſim, tum ſeparatim, tum vero cum aliis ſcriptoribus *De Jurepatronatus*. Eum librum Lambertinus explevit, ut is in fine ejus operis teſtatur, Trani anno 1523. 4. Junii.

CAE-

Digitized by Google

CAEſar Optatus Citrareus de Regno Neapolis, ſic enim ſe appellat in aliquot ejus libris; licet in aliis *Neapolitanus* nuncupetur. Eſt autem *Citrarium* oppidum in provincia Calabriae Citerioris ſitum. Philoſophus fuit, ac Medicus inſignis, ſcripſit Opus tripartitum, nempe *de Criſi, de diebus decretoriis, & de cauſis Criticorum*, & domino Antonio Juſtiniano Veneto Clariſſimo doctori (qui Philoſophiam in patria profitebatur) dicavit, excuſum *Venetiis. apud haeredes Octaviani Scoti Modonienſis, & ſocios. anno*. 1517. *in fol.*

Scripſit etiam Altercationem habitam cum Franciſco Caballo, *De virtute informativa*, quam citat Leonicenus de eadem quaeſtione, circa principium, & Langius *Epiſt.* 14. *tomo* 1.

Edidit quoque *Quaeſtionem de Vena in pleuritide ſecanda*, quam citat Nicolaus Monardus in ejuſdem argumenti libello.

Item *Commentarium de indicatoriis diebus*, cujus mentionem facit idem Monardus lib. 11. *epiſt.* 6. ſed forte eſt idem libellus *de Criſi*, ut ſupra.

De Febri hetica abſolutum opus, quod cum aliquot Savonarolae Operibus excuſſum eſt *Venetiis. per Lucantonium* .... 1517. *in fol.* Joannes Schenkius in *Bibliotheca Medica*, Andreas Tiraquellus in lib. *de Nobilitate cap.* 31. extare ait Caeſaris Optati Neapolitani *Liminares* quaſdam *epiſtolas in Scriptores Medicos*.

CAEſar Rallus de Alexano, quae civitas eſt in Leucadia Hidruntinae provinciae in tractu Tarentino, edidit Italice librum, cui titulus eſt *Il Solazzevole convitto del Rallo, nel quale ſi contengono molti leggiadri Motti, e piacevoli ragionamenti*, excuſ. *Papiae. anno*. 1562. *apud Hieronymum Bartoli. in* 8. ab Auctore nobiliſſimis, ac caſtiſſimis Concivibus dicatum.

Item *Orationem de eloquentiae laudibus*. impreſs. *Neapoli*. 1577. *in* 4.

Edidit *Metteoram* Italice pregrandi volumine, quae excuſa eſt *Venetiis*. 1582. *apud Joannem Variſcum. in* 4. Ex. D. Joanni e Zunica Principi Petraeperſiae, & Majori Caſtellae Commendatori, & in Neapolitano Regno Proregi dicatam.

Scripſit quoque Italice *Invectivas Orationes, & diſcurſus* ſuper diverſis Materiis ad varios inſignes viros, quibus & multa vitia reprehenduntur, & ad Morales virtutes, ſcientias, ac liberales artes accenduntur, atque exhortantur, excus. *Venetiis*. 1592. *apud Damianum Zenarium. in* 4. Exc. Domino Mirandae Comiti Regni Proregi dicatas.

Litteras etiam italice edidit *argutas, ac facetas*, quae excuſae ſunt ...., dein ab Auctore recognitae, & aliis litteris auctae impreſſae ſunt *Venetiis. apud Danielem Zanettum*. 1601. *in* 4.

CAEſar de Vrsillis Neapolitanus Juriſconſultus, edidit profuſas, uberes ac utiles *Additiones, & annotationes ad Matthaei de Afflicto Neapolitanas deciſiones*, quae *Venetiis. anno*. 1568. excuſae ſunt *expenſis Baptiſtae de Chriſtophoro, ac Jacobi Anelli de Maria Bibliopoli Parthenopei. in* 4. Ill. & Ex. Domino Peraſanno Riberae Alcalanorum Duci, & in Neapolitano Regno Proregi dicatae; item *ibidem. anno*. 1574. *in* 4. & 1585. *in fol.* ſimul cum iiſdem Deciſionibus Afflicti, & alibi pluries.

CAius Crispus Salustius ex Amiterno vetuſta, atque inſigni in Veſtinis Civitate (ex cujus poſtmodum ruinis Aquila urbs erecta dicitur), Senator in Urbe Roma, ac Caeſaris in Aphrica Proconſul fuit; ac primus Romanae Hiſtoriae ſcriptor. Scripſit enim *de Conjuratione Lucii Sergii Catilinae. & de bello Jugurthino* a Romanis geſto. In quibus conſcribendis Saluſtius adeo excellens praeſtitit, ut merito Hiſtoricorum princeps dici, & Hiſtoricis omnibus

bus praeferri meruerit. Et ſicut Thucydides, inter Graecos, Herodotum, ac caeteros qui hiſtorias conſcripſerunt, gravitate, ac dicendi arte antecelluit; ita quoque Saluſtius apud Latinos primum locum obtinuit, ac Livium, caeteroſque longe ſuperavit. Quamobrem Fabius Quintilianus *lib.* x. *cap.* 1. *Inſtit. Orat.* videns tam in Thucydide, quam in Saluſtio verborum copiam affectu, ac ſpiritu affluentium mira brevitate preſſam, ac concinnatam; Saluſtium, ait, Thucydidi, ac Livium Herodoto aequales fuiſſe; ac Saluſtium affirmat in Romana hiſtoria principem locum obtinere.

A Seneca . . . *Thucydidi Graeco etiam, citra injuriam, praeclarus.*

Martialis *lib.* XIV. *epigr.* 168. in antiquis editionibus 190.

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Criſpus Romana primus in hiſtoria.

A S. Auguſtino *Egregius nobilitate veritatis hiſtoricus* appellatur.

Vellejus Paterculus *lib.* II. *hiſt. Roman.* ait, *ſuo tempore floruiſſe Saluſtium Thucydidis aemulum, atque a Livio Saluſtium fuiſſe conſecutum.* Macrob. *lib.* v. *Saturnal. cap.* 1. ex Euſebio ait, *Saluſtium in genere dicendi breviſſimo dominari.*

Juſtus Lipſius in notis *ad lib.* 1. *Politicorum*, Thucydidis, & Saluſtii judicium fecit hunc in modum: *Thucydides, qui res nec multas, nec magnas nimis ſcripſit, qui multas, & magnas. Elocutione tota gravis, & brevis, denſus ſententiis, ſanus judiciis, occulte ubique inſtruens, actiones, vitamque dirigens, orationibus, & excurſibus pene divinus. Quem, quo ſaepius legas, plus auferas, & numquam tamen dimittat te ſine ſiti.* (& paucis omiſſis) *Alter eſto C. Salluſtius omnino primus, ſi libros modo ejus haberemus. Sed hiſtoriarum corpus illud totum periit, & ex his pauculis admirari eum magis libet, quam anxie indicare. Illud video Thucydidi ſimillimum eſſe, & ideo, quae de illo dixi, dixiſſe hic me puta.*

Franciſcus Patricius Senenſis *de Regno & Regis inſtitutione fol.* 25. ait, *Aſinius Pollio librum in Criſpum Saluſtium ſcripſit, arguens in illo nimiam obſcuritatem, & audaciam quandam nimiam in translationibus, & figuris. Monuit quoque eum, ut noto civili, proprioque ſermone uteretur. Quin etiam noto epigrammate vulgo inceſſebatur his ejuſdem Aſinii verſibus:*

Et verba antiqui nimium furate Catonis,
Criſpe, Jugurthinae conditor Hiſtoriae.

Suetonius quoque Tranquillus *de illuſtr. Grammaticis Cap.* 9. ait, *Aſinium Pollionem librum ſcripſiſſe, in quo Saluſtii ſcripta reprehendit, quod nimia priſcorum verborum affectatione uſus ſit.*

Sed certe quod Aſinius Pollio Saluſtio exprobrat, ab aliis gratiae, & lepori, & concinnitati ejus tribuitur. Aulus enim Gellius *lib.* 1. *cap.* 15. *concinnum verborum novatorem Saluſtium appellat.*

De Saluſtio tandem hoc judicium communiter a ſcriptoribus habetur quod nempe preſſo, ac nitido ſtilo, ac dicendi majeſtate ſcripſerit; & brevitatem ſit feliciter aſſecutus, ut in eo mira brevitas, & rerum ubertas commendetur: adeo ut ſine ſententiae detrimento nec verbum quidem unum, aut ſyllaba ab ejus oratione poſſit demi, aut detrahi. Scripſit enim numeroſe, & pluſquam requirebatur in hiſtoria conſcribenda, ut fere obſervatione veluti carminis lege, ac numero, verborum ſeries ſit collocata; & creber rerum frequentia eſt, ut prope ſententiarum numero verborum numerum ſequatur; ita verbis, quorum novator dictus eſt, concinnus, & elegans, ut neſcias utrum res verbis, an verba rebus illuſtrentur, & omnino rebus magis, quam verbis redundans.

Saluſtii vitam Joannes Gryſoſtomus, ac Pomponius Laetus conſcripſerunt, quae ejus Operibus praefixa eſt, ac ipſius, quae extant Opera *de Conjuratione Catilinae, & de bello Jugurthino*, & in Ciceronem *Invectivae*,

Digitized by Google

vae, & quaedam *Conciones e libris Bellorum Civilium*, cum librorum etiam, qui deſiderantur, *Fragmentis*, pluribus in locis, ac variis formis excuſa ſunt, cum doctiſſimis commentariis, caſtigationibus, ac ſcholiis virorum inſignium.

Moritur hic Triumviratus tempore.

Caius Trebatius, Juriſconſultus, Ciceronis familiaris amicus, cujus opera Trebatius intimam Caeſaris familiaritatem adeptus eſt; utque ei Militum Tribuni ſtipendia, nullo etiam militiae labore, exolverentur. Idemque Cicero *Ariſtotelis Topicorum libros* ex Graeco in latinum tranſtulit, quos Trebatio nuncupavit; ad quem quoque plures extant Ciceronis Epiſtolae. Itaque pluribus in locis appellat eum Trebatium Teſtam, nempe . . . *lib.* VII. *epiſt.* 13. 21. & 22. Cornelii Juriſconſulti diſcipulum fuiſſe Trebatium, idem ait *lib.* VII. *epiſt.* 8. At ex l. prima ff. tit. 2. apparet, quod Caeſar Trebatium conſulebat; id quod etiam affirmat Cic. *lib.* VII. *epiſt.* 13. *Audi, mi Teſta, utrum ſuperbiorem te pecunia facit, an quod te Imperator conſulit? Moriar (ni quae tua gloria eſt) puto te malle a Caeſare conſuli, quam inaurari*. Conſtat Ciceronis opera, Caeſaris familiaritatem obtinuiſſe. *epiſt.* 8. In Brittaniam provinciam miſſum *epiſt.* 6. & 7. *libri* VII. & ſequenti *epiſt.* 8. Cic. modeſte eum reprehendit, quod Tribunatum Militum a Caeſare ei delatum recuſaverit. Idem *lib.* VII. *epiſt.* 11. videtur innuere Trebatii diſcipulum fuiſſe in legali facultate, dum ait, *ſatis ne tibi videor abs te jus civile didiciſſe?* At in *epiſt.* 105. *lib.* VII. magnum teſtimonium de eo ad Caeſarem ſcribens perhibet, atque commendat illi Trebatium diligentiſſime, ac vocat *Trebatium meis communibus ſtudiis, & beneficiis quam ornatiſſimum*: dein de eodem ipſo loquens, ſic ait: *De quo tibi homine haec ſpondeo, non illo vetere verbo tuo, quod cum ad te de Milone ſcripſiſſem, jure luſiſti: ſed more Romano, quomodo homines non inepti loquuntur, probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem eſſe neminem. Accedit etiam, quod familiaritatem inducit, in jure civili ſingularis memoria, ſumma ſcientia*.

Fuit autem Trebatius natura facilis, jocoſus, ac facetus, ut ex Ciceronis ad eum epiſtolis, quibus nil feſtivius fieri poteſt percepimus. Fuit is ex *Helia* ſive *Elea*, ſive *Velia* civitate in Lucania prope Silarum, juxta ſinum Poſidoniate, primaria tunc ejus regionis urbe; quae hodie vocatur *Caſtrum Maris de Bruca*, ut Camillus Borrellus in *lib. de praeſtantia Regis Philippi; cap.* 80. affirmat. At Bernardinus Ruttilius in *Vita Vet. Juriſconſultorum* Cajum Trebatium Teſtam Equitem Romanum, & Aedes Romae habuiſſe in Lupercali affirmat, & fundos, ac villam Velliae in Lucania, domumque etiam Papiranam Oppidum ipſum, & Ulubras.

Equitem Romanum vocat Geſnerus in ſua *Bibliotheca*. At fortaſſe error irrepſit, fuit enim alius Cajus Trebatius Eques Romanus, qui *de acute dictis Ciceronis* librum ſcripſit. *Carmina* quoque *invectiva in Marcum Antonium*, & *Epiſtolam* ad Ciceronem lib. XII. *Famil.* ut ex eodemmet Geſnero didicimus.

At ſunt e noſtris etiam Regnicolis, qui Trebatium e Velia minime ortum affirmant; Gabriel enim Barrius Franciſcanus lib. II. *de Antiquit.*, *& ſitu Calabriae* ait, *Helea ultra Palinurum ſita, a Silari diſtatque amne p.* XXXI. *alium quidem Trebatium Heleatem* fuiſſe ſomniat. Hac, ut quantum auguror, deceptus cauſa; quod Cicero ad Trebatium ipſum ſcribens dicit; *Veni Heleam, & vidi tua, & tuos*. quaſi vero Romani proceres villas, ac rura extra ſolum Romanum non habuerint, in quibus colonos, & rerum ſuarum habebant curatores.

Quamobrem non parum inſudavimus in patria Trebatii ex Ciceronis operibus, quae integra fere legimus, aliiſque Auctoribus inveſtiganda; ac ad credendum inducti ſumus, *Aeliam*, abſque, ullo diſcrimine, ac contradictione fuiſſe. Cicero *lib.* VII. *epiſt.* 2.

ex Velia ad Trebatium ſcribens, ſic ait: *Amabilior mihi Velia fuit, quod te ab ea ſenſi amari. Sed quid ego dicam? te, quem quis non amat Rufio; mediusfidius, tuus ea deſiderabatur, ut ſi eſſes unus ex nobis. Sed ego te non reprehendo, qui illum ad aedificationem tuam traduxeris: quanquam enim Velia non eſt vilior, quam Lupercal: tamen iſtuc malo, quam haec omnia. Tu autem, ſi me audies, quam ſoles, has paternas poſſeſſiones tenebis (neſcio quid enim Velienſes verebantur) neque Heletem nobilem amnem relinques, neque Papirianam domum deſeres: quanquam illa quidem habet lucum, a quo etiam advenae teneri ſolent: quem tamen ſi excideris, multum proſpexeris. Sed in primis opportunum videtur, his praeſertim temporibus, habere perfugium, primum eorum urbem, quibus carus ſis: deinde etiam tuam domum, tuoſque agros, eaque, remoto ſalubri, amoenoque loco, idq. etiam mea intereſſe, mi Trebati arbitror. XIII. Kal. Sext. Velia.*

Ex quibus verbis aperte colligitur, quanto amore Veliani eum proſequerentur, ac ſuadet ei ne Veliam pudeat, cum non ſit vilior, quam Lupercal (locus nempe, ſeu fundus, quem Romae idem Trebatius habebat); ac ne poſſeſſiones paternas venderet: nam Velienſes, neſcio quid verebantur, forte ne paternarum poſſeſſionum venditione omnino vellet Trebatius Veliam patriam deſerere, obliviſci, ac dedignari, cum in honorum, ac dignatum culmine conſtitutus eſſet. Quae ſi non venderentur, poſſet Civitas ipſa Trebatii praeſentia gaudere, qui aliquando bonorum, ac domus affectione allectus patriam viſere potuiſſet; & Velia ſuum Civem, etſi abſentem, ut praeſentem iudicare; & vivum teſtimonium illis eſſe Civis ſui paterna ibi bona, quae demonſtrare potuiſſet; deque tam inſigniviro in Romana Curia florenti gloriari. Suadet etiam ei Cic. optimum eſſe iis temporibus habere perfugium urbem, in qua charus ſit, ac deinde etiam ſuam domum, ſuoſq. agros. Idem Cic. *lib.* VII. *ep.* 19. ſcribit e Rhegio ad Trebatium *de Topicis* a ſe conſcriptis, ut roganti Trebatio ſatisfaceret; & inter alia ait: *Itaque, ut primum Velia navigare coepi, inſtitui Topica Ariſtotelea conſcribere ab ipſa urbe commonitus amatiſſima tua. Eum librum tibi miſi Rhegio.*

Caeterum Trebatius optimus fuit Juriſconſultus ſumma eruditione, ac ſingulari memoria praeſtans; etſi peritior juris ſcientia, quam eloquentior. Illud enim non eſt praetermittendum, eodem tempore, quo Trebatius claruit, fuiſſe etiam Caſellium, atque Offilium magni nominis Juriſconſultos; ex quibus Trebatius peritior, Caſellius eloquentior, & Offilius utroque doctior fuit, ut habetur in l. 2. §. *Servius autem prope finem ff. de Origine juris.*

In magno quoque honore Trebatium fuiſſe Octavii Auguſti aetate, ex Horatio poëta conjecimus: quandoquidem in Satyra, quam ad eum ſcribit *lib.* II. *Sermon. patrem optimum, ac doctum* appellat. Non deſunt etiam, qui eum inter poëtas adſcribant, quod & Horatius innuere videtur, niſi is ſit alius, quem diximus, Trebonius.

Citatur ab Aulo Gellio *lib.* VI. *Noctium Atticarum cap.* 12. *Trebatius in* 2. *lib. de Religionibus*. Multos quidem libros in jure Civili ſcripſiſſe & *de Religionibus* XI., ſed ejus opera non nimis lectitari ſolita ſcribit Pomponius ex Ber. Rutilio in ejus Vita. Trebatii Diſcipulus commemoratur Antiſtes Labeo inſignis Juriſconſultus; qui Octavii Imperatoris temporib. floruit, ut Gellius *lib.* XIII. *cap.* 12. Aymanas Rivallius *Hiſtor. Juriscivilis. lib.* V. Marcus Mantua Patavinus in lib. *de viris illuſtribus Juriſprudentiae n.* 28. & Bernardinus Rutillius teſtantur in ejus Vita. A Juſtiniano Imperatore magnopere commendatur *Inſtitut. de Codicillis*. De Trebatio etiam Alexander ab Alexandro *Genial. dierum lib.* VI. *cap.* 23.

CA-

Calixtus Neapolitanus Ordinis Min. Obſervant. Sacrae Theologiae profeſſor, edidit librum *de Triplici ſtatu Animae humanae*, juxta Theologorum, ac Philoſophorum principia; cujus prima, ac ſecunda pars libri primi in lucem prodierunt *Romae. ex Officina Joannis Martinelli. anno.* 1586. *in* 8. domino Ferdinando Medices S. R. E. Cardinali, ac ejus Ordinis protectori dicatae. Ejus libri meminerunt Petrus Rodulphius Foſſinianenſis in *hiſt. Seraph. lib.* III. *fol.* 310. & Anton. Poſſevinus *in primo vol. Apparat. Sacri.*

Calo Calonymus Neapolitanus, Hebraeus, eo tempore Neapoli floruit, quo Civitatem, ac Regnum Neapolitanum Judaeorum magna copia incolebat; qui dein Avorum noſtrorum temporibus, inde pulſi ſunt. Philoſophus fuit, ac Mathematicus inſignis, Latina, Hebraea, ac Arabica lingua peritiſſimus; tranſtulit ex Araba in latinam linguam *Averrois librum*, qui inſcribitur *Deſtructio deſtructionis Philoſophiae Algazaelis*, & Tractatum ejuſdem *de Animae beatitudine*, & Epiſtolam *de intellectu*, quae idem eſt cum ejus libelli parte; quaeque omnia excuſa ſunt *Venetiis. apud Iuntas. anno.* 1552. *in* 4. cum Ariſtotelis, & Averrois operibus, & aliis pleriſque in locis, quaeque in IX. volumine Operum Averrois habentur.

Idem tranſtulit in latinam linguam *Alpetragii Arabi Theoriam planetarum*, phyſicis rationibus probatam, ubi tueri nititur apparentias in motibus planetarum abſque eccentricis, ac epiclycis; quam is Calo Domino Joanni Michaëli de Gibertis Veronenſi Epiſcopo dicavit: excuſa eſt autem in opere Magno *de Sphaeris. Venetiis. apud Lucam Antonium Iuntam. anno.* 1531. *in fol.*

Item ſcripſit *de Mundi Creatione*, phyſicis rationibus probata, lib. III. impreſs. *Venetiis. anno.* 1527. *per Bernardinum de Vitalibus. in fol.* ut ex ſupplemento Epitomes *Biblioth.* Geſneri.

Lucas Gauricus inſignis Aſtrologus in Oratione, quam in Ferrarienſi Academia habuit *de Laudibus Aſtrologiae*, dum Mathematicas diſciplinas publice profiteretur anno 1507. inter alios recentiores, qui plurimum in Aſtronomia tum ſcribendo, tum interpraetando profecerunt, atque excellentem in Aſtrologia operam navarunt, *Calo Calonymum* Parthenopeum, inter *Arabes*, ſive *Caldeos* enumerat.

Camillus Borrellus ex Oliveto in Lucania oppido, Juriſconſultus inſignis, qui Eques Auratus, ac Palatinus Comes, dein Judex Magnae Curiae in Civilibus fuit; in poëtarum latinorum, ac veterum Romanorum, atque hiſtoriarum, & variae Antiquitatis, & eruditionis libris abunde etiam verſatus eſt. Edidit multa tum ad legalem facultatem, tum quoque ad variam eruditionem pertinentia; ſcripſit namque:

Tractatum *de Compromiſſis, ad pragm. Regis. Fed. L. odia litium*, & ſequentes, *ſub titulo de Compromiſſis, inter Conjunctas perſonas faciendis*; in quo omnia ad arbitrorum, arbitratorumq. negotium quovis modo ſpectantia, a nullo hactenus ita perfecte digeſta, & compilata declarantur. Qui editus eſt primo *Venetiis. anno.* 1524. *apud Franciſcum Rampazetum*, dein *ibidem.* 1597. *apud Ioannem Baptiſtam & Ioannem Bernardum Seſſam. in* 4. *&* *anno.* 1599. *ibidem.*

Scripſit quoque optimas *Additiones, ac Suppletiones ad Petrum Bellugam Valentinum in Speculo Principum*, quae cum Bellugae Opere excuſae ſunt *Venetiis. anno.* 1580. *apud Felicem Valgriſium. in fol.*

Conſiliorum, ſive *Controverſiarum forenſium* centuriam primam, quam Philippo II. Hiſpaniarum Regi dicavit, excuſa eſt autem *Venetiis. anno.* 1598. *apud Joannem Guerilium. in fol. & Francofurti. apud Palati-*

Digitized by Google

latinum. 1598. *in fol.* hoc titulo inſignita; *Controverſiae forenſes, ſive Conſultationes juridicae*.

In Secundo Volumine *Conſiliorum illuſtrium; & celebriorum Iureconſultorum, & diverſarum Accademiarum hoc tempore florentium in Hiſpania, Italia, Germania, aliis nationibus datorum, hactenus nullibi publicatorum*, impreſſo *Francofurti. apud Wolfgangum Richterum. anno.* 1603. *in* 4. habentur excuſa Septem *Conſilia Camilli Borrelli* Olveſani J. C. Celeberrimi ex ejus primo volumine.

Abſolvit quoque *ſecundam* ejus *Conſiliorum Centuriam*, quae adhuc in lucem edita non eſt; ſed eo vivente Venetias traſmiſſa, ut imprimeretur in Junctarum Thipographia, quae adhuc tamen in lucem non prodiit.

Edidit quoque tractatum *de Magiſtratuum Edictis*, IV. libris diſtinctum. In primo complectitur omnia, quae in Magiſtratibus, & Superioris in regimine conſtituti perſona ponuntur. Secundo quae in editione legis, edicti, conſtitutionis, aut pragmaticae requirantur. Tertio edicta magis uſualia, practicabilia, ac neceſſaria pro optimo quodam regimine. Quarto quaedam particularia Edicta, quae a principibus, & aliis ſuis ſubditis fieri ſolent, impreſs. *Venetiis. apud Iuntas*. 1620. *in fol.* Excellentiſſimo D. Joanni Alphonſo Rimincellio Benaventae Comiti primario dicatum; ſecundario vero Ampliſſimo Ordini Mediolanenſis Senatus.

Summam Deciſionum univerſarum totius Chriſtiani Orbis rerum omnium judicatarum, quam in IV. Volumina diſtinxit, quorum primum excuſum eſt *Venetiis. apud Iuntas*. 1618. *in fol.* Sereniſſimo Domino Franciſco Mariae de Ruvere Urbinatium Duci dicatum. Secundum vero volumen *Venetiis* quoque prodiit ex eadem *Iuntarum thipographia. anno*. 1623. *in fol.* Sereniſſimis dominis Ferdinando Auſtrio S. R. E. Cardinali, Archiepiſcopo Toletano, Hiſpaniarum Primati, & Carolo Auſtrio fratribus Hiſpaniarum Principibus dicatum. Tertius item tomus excuſus eſt *ibidem. apud eoſdem. anno*. 1627. *in fol.* Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Antonio Alvarez de Toleto Duci Alvae in Regno Neapolitano Proregi dicatus.

De Regis Catholici praeſtantia, ejus regalibus juribus, ac praerogativis Commentarios. Opus, (ut inſcriptio ſe habet, ac revera eſt) novitate rei jucundum, doctrinarum, ac ſcientiarum varietate perſpicuum, authorum, ac ſcriptorum varietate eleganter, ac laborioſe diſpoſitum. In quo ejuſdem Regis Regnorum, ac dominorum ſuorum jura, privilegia, & praerogativae enucleantur. Omnia inſuper jura Regalia, cum in Feudorum libris, tum alibi diſperſim tradita ad ſupremos Principes pertinentia digeſtis per ampliſſimos Commentarios locis, novo, miro, pulchroq. ordine declarantur.. Qui Philippo III. Hiſpaniarum Regi dicati, *Mediolani; ex Officina Hieronymi Bordoni. anno*. 1611. prodierunt *in fol.*

Commentarios in Arbores Crhonologiae Auſtriacae, & Gothorum, ac Luſitaniae Regum, in quibus brevi verborum compendio, ordinata ſerie, Vitae Principum, eorundem familiarum, eorumque geſta per mille, & trecentos circiter annos ſcripta reperiuntur, ad Philippum III. Regem Catholicum, & Margaritam Auſtriacam Reginam conjuges; Impreſſ. *Neap. anno*. 1609. *apud Joannem Dominicum Roncaliolum. in* 4.

Commentarius de Hiſpanica Catholici Philippi IV. *Hiſpan. Regis ad Summum Pontificem legatione*, impreſſ. *Neapoli*. 1627. *apud Aegidium Longum. in fol.* eidem Philippo IV. Hiſpan. Regi dicatus.

Scripſit Italice *Diſcurſum Catholicum, & Apologiam hiſtoricam ex veteri & novo Teſtamento excerptum, ſuper judicio habito circa ſententiam illam Pilati in Jeſum Chriſtum latam, quae paucos ante annos Aquilae in Aprutinis reperta dicebatur*, excuſ. *Neap. apud Horatium Salvianum. anno*. 1588. *in* 4. ad Sixtum V. Rom. Pontif.

Quae autem Author conſcripſit, & adhuc

hæc in lucem edita non habentur hæc ſunt: *Tractatus, ſive Commentarii de Feudis dignitatum libri III.* qui, cum eſſet jam perfectus, ac omnibus numeris abſolutus, illumque Auctor in lucem proferre paraſſet, ab humanis deceſſit. *Obſervationum ad jura Regni Neapolitani liber primus. Neanologia, ideſt nova Legalis ſermocinatio. Northmannorum Principum Hiſtoria.*

CAMILLVS DE CVRTE Neapolitanus Juriſconſultus primarius, prius Cauſarum patronus, deinde regii patrimonii Advocatus; poſtmodum Regiae Camerae Summariae Praeſidens, & in Regno Neapolitano Vicecancellarius: demum in Supremo Italiae Conſilio Regens apud Philippum III. Hiſpan. Regem, poſtremo vero Sacri Regii Conſilii Neapolitani in Regno Praeſidens. Vir quippe fuit doctrina, ac vitae innocentia irrefragabilis, Feudorum jura in almo Neapolitano gymnaſio per plures annos, eſt interpretatus.

Conſcripſit *Diverſorium juris feudalis* duobus voluminibus diſtinctum; in cujus priori parte diſtricte termini omnes Feudorum dum eriguntur, continentur, ac deciſiones quamplurimae per regia tribunalia multis abhinc annis edita, & praeſertim, quae in eodem tribunali regiae Camerae, quamdiu ibi verſatus eſt, factae ſunt, explanatam materiam, tam jure Communi attento, quam jure Regni reperiet quiſquam. Edita eſt autem prima pars *Venetiis. anno. 1603. apud Georgium Variſcum, & ſocios. in fol.* eidem Philippo III. *Hiſpaniarum Regi* dicata. Secundam vero partem in lucem edidit *Neapoli. anno. 1605. apud Conſtantinum Vitalem. in fol.* quae a Romana Eccleſia prohibita eſt; continet enim aliqua, quae inter Regiam, ac Pontificiam juriſdictionem altercantur.

CAMILLVS DE MEDICIS, etſi in Graniano inſigni, ac celebri Campaniae oppido (quod decimo octavo ab urbe Neapoli diſtat lapide) natus; de vera tamen Medicea familia, e qua Etruriae Duces orti ſunt, progenitus eſt. Ejus enim Majores, & aliquot alii ejus familiae viri ſuperioribus ſaeculis e Florentia egreſſi ob bellorum turbines, ac Civium ſimultates, patriam deſerentes, Granianum, Stabias, ac Neapolim conceſſere; ubi eorum ſedem fixerunt nobiliter viventes, ac praeclaris magiſtratibus, & publicis muneribus, ac dignitatibus exornati, feudis, ac bonorum opulentia ditati, ac nobilium familiarum affinitate praefulgentes priſtinum, ac gentilitium familiae decus, ac ſplendorem, & inſignia ſervantes, retinuerunt.

Camillus hic autem noſter Neapoli legali facultati operam navavit, in qua ſummopere praeſtitit, & in foro diu verſatus ſummum locum adeptus eſt; tum ob ſingularem ejus doctrinae praeſtantiam, tum ob ipſius ſubtilitatem, ac ingenii magnitudinem, & judicii acrimoniam; tum quoq. ob ſummae eloquentiae laudem, quae in eo ſingulariter efflotuit, adeo ut nedum ſuae aetatis Juriſconſultos omnes, ſed ſuperioris quoque longe ſuperavit, ut omnes illum ſummopere admirarentur, ac ſuſpicerent. Summa quoque fide praeſtitit, integritate, ac morum ſuavitate; quibus de cauſis apud ſupremos Italiae viros, & praeſertim Regni Neapolitani Proreges, Hiſpaniae Proceres, S. R. E. Cardinales, ac liberos totius Italiae Principes in magno honore, ac exiſtimatione ſemper fuit; ſed in primis apud magnos Etruriae Duces Franciſcum, & Ferdinandum Medices, quibus addictiſſimus ſemper vixit. A Ferdinando enim Medices Duce, in Equeſtris Ordinis Sancti Stephani militem adſcriptus eſt, ejuſque habitu inſignitus; qui addidit Commendam aureorum ſexcentum in ſingulos annos; a quo dein creatus eſt Praeceptor, ſive Commendatarius, & Quaeſtor, ſive Tribunus ejuſdem Religionis. A Philippo II. Hiſpaniarum Rege Advocatus Fiſcalis regii patrimonii in hoc Regno adlectus eſt; deinde

de Regius Conſiliarius in Capuano Senatu; quas ſupremas dignitates is modeſte renuit, tum quod ab omni ambitionis labe alienus eſſet, tum vero ob corporis imbecillitatem: ob quam tantis oneribus, ac laboribus ſatisfacere non poſſe arbitraretur.

Poſt ejus mortem ex quamplurimis *Legalibus Conſiliis, ac Juris reſponſis*, quae in gravioribus cauſis patrocinandis conſcripſit, quaedam hinc inde collecta ſunt penes ſupremos Magiſtratus a Domino Fabio Capicio Galiota ejus genero, Juriſconſulto praeclariſſimo, ac regio Conſiliario, & in juſtum volumen compacta in lucem edita ſunt, ta quam e Creſi divitiis obulus remanſus; e quibus veluti ex unguibus noſcitur leo. Prodierunt autem, cum ipſius Fabii additionibus, & illius Vita, ex qua haec excerpſimus *Neapoli. ex Officina Dominici de Ferdinando Maccarano. anno. 1623. in fol.* Sereniſſimo Domino Ferdinando II. Medices Magno Etruriae Duce ab eodem Fabio dicata. Obiit autem Neapoli 14. Idus Aprilis. 1598. aetatis ſuae 55. & in ſacra aede Sanctorum Severini, & Soſſii PP. Caſſinenſium in proprio Sacello ſepultus eſt, in qua haec legitur inſcriptio in marmore inciſa:

CAMILLO EX MEDICEA MAGNORVM AE
TRVRIAE DVCVM GENERE EQVESTRIS MILI
TIAE DIVI STEPHANI DIGNITATE ORNATO
IVRISCONSVLTO INSIGNI SEIVNCTAS QVI PER
TOT SAECVLA SCIENTIAM IVRIS ATQVE ELO
QVENTIAM IN CAVSIS PATROCINANDIS SVM
MA CVM LAVDE CONIVNXIT OBLATISQVE
VLTRO A PHILIPPO II. REGE SAPIENTIS
SIMO AMPLISSIMIS MAGISTRATIBVS MA
GNA ANIMI MODERATIONE ABSTINVIT
IN QVO SEIPSO MAIOR APPARVIT VIRO
EX TOT NOMINIBVS B. M. LAVRA VRSI
NA CONIVX P. C. AN. M. D. C.

CAMILLVS PEREGRINVS Capuanus Presbyter ſaecularis, & majori Capuanae Eccleſiae Primicerius, vir in politioribus ſtudiis, & Italica praeſertim poeſi valde exercitatus Torquatum Taſſum in ſua *Hieruſalem liberata* ex eo genere ſcribendi ſummopere commendat, atque eum Ludovico Arioſto in ſuo *Orlando Furioſo* praetulit. At Academia Florentina, quae *de Cruſca* vocatur, non patiens Ludovico Arioſto Taſſum praeferri, librum ſcripſit, adverſus Peregrinum, qui ſic inſcribitur: *Riſpoſta dell' Accademia della Cruſca al Dialogo di Meſſer Camillo Pellegrino, intitolato il Carafa, ovvero dell' Epica poeſia. Stracciata prima.*

Is vero Camillus apologeticum librum illico edidit longe doctum, ac validiorem, adverſus eos Academicos in ſui ipſius, & Taſſi defenſionem, quem ita praetitulavit: *Replica di Camillo Peregrino alla Riſpoſta degli Accademici della Cruſca fatta contra il Dialogo dell' Epica poeſia in difeſa, e contra dell' Orlando furioſo dell' Arioſto.* qui excuſus eſt in *Vico-Aequenſi. apud Joſephum Cacchium. 1585. in 8.* Domino Aloyſio Carrafae Hoſtiliani Principi dicatus.

Adverſus quem ea Accademia alium librum emiſit, hoc titulo adjecto: *Lo 'Nfarinato ſecondo, ovvero dello 'Nfarinato Accademico della Cruſca Riſpoſta al libro intitolato Replica di Camillo Peregrino, & nella quale Riſpoſta ſono incorporate tutte le ſcritture paſſate tra detto Pellegrino, e detti Accademici intorno all'Arioſto, e al Taſſo in forma, e ordine di Dialogo, con molte difficili, curioſe, e gravi, e nuove queſtioni di Poeſia, e loro diſcioglimenti.* Impreſſ. *Florentiae. apud Antonium Paduanum. 1581. in 8.*

Quare factum eſt, ut adverſus Taſſum, & Camilli libros, atque item contra Accademiam, & Arioſtum innumeri pene libri a variis auctoribus hinc, inde conſcripti ex univerſa Italia editi fuerint in ea quaeſtione, an ſit Taſſo Arioſtus praeferendus, vel contra, ut inferius in Taſſo dicemus. Elucubravit quoque Camillus hic complures *Rithmos*, quorum aliqui excuſi ſunt in libro, qui inſcribitur, *Delle Rime di D. Benedetto dell' Uva, Gio: Battiſta Attendolo,* &

Digitized by Google

& *Camillo Peregrino*, quibus additus eſt alius ejus libellus, qui ut diximus, nuncupatur, *il Carrafa*, o *vero dell'Epica poeſia di Camillo Pellegrino*, & Illuſtriſſimo Marco Antonio Carrafae dicatus; quae quidem omnia excuſa ſunt *Florentiae*. *in Officina Sermartelliana*. 1584. *in* 8. Scipionis Ammirati cura, qui illos Domino Aloyſio Carrafae Hoſtiliani Principi dicavit.

Obiit autem Camillus Capuae anno 1603. ac in majori Eccleſia ſepultus eſt, ubi haec legitur inſcriptio:

CAMILLO PEREGRINO MVSIS PRAECLARO PIETATE INSIGNI FAMILIAE ET PATRIAE SVAE ORNAMENTO POMPEIVS DE CORVS NEPOS. P. A. D. MDCIII.

AD PATRIAM LAETVS REDIENS PEREGRINVS AB ORBE PONDERE DEPOSITO DVLCE LEVAMEN HABET.

CAMILLVS PEREGRINVS, alter Alexandri filius, patricius Capuanus, vir eruditus, ac variae, & accuratae lectionis, edidit ſummis ingenii viribus, & laboribus librum, quem praetitulavit *Hiſtoriam Principum Longobardorum*, & in tres partes diviſit. Prima continet antiqua aliquot *Opuſcula de rebus Longobardorum Beneventanae olim Provinciae* (quae modo Regnum fere eſt Neapolitanum), quae ipſe recenſuit, ac illuſtravit, & Eminentiſſimo Principi Franciſco S. R. E. Cardinali Barberino dicavit. Libri vero ſecundi partem primam, quae continet *Diſſertationes de inſtitutione, finibus, & deſcriptione antiqui Ducatus Beneventi*, Illuſtriſſimo Domino Camillo Melcio Archiepiſcopo Capuano, & Nuntio Apoſtolico apud Caeſaream Majeſtatem nuncupavit. Reliquae duae partes praefati libri ſecundi continet *Diſſertationes, & Canones Chronicos* in ipſa prima parte promiſſos; tertius liber continet *duos Indices* alterum nominum propriorum in opuſculis primi libri comprehenſorum; alterum vocabulorum obſcuriorum, cum eorumdem nominum, & vocabulorum expoſitione.

Edidit *Seriem Abbatum Caſſinenſium per annos ab Abbate Petronace Brixiano, ad Abbatem Rainaldum Calamentanum*, ſcil. *ab an.* 750. *ad annum* 1137. in qua omnis temporum ratio de iis tradita a Leone Cardinali Oſtienſi, a Petro Diacono Caſſin. & ab aliis antiquis expenditur; illaque ſtatuitur, quae ordine procedit imperturbato, & eidem Cardinali Franciſco Barberino dicavit.

Caſtigationes inſuper *in Chronicam Lupi Prothoſpatae, Anonymi Caſſinenſis, & Falconis Beneventani*. *Diſſertationes* nonnullas Italica lingua. Quae omnia excuſa ſunt *Neapoli*. 1643. *apud Franciſcum Savium*. *in* 4.

CAMILLVS PORTIVS Neapolitanus, Simonis Philoſophi celeberrimi, de quo inferius, ſuo loco dicemus, filius; ut fertur aliquando Romanus vocatus, eo quod Romae diutius fuit: carmine, & ſoluta oratione nonnulla ſcripſit. Edidit enim Italica pedeſtri oratione *de Conjuratione Baronum adverſus Ferdinandum* I. Siciliae Regem, libros III. preſſe equidem, perpolite, *in* 4. Domino Carolo Spinello Seminariae Duci dicato. Opus quidem dignum, ut recudatur.

Scripſit quoque quaedam carmine, quae adhuc non vidimus. De eo Lilius Gregorius Gyraldus in hiſtor. poëtarum *dial.* I. *de poëtis noſtri temp.* ſic ait: *Camillus Portius Romanus, grandis quidem, & magnificus; pedeſtri tamen oratione, & concionibus magis aptus, quam verſibus*.

In I. *vol. Catalogi librorum*, qui in nundinis Francofurti venales extiterunt *fol.* 601. inter poëtarum libros, habetur mentio libri cujuſdam, qui inſcribitur: *Pugna Porcorum Portii Poëtae, in qua ſingulae dictiones a littera P. incipiunt*, excuſ. *Francofurti*. *anno*. 1566. *in* 8. Et quamvis eum librum adhuc minime viderimus, attamen forte eſt Camilli hujus Portii.

Digitized by Google

CAMILLUS QUERNUS Monopolitanus ; Apulus poëta, cum ex fama audiſſet Romae Leonem x. Rom. Pontif. poëſi valde delectari, ac magno in honore habere poëtas, eoſque omnes magnis praemiis afficere, Romam properavit. Cumque Romanae Academiae ſe exhibuiſſet, atque ejus Academici cernentes virum tam promptum, ac carmine extemplo canentem, & hilarem, vultu perpingui (utpote Apulum) & capillis perlongis, dignus eis viſus eſt, ſi ſtiva laurea corona eum decorare. Quamobrem ſolemni convivio parato in inſula Tiberina, quae Aeſculapio dicata eſt, & Camillo invitato, ubi poſt potatos ab eo innumerabiles, ac maximos vini cyathos, innumeros canendo verſus, adhibitis tibicinibus, cum omnes ingenii ſui vires oſtendiſſet, illum coronarunt novo ſerti genere. Erat enim corona e pampinis lauro, aliquot braſſicae, ſeu caulorum foliis contexta. quibus ſingulari gratia, ac ſolertia oſtendebatur ejus ebrietatem cohibendam eſſe illis remediis, quae valde ad id proſunt. Iſque tam hilaris effectus, ut ex ejus oculis lacrymae effluerent, & communi omnium conſenſu *Archipoëtae* cognomen ei dederunt; & ſic ab omnibus fuit ſalutatus, maximo plauſu, & repetitis ſaepius a ſingulis in ſalutando aliquot verſibus.

Cumque paulo poſt valde inclaruiſſet, ac celeber eſſet effectus. pro tanto cognomine, ad eundem Leonem ductus, coram incredibili velocitate, ac numquam ceſſans infinitum carminum numerum, more torrentis, optime cecinit. Quare Pontifici deinceps, ac diu ſuper omnia gratiſſimus extitit; dilectam, & doctam voluptatem aſſiduo illi afferens. Etenim dum is Pontifex comedebat de mane, ac ſero ſolitus erat porrigere eidem Camillo bonos aliquot bolos, quos pro ſe nolebat, iſque feneſtrae cuidam inhaerens, illos comedebat, vinum bibens de ipſius Pontificis lagena. Tandem idem Leo ei juſſit, ut mane & ſero pro tributo in ejus menſa caneret duas tantum compoſitiones de eo ſubiecto, quod ſibi praeſcriberetur, pacto adjecto, ut ſi ineptae, inſulſae, & non perfectae eſſent, bibere debuiſſet in toto paſtu vinum limphatiſſimum. Cumque die quadam ab eo Pontifice ei juſſum fuiſſet, ut aliquid de ſe diceret, Camillus in hunc verſum erupit

Archipoëta facit verſus pro mille Poëtis.

at Papa illico, prompte, & argute ſubjunxit hoc pentametrum

Et pro mille aliis Archipoëta bibit.

Tunc maximus riſus circumſtantibus exortus eſt, & multo major cum Quernus totus ſtupidus, & nequaquam pavidus ſapienter adidit hunc alium verſum

Porrige, quod faciat mihi Carm. docta Falernum.

At mortuo Leone Papa anno 1521. ideoque miſeris poëtis contritis, ac confractis, Camillus Neapolim reverſus eſt; dum Galli armis perſtreperent, ac Neapolitanum Regnum infeſtarent, infinita damna inferentes. Et, ut is ſaepius dicebat, repertis, loco benigni Leonis, multis efferis Lupis, oppreſſus omni miſeriae genere, nempe ab extrema paupertate, & incurabili aegritudine, gutta videlicet (in quam ob nimium cibum, ac potum incurrerat) vitam terminavit in publica hoſpitali domo; ubi ex indignatione ventrem ſibi, ac intima viſcera forfice perfodens, miſerabiliter obiit. Haec Jovius in Camilli hujus elogio, inter *illuſt. litt. vir. Elogia*. At Jovius nimis acerbe habet Camillum hunc, dum ſentire, ac pro certo habere videtur coronationem hanc, & lauream Camillo traditam, cum Archipoëtae nomine, tituloque ab Academicis excogitatum ob ſolatium, & ridendi, ſive potius irridendi cauſa, ſub honoris colore, Apulum Hilarem, & pingui, & rotunda facie, & rudem, & tot verſus extemplo canentem, & immoderati vini potorem; cum alii ejuſdem temporis Scriptores ea ſerio fuiſſe geſta juſſu ejuſdem Pontificis dixerint, vel eo Pontifice annuente.

Lucas Gauricus Aſtrologus ea tempeſtate illu-

Digitized by Google

illuſtris in *tract. 2. de Nativitat. in ſchem.* ſeu genitura Leonis x., quae habetur in 2. *Vol.* ejus Operum, ait, eundem Leonem fuiſſe poetam egregium viris doctis munificentiſſimum. Erat enim alter Maecenas, omiſſis propemodum infinitis viris litteratis, quos affluentiſſimis muneribus, & beneficiis eccleſiaſticis decorabat, Camillum Quernum Monopolitanum poëtam non obſcurum ab eodem effectum fuiſſe Archipoëtam. Cui ſingulis menſibus libenter praeſtitos voluit ducatos aureos novem, & prandium ſingulis diebus; qui quolibet mane in prandio comedebat ſupra ſcabellum urſo voracior; & dum ab aſtantibus quereret ſalem, at vitreos cyathos plenos mero nectareo ingurgitaret, Leo dixit:

Salſa juvant Quernū laetū excitantia Bacchum.

Imo idem Gauricus genituram facit ejuſdem Archipoëtae in *tract. 4. nativit.* in eodem *Vol.* 2. quem natum fuiſſe, ait, die 5. Auguſti 1470. ubi idem affirmat, ac ſuperaddit Camillum edidiſſe in honorem Beati Dionyſii heroico carmine verſus ſeptem mille, idcirco Leonem ei dediſſe cognomen Archipoëtae.

Lilius Gregorius Gyraldus in *hiſt. poët. dial. primo de poëtis noſtri temp. fol.* 398. parvi facit hunc Archipoëtam, quem inter inconditos, & malos poëtas connumerat. Et ſuperaddit immania ingurgitantem pocula a ganeone Leonis x. Pontificis, auribus, & pene naribus fuiſſe deformatum; unde dehinc parcius Pontificis menſam adiiſſe: quare ipſum Leonem adverſus illud Camilli

Archipoëta facit verſus pro mille poëtis.

addidiſſe hoc carmen

Et pro mille aliis Archipoëta bibit.

A doctiſſimis viris, & praeſtanti ingenio praeditis apud Famianum Stradam Societatis Jeſu introducitur ad celebrem Acadamiam Archipoëta hic noſter heroica canens Carmina *lib.* 11. *Proluſ. 6. poët. Acad.* 2. *fol.* 337. hunc in modum: *Dixerat, ac theatrali ſcilicet hilaritate aula perſtrepuit, ſaepiuſque repetitum, Euge poëta; ſive id fieret aulicorum ingenio Principi ubique blandientium, ſive conductis praetio acclamationibus, ſive quod aliqui id ſerio ſentirent, nec lapides interea pertimeſcerent. Certe tum primum in ea vatum corona prodire eſt auſa, & tanquam in theatra judicium multitudinis experiri portentoſa illa Poëſis; quae poſtea familiam duxit eorum, qui Camilliano exemplo Archipoëtae dicere inſtituerunt: in quos diſtricturus erat pro re nata ſtylum Sadoletus. Cum ecce repentino tubicinum, cornicinumque clangore Manliana perſonare caepit:*

Quod autem Jovius ait Archipoëtam forfice ſibi mortem conſciviſſe in publica Hoſpitali domo, id credimus non eſſe verum; ſiquidem Jovius dum tempus, quo id accidiſſe inquit, fingit, quo Galli Neapoli armis perſtrepebant (quod fuit anno 1527.); contra Camillus poſt ſedatum bellum, ac pulſis Gallis, eodem anno Carmine bellum illud cecinit: quod ab eo excuſum eſt anno 1529. ut mox dicemus. Sed quod id minime verum eſſe certius nobis ſignificat, illud eſt, quod Lucas Gauricus, qui Leonis aetate floruit, uſque ad Pauli IV. tempora, ac diutius Romae verſatus eſt, quiq. Camillo Quernae diu ſupervixit, ac ſuperſtes fuit, in genitura aſtrologica ipſius Camilli, in qua concordavit, ac contulit quicquid ſydera ei minabantur, ac praeſagiebant, cum iis omnibus, quae in ejus vita contigerant, & ſingulis ejus vitae rebus geſtis, hoc antea relatum de morte ſibi illata nihil refert. Quod ſi vere contigiſſet, ac verum eſſet, nobis non videbatur omittendum; nec Gauricum in dicta ejus genitura, quam poſt mortem Camilli fecit, tacuiſſe.

Propter quod Redella Monopolitanus Juriſconſultus in *Vita*, quam ſcripſit hujus *Camilli*, quae praefixa eſt ejus libro *de Bello Neapolitano* a Lautreco Gallorum Duce geſto anno 1527. Libros duos, teſtatur quos Carolo v. Caeſari primum dicavit, dein Antonio Sfortiae Apulorum Maecenati nuncupaſſe, excuſi ſunt *Neapoli. anno.* 1529. *apud Joannem Sulsbacchium Hagenovenſem Germa*-

 num,

Digitized by Google

num , *& Matthaeum de Canſis Bionenſem. in fol.*, & recuſi *Venetiis*. 1605. *apud Robertum Mejettum . in* 16.

Scripſit quoque heroico Carmine *Alexiados libros* III., quos ſupra viginti mille verſus Romae memoriter rotundo ore decantavit, ut Jovius, ac Rendella teſtantur. *In honorem Santi Ludovici* verſus ſeptem mille heroico Carmine , quorum meminit Gauricus. *De Diſſidiis* , *& Italiae bellis* a Caroli VIII. Gallorum Regis in Italiam adventu, *libros* XII. heroico Carmine. Alios xv. libros imparibus numeris ſcripſit *in Beatae Mariae Virginis laudem* . Carmina etiam heroica quinquaginta mille *de Deo* , *de Beata Virgine & de Sanctis* cecinit ; ſed omnium horum operum praeter illud *de Bello Neapolitano* , jacturam fecit in eo bello , cum in Vaſconum manus incidiſſet , ut idem Rendella teſtatur.

Quod autem Archipoëta plus nimio vinoſus eſſet, is optime ſciebat, ac expertus fuerat generoſum vinum valde prodeſſe poëtis ad Carmina magis , ac promptius pangenda , & componenda , ut Martialis *lib.* XI. in *epigr.* 6. ad Romam , & Diodimum in antiquis editionibus n. 7. ibi

Poſſum nil ego ſobrius , bibenti
Succurrent mihi quindecim poëtae .

Horatius quoque idem affirmat *lib.* I. *Satyr.* 3.

Nulla placere diu , nec vivere Carmina poſſunt,
Quae ſcribuntur aquae potoribus . Ut mane ſanos
Adſcripſit liber Satyris , Fauniſque poëtas .
Vina fere dulces oluerunt mane Camoenae .
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus .
Ennius ipſe pater numquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda .

Vini magnus potor fuit Aeſchylus poëta, quem *Caliſthenes* , ait , *in vino Tragoedias ſcribere* , ut Lucianus teſtatur . Plutarcus quoque in *Sympoſio* affirmat Aeſchylum ideo Tragoedias potando ſcripſiſſe , quod vini calor vim inveniendi excitet , quae in ſobriis torpet ſaepe , aliquando imagines moveat , impetumque , & fiduciam miniſtret. Quamobrem Bacchus , ut Plato , & Ariſtoteles ſcribunt , furoris deus poëtas amat; ſine quo vatis, & poëta parum proficere creduntur.

Vini appetitores fuere etiam aliquot poëtae, nempe Ariſtophanes, Anacreon, & Horatius , & alii . Ariſtoteles quoque *lib.* VIII. *de nat. Animal.* Pſyttatum loquaciorem fieri putat , ſi vinum bibat. Ut haec & alia congerit Matthaeus Radenus , in ſuis *comment.* ad Martialem *lib. primo epigr.* 25. & *lib.* XI. *epigr.* 6.

CAMILLUS DE LA RATTA Neapolitanus ex Comitibus Caſertae Juriſconſultus , Cauſarum patronus, deinde ter Judex Magnae Cur. Vicariae, tam in Civilibus, quam Criminalibus extitit . Edidit *Conſilia* , ſive *Reſponſa Legalia* , *in quibus ea, quae ad quotidianum uſum in forenſibus negotiis, & controverſiis ſpectant continentur* , *innumeris ſupremorum Regni hujus Tribunalium Deciſionibus* , *ſuis quibuſq. in locis repoſitis* , *aucta*, & Ill. ex Ex. D. Petro Giron Oſſunentium Duci , & in hoc Regno Proregi dicata , excuſa *Neapoli. anno*. 1620. *apud haeredes Tarquinii Longi. in fol.*

Edidit etiam *Theatrum Feudale* in duo Volumina diſtinctum , *quibus univerſa feudalis materia ampliſſime* , *ac dilucide pertractatur* , impreſs. *Neapoli* . 1636. *apud Dominicum Maccarranum . in fol.* Ex. D. Emanueli de Zunica & Fonzeca Montisregii , & Fontium Comiti , & in Regno Neapolitano Proregi. dicatum.

CAMILLUS SALERNUS Neapolitanus Legum doctor, ſcripſit uberes , ac perutiles *Additiones ad Conſuetudines Neapolis*, quae una cum textu earum Conſuetudinum, ac gloſſa Neapodani Sebaſtiani , aliorumque Juriſconſultorum additionibus , editae ſunt *Neapoli* . *anno* . 1567. *apud Joannem de Deis. in fol.* Nicolao Antonio Caracciolo Marchioni Vici ab eodem Camillo dicatas. Edi-

Digitized by Google

Edidit quoque in lucem *Angeli de Peruſio* ſolemnem *Repetitionem in l. ſi vacantia C. de bonis vacantibus . lib.* x. quae nunquam antea prodierat , cum ipſius *Camilli additionibus* , recuſa eſt autem *Neapoli*. 1566. *apud Raymundum Amatum , & Joannem de Boy ſocios . in* 4. quam is Camillus D. Mario de Curte Abbati Sanctae Chriſtinae dicavit.

CAMILLVS THESAVRVS ex oppido Corneti in Lucania, Caputaquenſis Diocaeſis , Philoſophus , ac Medicus , edidit *De Pulſibus libros* VI. ad Joannem Thomam Veſpulum Regiis a Conſiliis in Neapolitano Regno , qui excuſi ſunt *Neapoli. anno.* 1594. *apud Joannem Thomam Auſilium . in* 8.

CAMILLVS TVTIVVS Neapolitanus Presbyter ſaecularis edidit Italice *Memorias vitae , miraculorum , & cultus Sancti Januarii Martyris , Epiſcopi Beneventani* , ac praecipui tutelaris Civitatis Neapolis , impreſſ. *Neapoli*. 1633. *apud Octavium Beltranum . in* 4. Doctori Franciſco Antonio de Angelis electo fideliſſimi populi Neapolitani dicatus.

Notitias vitae & miraculorum S. Gaudioſi &c. quorum alter Bythiniae fuit Epiſcopus , alter vero Salerni , ac martyrii Sanctorum Fortunatae , & fratrum , ac eorum cultus , & venerationis in Civitate Neapolis , excuſas *Neapoli*. 1634. *apud Octavium Beltranum*. in 4. Eminentiſſimo Domino Franciſco Cardinali Boncompagno Archiepiſcopo Neapolitano dicatas.

Narrationem vitae, ac martyrii San. Blaſii Epiſcopi Sebaſtae , quae excuſa eſt *Neapoli*. 1635. *apud Lazarum Scorigium . in* 8. eidem Eminentiſſimo Cardinali Boncompagno ab Aeconomis Eccleſiae Sancti Eligii Majoris hujus Civitatis Neapolis dicata.

Item edidit *Dell'origine , e fundatione de' Seggi di Napoli . Del tempo in che furono inſtituiti , della ſeparazion de' Nobili dal Popolo ; Delle Leggi di ciaſchedun Seggio intorno all'aggregazion delle familie . Del cingolo militare , che anticamente , ſi dava a' Nobili , e a' Popolari , e della giuriſdizione dell'Eletto del Popolo . Del ſupplemento del Terminio , ove ſi aggiungono alcune familie tralaſciate da eſſo alla ſua Apologia . Della varietà della fortuna confermata con la caduta di molte famiglie del Regno .* impreſſ. *Neapoli . apud Beltranum* . 1644. *in* 4. D. Franciſco Baroli Caivani Duci dicatus.

CANTALYCIVS , vide *Joannem Baptiſtam Cantalycium .*

CAROLVS DE BAVCIO Capuanus ſaecularis Sacerdos Theologiae Speculativae , & Moralis Profeſſor , ac unus ex Summis Poenitentiariis in Eccleſia Neapolitana edidit *Praxim Confeſſariorum* , quae excuſa eſt prius Neapoli , deinde valde aucta , & locupletata ab auctore recuſa eſt *Neapoli* 1639. *apud Octavium Beltranum . in* 8. Domino Franciſco Boncompagno Archiepiſcopo Neapolitano S. R. E. Cardinali dicata.

De obligatione Sacerdotis , quoad bonitatem , ac ſcientiam , necnon de Sacrificio Miſſae , excuſ. *Neapoli* . 1639. *apud eundem* eadem forma , eidem Cardinali dicata.

Tractatum primum *de Miſcellaneis practicis caſuum conſcientiae* , in quo , *reperiuntur multi caſus in dies occurrentes , ubi non invenitur doctrina punctualis , non ſolum utilis ad excipiendas Confeſſiones , ſed etiam neceſſaria , praeſertim cui onus incumbit reſpondendi dictis caſibus* , impreſſ. *Neapoli . apud Franciſcum Savium* . 1643. *in fol.* Domino Aſcanio Cardinali Philomarino Archiepiſcopo Neapolitano dicatum.

Tractatum *de Judicio Vniverſali* in quo etiam agitur de variis rebus , excuſum *Neapoli*. 1640. *apud Secundinum Roncagliolum. in* 8. eidem Cardinali Boncompagno dicatum.

CArolvs Carrafa Neapolitanus Epiſcopus Averſanus, dum pro Romano Pontifice Nuncius Apoſtolicus in Germania eſſet apud Caeſaream Majeſtatem, edidit librum, quem inſcripſit *Commentaria de Germania Sacra reſtaurata ſub Summis Pont. Gregorio* xv. *& Sanctiſſimo D. N. Vrbano* viii. regnante auguſtiſſimo, & piiſſimo Imp. Ferdinando ii. qui prodiit *Averſae. ex typographia Aegidii Longi*. 1631. *in fol.* SS. Dei matri primario dicatus, ſecundo Sanctiſſimo Vrbano viii. Pontif. Obiit autem auctor hic Averſae die 3. Apr. 1644. & in ſua Eccleſia ſepultus.

CArolvs Maranta Neapolitanus Juriſconſultus Presbyter ſaecularis, cauſarum patronus in Eccleſiaſticis foris; deinde Sancti Officii ordinarius conſultor; demum Epiſcopus Juvenatienſis, edidit: *Controverſarum juris utriuſque Reſponſionum in foro cauſarum Eccleſiaſtico diſcuſſarum, & ad pias Cauſas*, volumina tria; quorum duo priora excuſa ſunt *Neapoli. anno*. 1637. *apud Robertum Mollum. in fol.* Deiparae Virgini Caeli, terraeque Reginae primario dicata; deinde Sanctiſſimo Domino Vrbano viii. Summo Pontifici. Tertium vero *ibidem. anno*. 1643. *apud Camillum Cavallum* eadem forma.

CArolvs Noce Capuanus edidit Italice Comoediam, fabulam nempe nemoroſam, quam *Cynthiam* appellavit, & Domino D. Andreae Mantiques dicavit, excuſ. *Neap.* 1594. deinde *Venetiis*. 1599. *apud ſocietatem minimam. in* 12.

Scripſit quoque Italice Rithmarium deſinentium omnium Comoediae Dantis Aligherii, quod ſic praetitulavit: *Rimario di tutte le deſinenze della Comedia di Dante Alighieri, ordinato ne' ſuoi verſi integri, de' numeri ſegnati in ciaſcuno terzetto, i quali citano i Capitoli diſtintamente dell' Inferno; del Purgatorio, e del Paradiſo*, & Domino Julio Caeſari e Capua Palmae Comiti, Conchanorum Principis, ac magni Regni hujus Admirati filio primogenito dicavit; cujus juſſu eum librum conſcripſit. excuſ. *Neapoli* 1602. *apud Joannem Jacobum Carlinum. in* 4.

CArolvs Pintvs Heracleota Salentinus, Presbyter ſaecularis, poëſi, atque humanioris litteris excultus, in Procerum, ac Religioſorum juventute inſtituenda diu exercitatus fuit. Nonnulla ſcripſit, tum carmine, tum ſoluta oratione, nempe:

De honeſtis moribus, & de latina oratione vindicanda ſupplex admonitio, & rogatum ad D. Anibalem Caracciolum Inſulanorum Pontificem, caeteroſque almi Collegii Neapolitani Patres conſcriptos, & collegas eminentiſſimos. excuſ. *Neapoli. apud Antonium Pacem. anno*. 1601. *in* 4.

Item *Philoſagius*, vel *de humanarum rerum deſperatione pro Chriſto Domino in Crucem acto*, ad Civitatem Neapolis. editus *Neapoli. apud Dominicum Tabanellum*. 1603. *in* 4.

Elegia de Communi Populi Neapolitani gratulatione in Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Joannis Alphonſi Pimentelli de Herrera Benaventae Comitis Neapolitani Proregis diu optatiſſimi, triumphali pene adventu, impreſſa *Neapoli*. 1603. *apud*. *Antonium Pacem. in* 4.

Item *Gymnaſiarcharum Solon ad Ludimagiſtros. Neapoli. apud Joannem Baptiſtam Subtilem*. 1604. *in* 4.

In S. Mariae miraculorum Civitatis Andriae in homines mirifice collata beneficia Diſtica. Neapoli. ex typographia Tarquinii Longi. 1606. *in* 4. ad Joannem Francum Patritium Caſinenſem, Sacrae Theologiae Doctorem, Can. Primicerium, & Prothonotarium Apoſtolicum.

De Vico Graganico Apulorum oppido, ad Paulum Regium Vici Aequenſis Epiſc

ſcopum; quod Illuſtriſſimo Domino Philippo Spinello S. R. E. Cardinali nuncupavit; prodiit autem *Neapoli. ex Officina Joannis Jacobi Carlini, & Conſtantini Vitalis.* 1607. *in* 4.

De S. Thoma Aquinate Carmina, apud eoſdem, eodem anno, & forma *Carmelitanum Tyronum Auditorium Legibus, & Magiſtratibus illuſtratum.* ad eoſdem Tyrones, excuſ. apud eoſdem *in* 4.

Thomae Natalis Budislavi Epidauri Tribunienſium, & Marſianenſium Epiſcopi effigies, & Poëtici in eam Caroli Pinti numeri, & modi. Neapoli. apud eoſdem. 1608. *in* 4.

Item Italice edidit *Dello ſpaventevole avvenimento del fuoco acceſo in Montevergine nel Regno di Napoli. apud Joannem Jacobum Carlinum.* 1611. *Neapoli. in* 4.

CAROLVS TAPIA origine Hiſpanus, natalibus tamen Neapolitanus, Aegidii enim Tapiae Hiſpani Praeſidis Regiae Camerae Summariae filius fuit, ex Iſabella Riccia nobili Civitatis Lamiani (quam Anxurem appellant veteres) ſuſceptus. Hic Juriſconſultus fuit legali facultate praeſtans, qui primum in Salernitana Provincia Regius auditor praefuit; dein Judex Magnae Curiae in Criminalibus; poſtmodum Regius Conſiliarius: hinc Regens in Supremo Conſilio Italiae apud Catholicam Majeſtatem, ac Marchio Belmontis; tandem Regens Regiam Cancellariam in hoc Regno, ac Collateralis Conſiliarius creatus eſt. Scripſit:

Commentarium ad Rubricam, & l. fin. ff. de Conſtitutionibus principum, in quo tota fere privilegiorum materia explicatur, excuſum *Neapoli. anno.* 1586. *in* 4. *apud Horatium Salvianum*, Philippo Hiſpaniarum Principi, Philippi II. Hiſpaniarum Regis filio dicatum; ac recuſum *Marpurgi. anno.* 1598. *in* 8. Item recuſum in II. volumine *Repetitionum in varios Juriscivilis libros*, qui in novem libros diſtincti impreſſi ſunt *Venetiis. anno.* 1608. *ſub ſigno Aquilae renovantis. in fol. regali.*

Edidit etiam librum Italice, quem inſcripſit, *Specchio de' mormoratori* qui prodiit *Neapoli.* 1592. *ex Officina Joſephi Cacchii. in* 4. eidem D. Petro de Zunica Marchioni Bagneſae dicatum.

Tractatum de Religioſis rebus in Auth. ingreſſi C. de Sacroſanctis Eccleſiis, excuſum *Neapoli.* 1594. *in typographia Stelliolae, ad portam regalem. in* 4. Sereniſſimo & Reverendiſſimo Alberto Archiduci Auſtriae S. R. E. Cardinali dicatum.

Jus Regni Neapolitani ex Conſtitutionibus, Capitulis, Ritibus, Pragmaticis Neapolitanorum Privilegiis, tum impreſſis, tum non adhuc typis traditis deſumptum; in quo totius Regni leges, quae diverſis in libris legebantur nunc in unico collectae, ſub titulis congruo loco ſituatae, commodius reperiri ac legi poſſunt, cum gloſſis Marini de Caramanico, Andreae Iſernienſis, Bartholomaei de Capua, Lucae de Penna, Sebaſtiani Napodani, Joannis Antonii de Nigris, & aliorum; cum ejuſdem Tapiae annotationibus. In quibus quicquid tam a Doctoribus regnicolis, quam exteris ſcriptum eſt, quicquid etiam deciſum in Sacro Conſilio, vel ab illuſtribus Collectoribus ejus Deciſionum traditum, vel ab eodem Carolo collectum, quod explanationi dictorum jurium conferat, habetur. Additque idem Tapia ad cujuslibet tituli initium Rubricas concordantes ex Canonico, Civili, Hiſpanorum, Gallorum, aliorumque populorum juribus; & ad ipſas Leges Regni, etiam iſtorum populorum concordantes leges. In ſeptem autem libros Auctor opus diviſit, quorum Primus, & Secundus editi ſunt *Neapoli. apud Joannem Jacobum Carlinum.* 1605. *in fol.* Philippo III. Hiſpaniarum utriuſque Siciliae, ac novi Orbis Regi dicati; Tertius vero excuſus eſt *Neapoli. apud eundem, & Conſtantinum Vitalem.* 1608. *in fol.* eidem Regi nuncupatus. Quartus autem prodiit *ibidem, apud eoſdem. anno.* 1611. *eadem forma*, Philippo Hiſpaniarum Principi dicatus. Quintus item excu-

excuſus *Neapoli* . *1633. apud Aegidium Longum . in fol.* Excellentiſſimo Comiti Montiſregii Regni Proregi nuncupatus. Sextus quoque prodiit *anno. 1636. apud* eundem *Aegidium* . Septimus autem excuſus fuit *iisdem apud eundem, eadem forma. anno. 1643.* Sanctiſſimae Trinitati dicatus.

Deciſiones quoque *ſupremi Italiae Senatus apud Philippum III., & IV. Hiſpaniarum Reges* , quas compilavit, ac collegit cum is eſſet unus ex ſuis Senatoribus, ſeu Conſiliariis, ac Regiam Cancellariam Regens, & Collateralis Conſiliarius per decem annos , excuſas *Neapoli* . *1626. apud Aegidium Longum . in fol.* Excellentiſſimo Domino Emanueli a Zunica, & Fonzeca Montiſregii Comiti in Neapolitano Regno Proregi dicatus.

Deciſiones Sacri Regii Conſilii impreſſas *Neapoli* . *1629. apud Aegidium Longum. in fol.* Excellentiſſimo Domino Ferdinando Afan de Ribera , & Enriquez Duci de Alcala, in hoc Regno Proregi nuncupatas.

Scripſit etiam librum *De praeſtantia Regalis Cancellariae Neapolitanae*, in quo de neceſſitate , antiquitate , praerogativa , atque poteſtate ejus Cancellariae diſſeritur , excuſum *Neapoli . anno. 1632. apud Aegidium Longum . in* 4.

Obiit autem Neapoli die 16. Februarii 1644. & ſepultus eſt in regali templo S. Jacobi Hiſpanorum in proprio ſacello; in cujus honorem Jo. Baptiſta Urſus e Societate Jeſu, vir inſignis, in ſuo *Inſcriptionum libro* ſequentem edidit inſcriptionem

CAROLVS TAPIA MARCHIO BELMONTIS SVPREMI A LATERE CONSILII DECANVS REGIVS PRIMA AB ADOLESCENTIA SALERNI STATIMQ. NEAPOLI SANCTAE CLARAE CONSILIARIVS ACCERSITVS MADRITIVM AVCTV QVI HONORE EST CVM MAGISTRATV MOX NON PAVCI SVNT. EXPLORATAE VIR INTEGRITATIS FORENSI STATARIVS MILES DOCTRINA MVNERI SI QVISQVAM ASSIDVVS MAIVLVS CONSILII NON VVLGARI TRVTINA SED AVRIFICIS EXPENSI STATERA ET AD LYDIVM LAPIDEM EXAMINATIS ANTE DECRETIS QVAE IN REM COMMENTVS PVBLICAM EST SVBTRAXIT SOMNO SOMNO ETIAM SVBTRAXIT QVAS DIVINO OBSEQVIO QVOTIDIE IMPENDERET HORAS INSIGNI IN DEVM PIETATE BENIGNITATE IN PAVPERES HVMANITATE IN OMNES.

CAROLVS THETVS patritius Nolanus, licet ipſe in aliquibus ſuis operibus patriam reticeat , in aliis vero Neapolitanus inſcribatur . In Architecturae Militaris diſciplina , muniendis nempe , & expugnandis urbibus peritiſſimus fuit. In Germania apud Imperatorem, alioſque Europae Principes; ac preſertim apud Venetos diu vixit; ubi in magno praetio, atque exiſtimatione habitus eſt, & ampliſſimo ſtipendio cohoneſtatus . Plures arces , tum Venetiis , tum aliis in locis eorum ditioni ſubditis, fecit, atq. muniit, & inter alias *Bergami* celebrem illam arcem , quam *Cappellam* vocant, valde muniit, ac inexpugnabilem reddidit.

Scripſit autem Italice librum , quem praetitulavi *Diſcorſi di fortificatione* IV. *libri di Carlo Theti Neapolitano* , ad Sereniſſimum, ac potentiſſimum Imperatorem Maximilianum II. Auſtriacum, excuſ. *Romae. anno . 1569. apud Iulium Accolium . in* 4. Dein ab Auctore valde aucti, & recogniti , in octo libros redacti, recuſi ſunt *Venetiis . 1589. apud Franciſcum de Franciſcis Senenſem . in* 4. eidem Imperatori dicati, cum in ejus aula reſideret, hoc titulo adjecto:

Diſcorſi delle fortificazioni , eſpugnationi , e difeſe della città , e di altri luoghi. libri VIII. *ove diffuſamente ſi dimoſtra , quali debbono eſſere i ſiti delle fortezze; le forme , i recinti , foſſi , baloardi , caſtelli , ed altre coſe a loro appartenenti, con le figure di eſſe.* Recuſi ſunt quoque *Venetiis. anno. 1617. apud Jacobum de Franciſcis* .

Edidit quoque eos quattuor Libros , quos praetitulavit , *Diſcorſi delle fortificazioni* , ad Ferdi-

Ferdinandum Mediceum Cardinalem, ac Magnum Hethruriae Ducem, *Venetiis*. 1588. *apud Nicolaum Morettum. in fol.* Obiit autem Patavii, & in Clauſtro Coenobii Divi Antonii Fratrum Conventualium S. Franciſci ſepultus eſt.

CAROLUS DE TOCCO ex oppido Tocchi, prope Beneventum; praeclariſſimus Juriſconſultus Federici II. Imperatoris, ac Siciliae Regis temporibus extitit. Edidit optimum *Commentarium*, ſive *gloſſas ad leges Longobardorum*; quae cum diu in manuſcriptis latitaſſent, imo & manuſcriptae quoque in foris, perque hominum manus verſarentur, editae ſunt tandem una *cum textu* earum legum *opera Joannis Baptiſtae Nennae Barenſis* V.I. Doctoris, ac Equitis, *Venetiis. apud Dominicum. Lilium, & fratres. anno.* 1537. *in* 8. ut ejuſdem Joannis Baptiſtae epiſtola, quam praefert liber ſub datum *Bari. die* 19. *Octobris*. 1536. teſtatur.

Caeterum magno honore, ac reverentia Carolus a Regnicolis Doctoribus habetur; quippe qui & antiquus bonae, & ſane doctrinae Juriſconſultus extitit. Eum Andreas de Iſernia paſſim in Commentariis ad leges Longobardorum citat, ad eumque ſe remittit. Imo idem Andreas *in tit. de his, qui Feudum dare poſſunt* §. *& quia. in fine*, ait: *Carolus de Tocco fecit gloſſas in Longobard. cujus gloſa plurimum in Regno approbatur*. Citat etiam ipſum ſaepius Lucas de Penna, hoc modo: *Carolus in Longo*.

Matthaeus quoque Afflictus *in Conſtit. Regni. licentiam. ſub tit. de dotariis. n.* 6. appellat Carolum de Tocco *Gloſſatorem Legum Longobardarum, magnae auctoritatis*. & ibidem *n.* 9. vocat *doctorem magnae virtutis, & auctoritatis*. Et in *conſtit. mulier, quae dotari . . num.* 31. vocat ſimiliter *Virum magnae auctoritatis, & n.* 30. ait: *Sententiam Caroli de Tocco inter viventes Jure Longobardorum haberi pro vera decisione, & nullus ejus ſententiis auderet contradicere;*

Vixit autem Carolus anno 1207. ut ipſe teſtatur *in l. ſi adulter. ſub tit. de adulteriis*; Fuit etiam Placentini diſcipulus, quem ipſe *praeceptorem ſuum* appellat in *rubrica* de *Maleſic. & publ. crim.* Fuit quoque auditor per multos annos Ottonis Papienſis, ut ipſe ait *in l. fin. de his, quae a viro in mulierem dantur. in v. revertatur;* & *in l. ſi quis puellam, ſub tit. de injur. mulier.* appellat Joannem Cremonenſem Praeceptorem ſuum.

Caroli de Tocco Patrem Legum Doctorem quoque fuiſſe crediderim; quando quidem is *in l.* 1. *ſub tit. de conviciis. in v.* ut ſupra allegat. eum *differentem in legali materia*.

Porro num fuerit Regnicola, an Siculus quidam antiquarum rerum imperiti haeſitant; dum ejus librum, primo editum, *Siculum* eum praetitulant; forte ex ejus ſcriptis depromptam inſcriptionem, dum *in l. ſi quis qualemcumque* de *maleſic. & publ. crim. in v. in praeſtantia.* ait: *ſed tamen in Regno iſto judicari ſolet*, & paulo poſt, ait: *& hac conſuetudine utimur hodie in Regno Siciliae*. At quis non videt ex eiſdem Caroli verbis eum noſtrum regnicolam fuiſſe aperte elici, cum cuiq. in hiſtoriis Regni mediocriter verſato exploratum ſit, Regnum hoc eo tempore *Siciliae Regnum*, dein *Apuliae* fuiſſe nuncupatum? Nonne Andreas quoque de Iſernia, quem regnicolam fuiſſe nemo ambigit, hoc eodem loquendi genere ſaepius fuiſſe uſum pleriſque in locis videmus? ac praeſertim in Commentariis ad Leges Longobardorum *in proh.* dum ait: *Et per quandam inveteratam conſuetudinem in Regno iſto Siciliae &c.*

Angelus Cato Supinas de Benevento in ſua perdocta *Epiſtola* ad Ferdinandum Seniorem Neap. Regem anno 1473. ſcripta, in qua ei dicavit, ac obtulit librum *Matthaei Silvatici Salernitani Medici Pandectarum Medicinae* ex Regia bibliotheca deſcriptum, & in lucem a ſe editum, breviter recenſet viros illuſtres, qui e Neapolitano

hoc

Digitized by Google

hoc Regno prodierunt; &, inter caetera; ait: ſuos conterraneos fuiſſe, & e Benevento prodiiſſe hos Juriſconſultos, *Papinianum nempe ſubtiliſſimi ingenii, Carolum doctorem eximium, ac Roffredum Civilis, Pontificiique juris pleniſſimum*, de hoc noſtro Carolo loqui non eſt ambigendum.

Non eſt audiendus hic Afflictus, qui *in Conſtit. adhuc. in* 2. *notab.* ait, quod Carolus hic fuit de Familia de Tocco.

CASSIODORVS, Vide *Aurelium Caſſiodorum*.

CATALDVS ANT. MANNARINVS Tarentinus, artium, & Medicinae doctor, ac poëta Italicus edidit:

Gloria di Guerrieri, ed Amanti. Canzoni all' Ill. Sig. Alfonſo Cardinal Geſualdo *Veſcovo Oſtienſe, & Decano del Sacro Collegio de' Cardinali, nella ſua poſſeſſione avuta della Chieſa Arciveſcovile di Napoli*. excuſ. *Neap.* 1596. *apud Joannem Jacob. Carlinum, & Ant. Pacem. in* 4.

Il Paſtor Conſtante. Favola boſchereccia, ad dom. Marcum Antonium Muſceptulam Equitem Neapolitanum impreſs. *Barii*. 1606. *apud Julium Caeſarem Venturam. in* 8.

Apologia in riſpoſta del parere publicato ſotto nome di Gio: Batiſta Leoni, ſopra la favola boſchereccia detta il Paſtor Conſtante, *con un diſcorſo in fine del Dottor Vincenzo Marini, detto tra gli Accademici Meſſapii* il Cleantiro, *attorno la detta favola, co' gli ſcioglimenti di alcuni altri dubii a favor di quello*, excuſ. *Neapoli*. 1608. *apud Joan. Baptiſtam Subtilem. in* 4. Ill. Domino Octavio Cardinali Aquaevivo, & Neapolitano Archiep. dicata.

La Suſanna, Tragedia Sacra, con quattro intermedii dell' hiſtoria di Suſanna Hebrea: excuſ. *Venetiis. apud Bernardum Juntam, & Joan. Bapt. Ciottum*. 1610. quam Auctor domino Franciſco Donnio Turris Sanctae Suſannae Regulo dicavit.

Rithmorum librum, in quattuor partes diviſum, impreſſum *Venetiis*. 1617. *apud Tarquin. Corſum. in* 4. per Ill. Joanni Maſſeo Carbonariae Baroni nuncupatum.

CAELESTINVS BRVNVS. Vide *Coeleſtinum*.

CIARLETTA CARACCIOLVS Neapolitanus edidit Italice *De humana felicitate libros* x., in quibus de Morali Philoſophia aliter, quam Ariſtoteles, caeterique antiqui pertractarunt, agit; qui excuſi ſunt *Neapoli. apud Ioſeph. Cacchium Aquilanum. anno*. 1574. *in* 4. Vixit anno 1574.

CICERO Arpinas. Vide *Marcum Tulium Ciceronem*.

CLAVDIVS AQVAVIVA Patritius Neapolitanus, Atrii Ducis Filius, Pii V. Pontif. Max. a Cubiculis praefuit, dein Jeſuiticae Societatis anno 1567. addictus eſt. Cum ſacris, ac ſaecularibus litteris apprime eſſet excultus, ac multos ejus Religionis geſſiſſet Magiſtratus; tandem ob ejus vitae innocentiam, ac probitatem Generalis ejus religionis Praepoſitus creatus eſt anno 1581. Qui, etſi tot negotiorum mole continue fere obrutus haberetur; tamen edidit quaedam, ad ejus maxime regimen ſpectantia, nempe:

Epiſtolas XVI. Valde longas, eruditas, ac religioſas *ad univerſam Societatem, & ad Superiores illius*.

I. *De felici progreſſu Societatis* 28. *Junii* 1571. II. *De renovatione Spiritus* 29. *Septembris*. 1583. III. *De Studio perfectionis, & caritate fraterna*. 19. *Maii*. 1586. IV. *De Mediis ad conſervandam Societatem*. 28. *Martii*. 1587. V. *Quis ſit Orationis, & poenitentiarum uſus in Societate juxta noſtrum inſtitutum*. 8. *Maii*. 1590. VI. *De fine*

ſine Miſſionum Orientalium. 12. *Januarii*: 1590. VII. *De Jubilaeo*, & *Miſſionibus*. 12. *Maii*. 1590. VIII. *De fervore*, *ac zelo Miſſionum* 1. *Auguſti*. 1594. IX. *De modo inſtituendarum Miſſionum*. 12. *Maii*. 1599. X. *De uſu Exercitiorum Spiritualium*. 14. *Auguſti*. 1599. XI. *De formandis*, *ac bene inſtituendis noſtris Concionatoribus* 14. *Auguſti* 1599. XII. *De recurſu ad Deum in tribulationibus*, *ac perſecutionibus*. 29. *Julii*. 1002. XIII. *De renovatione ſpiritus*, & *corriſpondentia cum Deo* 24. *Junii*. 1604. XIV. *De ſollicitudine*, & *vigilantia Superiorum erga ſubditos*. 20. *Auguſti* 1604. XV. *De Officii Divini recitatione*, *ac Celebratione Miſſae* 24. *Novemb.* 1612. XVI. *Monita formandis Concionatoribus accomodata*. 20. *Maii* 1613. Hae autem Claudii Epiſtolae fuerunt ſeorſum ſaepius impreſſae, ac demum *in Collegio Romano* Societatis Jeſu *anno*. 1615. cum aliis aliorum Generalium Epiſtolis.

Scripſit item: *Induſtrias pro Superioribus Societatis ad curandos animae morbos*. impr. *Venetiis*. 1611. *apud Joan. Guerilium*. *in* 16. & *alibi*.

Directorium exercitiorum ſpiritualium B.P.N. *Ignatii*. *Rationem*, *atque inſtitutionem Studiorum Societatis Jeſu*. Quae duo quamvis ab illo ſcripta non ſint, ſunt tamen ejus auctoritate confecta, ac ejus cura, & recognitione perfecta.

Sunt quoque poſt ejus mortem impreſſae: *Meditationes in pſalmum* XLIV. & CXVIII. *piiſſimae*. *Romae*. *apud Barthol. Zannettum*. *in* 12. 1615. Edita eſt etiam cum aliis ejuſdem argumenti una ejus *Oratio de Paſſione Domini*, quam anno 1573. dixit coram Gregorio XIII. Pontif. Max. excuſ. *Romae*. 1640. *in* 12.

Eum libellum praenotatum *Induſtriae*, *aureum* vocat Antonius Poſſevinus in 2. *vol. Biblioth. Selectae*. *cap.* 63.

Obiit autem Romae die 31. Januarii 1615. De Claudio hoc Aquaviva multa Philippus Alegambe *in Biblioth. Script. Societ. Jeſu*.

CLAUDIUS Neapolitanus *librum* conſcripſit *contra eos*, *qui carnibus abſtinent*; quem citat Porphyrius Tyrius Philoſophus celeberrimus *lib.* I. *de abſtinendo ab aeſu animalium*; qui quidem Porphyrius floruit temporibus Aureliani Imperatoris ad Diocletianum uſque. Ejus meminit Geſnerus in *Epitome* ſuae *Bibliothecae*. Cujus autem Neapolis fuerit Claudius hic, latet adhuc.

CLAUDIUS TUTIUS civis, & Archipresbyter terrae Hoſtiliani, legum doctor, per plures annos Tricaricenſium Epiſcoporum Generalis Vicarius fuit. Demum in Germaniam profectus, domini Octavii Frangipani Mirti Tricaricenſis Epiſcopi, & Apoſtolicae Sedis Nuntii cum poteſtate Legati a latere ad inferiorem Germaniam Auditor fuit.

Edidit autem in lucem duas *Repetitiones legales*, nempe *Rubricae*, & *l. Unicae C. quando non petentium partes*, *ac l. item praegnantis ff. de poenis*. *Ac queſtiones* XVIII. *in Materia juris patronatus eccleſiaſtici*, & *Allegationes L. in jure*, diverſis in Cauſis, & foris ab eo ex facto propoſitas. Quae eidem Octavio Mirto tunc Nuntio dicavit; excuſa ſunt autem omnia ſimul unico volumine, *Venetiis*. *anno*. 1597. *apud Hieronymum Polum*. *in* 4.

CLAUDIUS URSUS ex Oppido *Pennae paganae* in Lucania, dein civis Melphienſis, Philoſophus, ac Medicus ſcripſit Opuſcula quaedam phyſica, ac medica, ſcitu digniſſima, nempe:

De immortalitate animae lib. I. *De infuſione animae intellectivae lib.* II. *De Sede animae*, & *principatu membrorum*. *lib.* III. *Quomodo parentes in generatione concurrant*. *lib.* IV. quae excuſa ſunt *Neapoli*. *anno*. 1611. *apud Joan. Jacob. Carlinum*. *in* 4. Ill. Domino Andriae Duci, & Ruborum Comiti dicata.

CLemens Brancasius ex oppido *Carvuinia* in Salentinis, Ordinis Minorum regularis Obſervantiae Reformatorum Provinciae Neapolitanae, Sacrae Theologiae lector edidit librum *De Trino*, *& uno* duobus voluminibus diſtinctum; in quorum primo agitur *de abſolutis*, ubi germana Scoti mens aperitur, atque ad ejus inſtitutum diſceptatur. Excuſ. *Neap.* 1638. *apud Aegid. Longum*. *in fol.* Em. Domino Cardinali Barberino, ac Seraphicae Religionis protectori dicatum.

In ſecundo vero *de Trino*, *& uno*, agitur *de reſpectivis*, *ſive de tribus perſonis Divinis*, ubi germana Scoti mens aperitur, atque ad ejus inſtitutum diſceptatur, excuſ. *ibidem*. *anno*. 1640. *in fol.* Pri. Fratri Benigno a Genua totius Ordinis D. Franciſci olim Miniſtro Generali, nunc vero Ciſmontanae familiae Commiſſario Generali dicato.

CLeomen Rheginus, cujus meminit Athenaeus *lib.* IX. *cap.* 23. ac legiſſe teſtatur ejus *Dithyrambos*, quos in Melargo inſcripto poſuit. Diogenes Laërtius lib. VI. *in Diogene* citat Cleomenem quendam in libro, qui *Paedagogus* inſcribitur. Idemque *lib.* VIII. *in Empedocle*, ait *Cleomenem coacervaſſe*, *ac in unum corpus coëgiſſe expiationes in mortuos*.

Clemens Alexandrinus *Sromaton primo* citat Cleomenem in *libro de Haeſiodo*.

COccejus Campanus Antiquus Juriſconſultus floruit ſub Imperatoribus Severo, & Antonino, ſcripſit quaedam ſuper Jure civili.

L. invitus ff. de fideicommiſſariis libertatibus, refert doctrinam quandam Campani ad legalem facultatem pertinentem.

In L. ſi quis. priore ff. ad Senatus C. Trebell. inſeritur Conſtitutio quaedam Imperatorum Severi, & Antonini reſcripta *Coccejo Campano*.

In Inſtitutionibus, *quibus modis teſtamenta infirmentur §. ſed & ſi quis*, inſeritur conſtitutio Imperatorum Severi, & Antonini *Coccejo Campano* reſcripta circa teſtamentum.

COelestinus Brunus Venuſinus Apulus; Ordinis Eremitarum Santi Auguſtini, ſacrae Theologiae Magiſter; & Sacri Theologorum Collegii doctor, ac Panormitani Collegii Regens fuit. Edidit *Parvam Logicam*, ſive *praeludium neceſſarium ad arduam logicae diſciplinam* impreſſam *Panormi*. 1618. *apud Joannem Antonium de Franciſcis in*...

Quodlibetarum diſputationum partem priorem theologicam, in qua Theologus vel particulares auctoris opiniones inveniet, vel aliorum ſententias particulari modo explicatas, ſeu confirmatas, vel oppoſitas, particulari medio impugnatas, tandem fere in ſingulis aliquid proprium, & particulare, excuſam *Neapoli*. *anno*. 1641. *apud Jacobum Gaffarum*. *in fol.* Rev. Pri. Magiſtro Hippolito Montio Finalenſi, totius Ordinis Eremitarum Santi Auguſtini Generali dicatam.

COlantonius Carminianus, *vide Nicolaum Antonium Carminianum*.

COnstantinus Castriota patritius Neapolitanus edidit Italice librum, quem inſcripſit, *Il ſapere utile*, *e dilettevole*, *ad juvenes Equites*, *& Mulieres*, quem in ſeptem libros diſtinxit, & e *Bruxellis* ad juvenes equites, & mulieres tranſmiſit anno. 1550. editus eſt antem *Neap.* 1552. *per Lilium Aliſanum*. *in* 8.

COstantinus de Notariis Nolanus Congregationis Caſſinenſis Monachus, dein Abbas, philoſophiae ac theologiae lector in Coenobiis ejus Religionis, ac varia eru-

eruditione excultus eſt. Scripſit Italice librum, quem nuncupavit: *Duellum ignorantiae, ac ſcientiae, geſtum praecipue in campo philoſophico*, quod in duas partes diviſit, ſcepticam nempe, & dogmaticam, impreſſum *Mediolani. apud* Hieronym. *Bordonem, Petrum Martyrem Locamum & Bernardinum Lantonum*. 1607., *in* 4. *fol. magno*, dicatum R. P. D. Germano Trezzi Abbati S. Simpliciani de Mediolano. Tum excuſum eſt in duo Volumina ſectum, *Venetiis. anno*. 1610. *apud Matthiam Valentinum*, cujus primam partem ſcepticam dicavit eidem Abbati D. Gratiano; ſecundam vero dogmaticam R. P. D. Juliano Ghirardello Aſolano Abbati S. Juſtinae Patavii.

Edidit item Italice *De Humana perfectione, ratione naturae, artis, & gratiae libros* V., in quibus explicantur electiores conceptus tum theologiae ſcholaſticae, & planae, tum etiam utriuſque philoſophiae. Additae quoque ſunt varietates hiſtoricae, & poëticae, utiles tum concionatoribus, quam academicis; & quae, attentos cum delectatione habere poſſunt omnes alios eruditos viros, excuſ. *Venetiis*. 1616. *apud Joannem Baptiſtam Bertonum. in* 4. ab auctore dicatos Sereniſſimae Caelorum Reginae Mariae Virgini. Recuſus eſt autem liber hic ab auctore locupletatus, *Venetiis*. 1622. *apud haeredes ejuſdem Joannis Baptiſtaë Bertoni. in* 4. Et mutato paululum ejus libri titulo ſic inſcriptus eſt, *De Mundo parvo admirabiles diſcurſus curioſi de humana perfectione, ratione naturae artis, & gratiae libri* V.

Item *De Orbe Magno* libros V. Italice; in quibus praeter hiſtoriam multarum rerum naturae, pro cujus amplitudine differitur; continentur etiam praecepta magna dexteritate extracta a rerum illarum recurſione excuſ. *Venetiis*. 1617. *per Evangel. Deachinum. in* 4. & Illuſtri D. Paulo Grillo Civitatis Montis Caveoſi Regulo nuncupatus:

Librum quoque Italice; cui titulus eſt *Civis Caeli, extractus ex Pſalmo*, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, *diviſus in triginta diſcurſus*; qui excuſus eſt *Neapoli*. 1622. *apud Domin. Ferdin. Maccaranum. in* 4. Ill. Cardinali de Montalto dicatus.

In *Compendium* quoque redegit *volumina duo Clavis Regiae Don Gregorii Sayri Angli* Monachi Congregationis Caſſinenſis, & in duos pariter Tomos ſuum Compendium diſtinxit, Latine. Quorum priorem partem P. D. Aloyſio Patavino S. Gregorii Majoris Venetiarum Abbati, & totius ejus Congregationis Praeſidenti dicavit, excuſ. *Venetiis. apud Bernad. Juntam Joan. Baptiſtam Ciottum, & ſocios*. 1613. *in* 4. Alteram vero partem P. D. Severino Pagano Neapolitano ejuſdem Congregationis Abbati, & Viſitatori, nuncupavit, excuſam *ibidem* iiſdem anno, & forma. Recuſi quoque ſunt ii libri *Venetiis*. itidem 1621. & 1622. *apud Joan. Bapt. Ciottum, & ſocios in* 4.

Obiit autem in Civitate Andriae in Apulia in Coenobio S. Mariae Miraculorum, ubi praeerat Abbas anno. 1622. die . . . Novembris.

CONSTANTINUS PAPA e Civitate Campaniae in Picentinis, ac Civis Neapolitanus, & Juriſconſultus, ſcripſit librum ad arbitrium magnae Curiae Vicariae, quod vulgo *Praeeminentia* appellatur, *atque ad edictum divi Auguſti*, quod propoſuit Jun. Avito, & *l. Apron. Coſs. de quaeſtionibus* 5. *deſideratis*. Continet autem dicta, ac conſiderata, quae a nemine hactenus dicta, conſiderataue fuerunt pro Reorum defenſione, Judicumque admonitione maxime admodum neceſſaria, cum brevi *Catalogo Regum Utriuſque Siciliae* impreſs. *Neapoli. anno*. 1594. *apud Stelliolam, in* 4 ab eodem typographo candidiſſimis lectoribus ſacrarum legum Studioſis dicatum.

Item edidit *Additiones ad Proſperi Caravitae Commentarium ſuper Ritibus Magnae*

Curiae, quae excuſae ſunt, cum ejuſdem Caravitae libro *Neapoli*. 1620. *apud Scipionem Boninum*. *in fol.*

COSTANTINVS AMALPHITANVS Cilenti Abbas vertit *Baſylii Opuſcula quaedam ex Graeco in latinum*; ut ex *Epitome Biblioth.* Geſneri.

CONSTANTINVS PVLCHARELLVS a Maſſa Lubrenſi e Societate Jeſu, philoſophus, ac theologus, Rhetoricae quoque, & poëſi inſigniter, & uſque ad miraculum edoctus eſt. Graece, ac Latine optime ſcribens, multa carmine conſcripſit; e quibus haec ſuperſunt, quae inter amicos reperta, poſt ejus mortem, collecta ſunt, nempe:

Carminum lib. v. quibus adjectus eſt *Dialogus de Vitiis ſenectutis; & Homericae Iliadis libri duo*, e Graeco in latinum heroico carmine a ſe converſi; ubi ejus vita in principio libri prefixa eſt. Excuſa autem ſunt *Neapoli*. *anno*. 1618. *apud Tarquin. Longum*. *in* 8.

Obiit vero Neapoli in Collegio ejus Societatis anno. 1610. & ibidem ſepultus.

CORIOLANVS MARTYRANVS Conſentinus S.Marci Epiſcopus, vir undequaque doctus, Graeca, ac latina lingua peritiſſimus, & poeta illuſtris edidit *Tragoedias*, ac *Comoedias* aliquot, ac *Poëmata* latino carmine, e quibus haec extant:

Tragoediae VIII. nempe, *Medea*, *Electra*, *Hyppolitus*, *Bacchae*, *Phoniſtae*, *Cyclopus*, *Prometheus*, *Chriſtus*. *Comoediae duae Plutus*. *Nubes*. *Odiſſeae lib.* XII. *Bathrachomyomachia*, nempe Ranarum, muriumque certamen. Et *Argonautica*, quae omnia Martius Martyranus, ejus nepos, inſcio, ac invito patruo edi curavit, dicavitque Chriſtophoro Madrutio Cardinali, & Principi Tridentino; excuſa ſunt autem *Neapoli*. *anno*. 1556. *apud Janum Marium Simonettam Cremonenſem*. *in* 8. item *ibidem*. *anno* 1565. *in* 8.

Extant etiam ejuſdem Coriolani Martyrani Epiſcopi S. Mauri, & Sereniſſimi Philippi Auſtrii Neapolitanorum Regis a Secretis *Oratio* edita, & ab eo recitata *anno*. 1554. *die* 25. *Novembris* coram Illuſtri Domino Cardinali Paceco Regni Prorege, & etiam coram Vaſti Marchione, & omnibus Regni principibus *in Communi Neapolitanorum gratulatione de novo Rege*; dum idem Marchio Regni Neapolitani poſſeſſionem caperet, ejuſdem Regis nomine. Impreſſa *Neapoli*. *in* 4. abſque impreſſoris nomine.

Edidit *Epiſtolas* ejus *familiares* perelegantes, tam Graece, quam Latine excuſas *Neapoli*. 1556. *in* 8.

In Bibliotheca Sfortiana (ut tradit Antonius Poſſevinus, in 3. vol. *appar. Sacri*) in Claſſe Epiſtolarum, & Poëtarum n.20. extat Coriolani Martyrani *Tragoedia*, quae inſcribitur *Chriſtus moriens*, M. S. quam eandem, cum ſuperiori editam credimus:

Memoriae proditum eſt, ac firma traditione didicimus Coriolanum Martyranum Eraſmi Roteredami aemulatione eas, quas diximus Tragoedias, ac Comoedias e veterum Graecorum ſcriptis in latinum carmen tranſtuliſſe. Eraſmus enim Euripidis Tragoedias *Hecubam*, & *Iphigeniam in Aulide* de Graeco tranſtulit in latinum metrum; & in epiſtola nuncupatoria ejus libri ad Gulielmum Cantuariae Archiepiſcopum, & Britanniae Primatem Valde ſe jactat de ſua Tragoediarum verſione; aitque *per ſaecula aliquot nullum fuiſſe, qui in hoc genere omnibus eruditorum calculis probaretur. Ac mirari ſe neminem Italorum ex feliciſſimo ſaeculo auſum fuiſſe hoc munus aggredi, & Tragoediam aliquam, aut Comoediam de Graeco vertere in latinum. Atque plures Homero manus appoſuiſſe, inter quos etiam Politianum, qui nec ipſe ſibi ſatisfecit. Alium Heſiodum tentaſſe, nec id ſatis feliciter; denique Franciſcum Philephum, virum alioquin* era-

Digitized by Google

erudiſſimum priorem Hecubae ſcenam in oratione quadam funebri vertiſſe, ſed infeliciſſime. At vero Eraſmus Muſis bene juvantibus intra paucos menſes id perfeciſſe (ait) & *quantum in eo opere inſudavit ii, qui ea tentarint, teſtari poſſunt, cum opus illud aggredi, eadem nempe dicta, ex bonis Graecis bone latina reddere, tantum habent difficultatis, ut nonniſi ſingularem exoptet artificem; qui nedum faecundi ſermonis Graeci, ac latini prompta, copioſa, ac ditiſſima ſupellectili praeditus ſit; ſed etiam ſpectatiſſimus, ac vigilantiſſimus ſit. Eraſmus autem* (ut ipſe ait) *nec tot exemplis, nec tantis difficultatibus deterritus inauditam huc uſque rem, & intentatam non dubitavit aggredi, & carmen carmini, ac verbum fere verbo reddere conatus eſt; ac ubique ſententiae vim, & pondus latinis verbis fideliſſime explicare niſus eſt*. Julius etiam Caſar Scaliger ſuae Poetices *lib.* VI. *cap.* 4. ait, *Eraſmi in vertendis Graecis felicitas multa fuit*.

At Coriolanus, ut qui vir erat eminentiſſimus Eraſmi aemulatione, atque ejus jactantiae calcaribus excitus, Graecos poetas latino carmine tranſtulit; quod ei feliciſſimae contingit; nam & ſumma fide, & eleganti carmine illos vertit, & Eraſmum longe ſuperaſſe creditur.

CORNELIVS VITIGNANVS Neapolitanus, edidit Italice: *Cronica del Regno di Napoli, ove ſi contiene una breve, e ſoſtanzial cognitione di molte coſe ſucceſſe dall'edificazione di Napoli, infino a' noſtri tempi, col Sommario della vita di tutti i Re, che in quella regnarono, ed un breve Diſcorſo intorno alle ragioni, che competono alle Maeſtà del Re Filippo N. S. nel Regno d' Inghilterra*, excuſa *Neapoli*. 1596. *apud Joan. Jacobum Carlinum, & Ant. Pacem*. *in* 4. Sereniſſimo Domino Philippo de Auſtria Hiſpaniarum Principi dicata.

Item Italice ſcripſit *Genealogiam Auguſtiſſimae Auſtriacae proſapiae*, ad eundem Philippum III. jam Hiſpaniarum Regem, quae excuſa eſt *Neapoli*. *apud Joan. Jacobum Carlinum*. *in* 4. deinde ab auctore locupletata, recuſa eſt *apud eundem*. 1601. *in* 4. eidem dicata.

Concoeptus Spirituales, Italice; quos dicavit Dominae Infanti Auſtriae Arciduci, & ejuſdem Regis Sorori.

COSMVS ANYSIVS Neapolitanus, Jani Anyſii frater, poëta, edidit latino Carmine haec, nempe:

Variorum poëmatum libros IV. ad Pompeum Columnam S. R. C. Cardin. *Facetiarum*, & *Dicteriorum* libros III. ad Hieronymum Tuttavillam. *Satyras*, ad D. Alphonſum Henriques. *Coſmi Anyſii Medici decreta* ad Nicolaum Rodulphum Cardinalem. *Epigrammatum e Graecis converſorum* libros II. ad eundem Pompeum Columnam.

Commentariolos ſoluta oratione *in Satyras Jani Anyſii* ad Janum Antonium Aquavivum. Quae omnia ſimul edita ſunt Jani ejus fratris cura, & ab eodem Jano D. Petro Toleto Proregi dicata. Excuſa ſunt *Neapoli. anno*. 1533. *apud Joannem Sultzbacchium Hagenovenſem Germanum*. *in* 4.

Caeterum de Coſmi Carminibus judicium habes ex Gyraldo inferius in *Jano Anyſio*.

CROTONIATAS quidam ſcripſit librum, quem *Catacolymbitem* inſcripſit, ut inquit Diogenes Laërtius *lib.* IX. in *Heraclite Epheſio*.

CYRILLVS FVLGEONIVS, ſeu de *Fulgione* Ebolitanus Juriſconſultus, magnus practicus, & praeſertim in Criminalibus rebus; ut pote qui plures Magiſtratus per annos 45. in variis Civitatibus exercuit. In arce etiam Capitolina Romanae urbis, Cauſarum Criminalium Judex fuit; dein magnam Latii partem uti Aſſeſſor, apud Summi Pontificis Pauli IV. Legatum gubernavit; ac ſae-

ſaepius ab eo Pontifice, & ab hujus Regni Proregi ad facinoroſos, ac proſcriptos homines, ſive, ut vocant, *Bannitos* inſectandos, ac puniendos; atque a Regia Camera pro gravibus negotiis miſſus eſt. Scripſit librum concinnum, atque eruditum, cui titulus eſt:

Summa Criminalis, in qua continentur quatuor elementa practica, Judiciarius Ordo, tractatus, & ſumma omnium quaſi rerum, & Cauſarum Criminalium, judicum, accuſatorum, reorum, & teſtium jure Regni Neapolis ſuis locis vallata ad Dominum Vincentium Tuttavillam Sarni Comitem excuſ. *Venetiis*. 1568. *in* 4. . . . Et quamvis in eo opere hic patriam reticeat; attamen ex *Epiſtola* Matthaei Rotae Turſini Cl. doctoris *ad Lectorem* habes ejus libri auctorem eſſe Cyrillum Fulgeonium Ebulanum; imo *Epiſtola* ejuſdem Cyrilli nuncupatoria ad Sarni Comitem data eſt *Eboli Kal. Januarii*. 1566.

DAVID ROMEUS PHILOCASIUS Calaber Presbyter ſaecularis, humanioribus litteris eruditus, edidit latina lingua *Vitas Septem Sanctorum Cuſtodum, ac praeſidum Urbis Neapolis, atque aliquot aliorum Sanctorum Civitatis Neapolis, ac Regni*, quae omnia Mario Carrafae Archiepiſcopo Neapolitano dicata. excuſa ſunt *Neapoli*. 1571. *apud Joſephum Cacchium*. *in* 8.

Edidit quoque *Quinque divorum Cuſtodum. ac praeſidum Surrenti Vitas* ad Senatum, populumque Surrentinum, excuſ. *Neapoli*. *anno*. 1577. *apud eundem in* 8.

DECIUS FORTIS e Sancto Angelo Phatianella Lucanus Pharmacopola Neapolitanus inſignis, edidit *Commentarium in Meſuen. & alia Opuſcula, omnibus Medicinam facientibus utiliſſimum*, excuſum *Neapoli apud haeredes Matthiae Canceri*. *anno*. 1588. *in* 4. Ill. Franciſco Antonio David Juriſconſultiſſimo libellorum, & poſtulationum Regis Philippi praeſecto, dicatum.

DECIUS IUNIUS IUVENALIS, ex Aquino, celebri civitate in Campania, Libertini cujuſdam divitis filius; vel ut alii volunt alumnus, & loco proprii filii habitus, & inſtitutus, Frontonis inſignis ea aetate grammatici (qui Romae magni nominis celebritate edocuit) diſcipulus primo fuit, ut Gellius teſtatur; dein Fabii Quintiliani illuſtris Rhetoris praeceptis, atque inſtitutis eſt eruditus. Cauſarum prius declamator in Urbe extitit; magis animi cauſa, ut Probus ait, ac ex vetere conſuetudine, quam in eo ſtudio ſcholae, aut foro diu verſari intenderet; demum ad Satyras conſcribendas animum applicuit, Lucilii, & Horatii exemplum ſecutus: in quibus magnam laudem obtinuit, quinque Satyrarum libris conſcriptis. At cum in taxandis; & inſectandis hominum ſceleribus, ac moribus principem locum teneret, ac tam acer, ac violentus eſſet in iis accuſandis (ut qui corruptos Civitatis mores non aequo animo ferret) atque ille doctior haberetur, ut plures ejus verſus memoriter recitarent, pleroſque malis, ac ſordibus artibus ad dignitatum, & divitiarum apicem evectos inſectando (inter quos Paridem quendam Domitiani Caeſaris hiſtrionem ſalibus ſaepius objurgando); Domitiano, ſub Militaris honoris colore, Urbe pulſus eſt; & ad praefecturam Cohortis in extremam Egypti partem directae, etſi Octogenarius, tranſmiſſus eſt. Sic enim placuit Caeſari, ut levem hanc poenam, pro levi delicto ſubiret; ibique dolore, ac taedio periit, ut Probus ait. Extant autem Juvenalis Satyrae Sexdecim, quos aliqui in quinque libros dividunt, quae variis in locis, ac temporibus editae ſunt, cum plurimorum gloſſis, annotationibus, ac Commentariis.

Sed quoad judicium ejus pertinet, Satyricus poëta fuit, qua in re maximam lau-

laudem adeptus eſt, ut praediximus, & Martialis etiam confirmat; qui ei plurimum detulit, ejuſque ſtudium, ac maximam benevolentiam multis in locis teſtatus eſt; multa enim epigrammata ad Juvenalem ſcripſit, nempe *lib.* VII. *epigr.* quod incipit:

Cum Juvenale meo, quae me committere tentas. &c.
Aliud vero eodem *lib.* in quo vocat illum *facundum*, quod incipit:

De noſtro facunde tibi Juvenalis agello.
Item aliud *lib.* XI. *&c.*

Fabius Quintilianus *lib.* x. *Inſtit. Orat.* de Satyrae Scriptoribus ait, *ſunt clari, hodieque, & qui olim nominabantur*, Juvenalem intelligens. Porphyrion, ſeu quisquis eſt in Horatium vetus Grammaticus ait: *Satyra Horatii inter Lucilii Satyram, & Juvenalis eſt media; nam & aſperitatem habet, qualem Lucilius, & ſuavitatem qualem Juvenalis.*

Julius Caeſar Scaliger *lib.* VI. ejus *Poëticae. cap. 6.* ſic ait: *Juvenalis candidus, ac Satyrorum facile princeps; nam ejus verſus longe meliores, quam Horatiani: ſententiae acriores; phraſis apertior.* In eamdem quoque ſententiam iverunt, Juvenalem nempe in eo ſcribendi genere omnes alios antecellere, & communem inter eruditos viros ſententiam haberi, Petrus Crinitus *lib.* IV. *de poëtis latinis. cap.* 67. ac Fratrer Angelus Roccha Camers in ſua *Bibliotheca Vaticana. in indice.*

At non defuere qui tot doctiſſimis viris adverſantes, Juvenalem carperent. Gyraldus enim in *hiſtoria poëtarum dial.* IV. male de Juvenalis phraſi ſentit, ac non putam arbitratur, ait enim: *Iuvenalis non prius legendus arbitratur, niſi caſta, ac Romana lectione plane ſimus imbuti; quod a Magiſtris minus obſervatur; bonis enim a teneris aſſueſcere debemus.*

Ammonius Marcellinus *lib.* XXVIII. *hiſtor. ait. Quidam deteſtantes, ut venena, doctrinas, Iuvenalem, & Marium Maximum curatiore ſtudio legant; nulla volumina, praeter haec, in profundo otio contrectantes.*

Caeterum ipſius exilii ob cenſoriam loquendi libertatem, & ob hiſtrionis cauſam meminerunt Sidonius Apollinaris *in carmine ad Magnum Felicem* ſcribens; Rutilius Claudius Numantinus; Gallus *in Itinerario*, Suidas; Petrus Crinitus; Gyraldus; & caeteri, qui ejus vitam ſcripſerunt, & qui de eo agunt.

Floruit autem ſub Domitiano Imperatore, & ad Nervae, ac Trajani aetatem pervenit. Sunt, qui credant Iuvenalem eas in Egypto Satyras conſcripſiſſe; alteram ad Voluſium Bithynium *de portentis Egypti*, alteram ad Gallum *de Militiae incomodis.*

Et quoad ejus patriam ſpectat, Petrus Crinitus *lib.* IV. *de poëtis latinis. cap.* 65. ait: eum *Aquinatem* fuiſſe, quod non modo percipitur ex inſcriptione veterum Codicum; ſed his etiam verſibus, qui ſub perſona Umbri dicuntur:

Ergo vale noſtri memor, & quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino;
Mequoque ad Elviam Cererem noſtramq. Dianam
Convelle a Cumis.

DECIUS MEMMOLUS Presbyter Beneventanus, ac Civis Arianenſis Pauli v. Romani Pontif. a ſecretis ad Principes, & Canonicus Eccleſiae Liberianae Urbis Romae extitit. Scripſit Italice. *Della vita, Chieſa, e Reliquie de Santi quattro Coronati*, excuſ. *Romae. anno.* 1628. *apud Grignanum. in* 8. & Domino Garziae Millino Cardinali dicavit.

Avvertimenti per Predicatori. apud eundem 1630. *in* 24.

Ricordi da valerſene per conſeguire quiete in queſta vita, e per incaminarſi bene nell' altra; alle Monache di S. Suſanna dell' Ordine di S. Bernardo.

Dialoghi due da rappreſentarſi in Muſica. Romae. apud eundem. 1630. *in* 24.

La Suſanna, Tragedia. Romae. apud eundem. 1632. *in* 8. opus poſt humum, quod in

in lucem edi curavit Aloyſius Memmolus ejus frater.

Alia quoque multa ſcripſit, quae impreſſa non ſunt, eaque recenſet Leo Allatius in ſuo libro *Apium Urbanarum*, ſive *de viris illuſtribus*.

Obiit autem Romae die 13. Junii 1631. & in Baſilica praedicta Liberiana ſepultus eſt, in qua Chriſtophorus Memmolus alter ejus frater Ruborum Epiſcopus, hanc incidi fecit inſcriptionem in marmoreo tumulo

D. O. M.

DECIO MEMMOLO LIVIVS BASILICAE CANONICO PAOLO V. PONTIF. MAX. A SECRETIS AD PRINCIPES SOLERTIA FIDE OPERA SVMME CARO EXIMIA IN DEVM ET HOMINES PIETATE VITAE INTEGRITATE MORVM CANDORE AC ERVDITIONE PRAESTANTI OMNIBVS AVTAE ORDINIS AMABILIS CHRISTOPHORVS MEMMOLVS RVBORVM EPISCOPVS FRATRI DVLCISS. LACRIMANS P. DORMIENS OBIIT QVI DICERE POTERAT EGO DORMIO ET COR MEVM VIGILAT XIII. KAL. IVLII ANNO DOMINI MDCXXXI. AETATIS L.

DESIDERIVS, ante DAVFERIVS appellatus e nobili Beneventanorum Principum familia ortus, Monachus prius Caſſinenſis Monaſterii; dein ejuſdem Caenobii Abbas anno 2058. & ſequenti anno S. R. E. Cardinalis a Nicolao II. Rom. Pontif. creatus. Praefuit eidem Caſſinenſi Caenobio annos circiter 29. cum adhuc Cardinalis eſſet; tandem Gregorio VII. Papa ab humanis ſublato, renitens, ac invitus in ejus locum adlectus eſt 9. kal. Junii 1086. ac Victor III. nuncupatus; obiitque in eodem Caſſinenſi Monaſterio die 16. Octobris 1087.

Scripſit quatuor *Dialogorum* libros *De Miraculis, quae Deus in Monaſterio Caſſinenſi, & aliis quibuſdam locis operari dignatus eſt, interlocutoribus Deſiderio ipſo, ac Theophilo;* qui habentur manuſcripti in membrana caracteribus Longobardis in Bibliotheca Vaticana; unde data fuit facultas illos tranſcribendi, ac eorum tranſumptum ſervatur in Archivio Caſſinenſis Caenobii. Sed dolemus quartum librum interiiſſe. Citantur ſaepius a Cardinali Baronio in ſuis Notis ad Martyrologium Romanum, & in ejus Annalibus. Extant quoque ejus *Cantus* quidam *de S. Mauro*.

De ejus vitae ſanctitate, ac praeclare geſtis profuſe ait Leo Oſtienſis per totum librum tertium ejus *Chronici Caſſinenſis*, & Card. nomen apud pleroſque jam dudum magnum, & celebre, & celebrius deinceps ac nobilius per Occidentem totum diffundi, prudentiae ſimul, ac religionis maximae ab omnibus praedicari.

Santus Petrus Daminianus paſſim in ejus epiſtolis meminit Deſiderii Abbatis Caſſinenſis, & Cardinalis, quinimo multae extant ejuſdem Petri Damiani ad eum Deſiderium epiſtolae. Imo idem Petrus in *epiſt.* 17. *lib.* IV. ſcribens ad . . . . . . *Deſiderium veraciſſimum* vocat, *ac religioſiſſimum Caſſinenſis Monaſterii Abbatem*.

De eo etiam D. Arnoldus Vvion in ſuo *Ligno vitae* & Antonius Poſſevin. primo *vol. Apparatus Sacri*.

DIOMEDES CARRAFA Patritius Neapolitanus, Magdaloni, ac Cerreti Comes, vir in bellicis rebus, & in Morali Philoſophia peritiſſimus fuit. Alphonſi Senioris Siciliae Regis, ac Ferdinandi Regis ejus filii familiaris extitit, & Supremus Conſiliarius; eorumque Regum familiaritate, atque ab animi prudentia, ſua aetate, celeberrimus effulxit. Scripſit Italice: *De militaribus praeceptis libros tres*. Itemque *Libellum*, ſeu *litteras* juſſu, & ſub nomine Ferdinandi I. Regis, *ad Henricum Hiſpalenſium, & Toletanorum*, per id tempus in Hiſpania Regem, Militaria praecepta ei tradens, atque ob ſanguinis cognationem fraterne iis litteris eum admonens, ut qua induſtria, quave prudentia

tia in eo bello, quod cum Rege Luſitanorum tunc gerebat, uti deberet ad victoriam aſſequendam, reſciret. Eum librum Petrus Gravina anno 1525. ex vernacula lingua in latinam tranſtulit. *Cum dignum* (ut ipſe ait) *cenſerem, qui nitida latinitate donatus in hominum manus veniret, & veluti praetioſae quaedam gemmae papyro diu involutae in auro puro concinnius clauderentur;* dicavitque alteri Diomedi Carrafae Magdaloni Comiti, ejus Diomedis ex filio nepoti: excuſus eſt autem *Bononiae. apud Joan. Baptiſtam Phaellum Bononienſem. anno. 1530. in 4.*

Alium libellum conſcripſit *ad Alphonſum Calabriae Ducem* ejuſdem Ferdinandi Regis filium primogenitum, quem edidit pro ipſius Calabriae Ducis itinere, quod is Anconam facere inſtituit.

Alium etiam *Librum ad Franciſcum Aragoneum*, ipſius Regis filium, patris juſſu edidit eo tempore, quo Franciſcus ipſe Ungariae, cum Matthia Rege, ejus cognato, commoraretur, a Ferdinando patre illuc miſſus, ut militiae res addiſceret.

In iis operibus praeter doctrinae copiam, ac ſoliditatem, prudentia quoque, cum auctoritate conjuncta perſpicitur, ut major exoptari vix poſſit. Ex iis autem libris, cum primus dumtaxat antiquitus fuiſſet excuſus, reliqui vero duo adhuc manuſcripti penes Magdaloni Duces antiquis caracteribus exarati ſervarentur, nuper excuſi ſunt ſimul *Neapoli. anno 1608. penes Tarquinium Longum. in 4.* Philiberti Campanilis ſtudio, qui ex innumeris, quibus librariorum incuria ſcaebant erroribus, ut vix certus ſenſus elici potuerit, expurgavit.

Scripſit quoque Diomedes *De re aulica ad eundem Ferdinandum Regem*, ut Auguſtinus Niphus Sueſſanus in nuncupatoria *epiſtola* ad ſuum librum *de re aulica* his verbis teſtatur: *Scripſit noſtris temporibus* de Re aulica *Diomedes Carrafa Magdalonenſis Comes* ad Ferdinandum Regem I.; *qui licet nonnihil boni dederit, tamen aulicam non explicavit.* Vixit autem Diomedes annum circiter 1450. obiitque Neapoli 17. Maji. 1487. & in Divi Dominici ſacra aede ſepultus eſt, ut Julianus Paſſer in ejus *Diurnalibus* tradit.

Andreas Matthaeus Aquaviva Hadrianorum Dux in *Diſputatione de Virtutibus Moralibus lib. III. cap. 9.* appellat Diomedem Carrafam Magdaloni Comitem, *virum plane integerrimum, probum, ac praeſtantem & omnibus proceribus Regni cariſſimum.*

Matthaeus Afflictus in *l. imperiales de prohib. feud. alien.* per Lothor. num. 21. meminit Diomedis Carrafae Magdaloni Comitis *magni Conſiliarii Regis Ferdinandi* I., *& viri prudentis, & ſapientis; cujus contemplatione idem Rex multa concedit.*

In *Regiſtro Privilegiorum* XXI. Regis Ferdinandi I. *fol.* 96. in Regia Cancellaria; in *diplomate ſub datum* die 15. Januarii 1487. ab eo Rege appellatur *ſpectabilis, & magnificus vir Diomedes Carrafa Magdaloni Comes, ipſi Regi, & ſtatui Regio fideliſſimus, & Conſultor digniſſimus; ad populos gubernandos idoneus; ad juſtitiam miniſtrandam integerrimus, & virtutibus ornatus.*

DIOMEDES MARICONDA Neapolitanus Juriſconſultus ejus aetatis praeclariſſimus, & inter primarios inſignis, & cauſarum patronus illuſtris; Conſiliarius fuit in Regno Neapolitano Ludovici XII. Gallorum Regis, qui tunc eo Regno potiebatur anno 1501. dein ſub Ferdinando Rege Catholico Regiae Camerae Praeſidens.

Multa ſcripſiſſe fama eſt; ad nos tamen pervenerunt, quae ſcripſit ad *Conſuetudines Neapolitanas, & Conſtitutiones Regni, Gloſſas* nempe, & *Additiones*, quae manibus omnium tenentur, jam pluries editas.

Extat quoque *Conſiliorum legalium liber*, qui manuſcriptus penes Dominum Bartholomaeum Caracciolum ab Aragonia aſſervatur.

Inter *Conſilia* etiam Thomae Grammatici habetur doctiſſimum ipſius *Diomedis Conſilium num. 66.* ex quo ejus doctrinae, & in-

& ingenii lumina elucent, adeo ut ex unguibus leo agnoſcatur.

Scipio Januarius Patritius Neapolitanus in *Regula Legali num.* 63. *fallentia* 14. ſic de Diomedis operibus teſtimonium perhibet. *Finis doctoratus circa quatuor ſimul, vel ſeparatim verſatur, videlicet in ſcribendo, legendo, judicando, vel advocando; in quibus omnibus quatuor floruit tempeſtate noſtra excellens* Dominus Diomedes Mariconda, *ut pater, & praeceptor mihi obſervandiſſimus, patriae decus, & honor, & ſuae domus columna.*

Mirum eſt quantum a noſtris regnicolis Diomedes in eorum libris celebretur; Matthaeus enim Afflictus *Deciſ.* 324. *num.* 1. vocat eum *peritum juvenem advocatum*.

Sigiſmundus Loffredus in *Paraphr. feud. in c.* 1. §. *ſeu verſ. queſitum eſt*. ſub tit. *de Capitaneo, qui curiam vendidit*. vocat Diomedem Mariconda:n *eruditiſſimum virum, fratrem doctiſſimi viri Nicolai Maricondae; qui ambo noſtra aetate Neapoli doctiſſimorum virorum in utraque cenſura nomen ſibi vendicavere*. Idem Loffredus in c. *imperialem*. in verſ. *per praedictum de prohib. feud. alien. per Feder.* vocat eum *virum doctiſſimum*.

Thomas Grammaticus *Deciſ.* 96. *n.* 4. appellat eum & Dominum ejus *praeceptorem obſervandiſſimum*, & *Clariſſimum Doctorem*. Et in *Gloſſis ad Conſtit. Regni in princ.* mirum in modum de eo praedicat, ac praeceptorem ſuum, & *ſingularis doctrinae virum, exemplariſque vitae, ac morum integritate praeditum ac cauſarum prius patronum* fuiſſe dicit; dein *Regium Conſiliarium, & Regiae Camerae Praeſidem, ſub Rege Catholico; ibidemque honorifice degentem per aliquot annos diem ſuum feliciter clauſiſſe extremum. Conſ.* 13. & 64. Eum ſimiliter laudat, vocans *praeceptorem ſuum obſervandiſſimum*.

Meminit quoque ipſius Jacobus de Gallo in *Tract. de jure adohae n.* 34., 77. & 48.

Obiit autem Diomedes annum circiter 1511.

DOMINICUS DE CARPANO Neapolitanus Ord. S. Franciſci Conventualium, ſcripſit anno 1486. Italice librum praegrandem, quem vocavit, li *Stelliferi Sermoni della Concezione della glorioſa, e Beata Vergine Maria*. Inſcripſit autem illum Sereniſſimae Johannae de Aragonia Neapolitanorum Reginae excuſ. *Neap. per Alphonſum de Cantono Mediolanenſem Civem Neapolitanum. anno*. 1496. *in* 4.

DOMINICUS GRAVINA Neapolitanus Ordinis Praedicatorum Congregationis S. Mariae Sanitatis, Sacre Theologiae Doctor, in ſua Religione Philoſophiae, ac Theologiae Lector fuit. Per complures annos Sancti Officii in civitate Neapolitana Conſultor, Curiaeque Archiep. Neapolitanae Theologus extitit; pariterque Vicarius generalis Congregationis S. Mariae Sanitatis Provinciae Regni Neapolis, & Prior Provincialis Provinciae Neapolitanae ejuſdem Ordinis; denique in publico Neapolitano Regio Gymnaſio Sacrae Theologiae primarius profeſſor adlectus eſt.

Multa ſcripſit, quorum aliqua edita ſunt; nempe cum Romae adhuc conſiſteret, & ſocius eſſet generalis Procuratoris ejus Ordinis, edidit Italice: *Brevem Deſcriptionem ſtatus Chriſtianae religionis, & Ordinis Praedicatorum in Provincia Armeniae, deſumptam ex antiquis Scriptoribus, & ex recenti Relatione a Domino fratre Azaria Fridone Armeno, Ord. Praed., & Naxivanenſi Archiep. tradita, Sanctiſs. Domino Clementi* VIII. *Pontif. Maximo* anno 1604. excuſa eſt autem Romae. *anno* 1605. *apud Aloyſium Zannettum. in* 8. Ill. Marco Antonio Sabbadino dicata.

Catholicae Praeſcriptiones adverſus omnes veteres, & noſtri temporis Haereticos, quorum controverſiae ex antiquitate, univerſitate, Patrum conſenſione, S. Thomae Aquinatis doctrina, & methodo diſſolvuntur, ac confutantur, ad Paulum V. Pontif. Max. impreſſ.

Digitized by Google

preſſ. *Neap. anno*. 1619. *apud Secundinum Ronchaliolum . in fol.*

Catholicarum praeſcriptionum adverſus noſtrorum temporum Haereticos Pars altera. in qua controverſiae ab iiſdem agitatae de Verbo Dei ſcripto, hoc eſt Sacrae Scripturae auctoritatae, verſione, interpretatione, ex antiquitate, univerſitate, Patrum conſentione, & S. Thomae Aquinatis doctrina, & methodo, diſſolvuntur, & confutantur, ad Sanctiſs. Dominum Papam Urbanum VIII. impreſſ. *Neap. 1627. apud Lazarum Scorigium. in fol.*

Catholicarum praeſcriptionum adverſus noſtrorum temporum Hereticos: tomus tertius. in duas partes diviſus: *Pars prima*; in qua patrum auctoritas, praeſertim Paſtorum, & Doctorum, & ipſius Eccleſiae ſenſus, ex antiquitate, univerſitate, conſentione, & S. Thomae doctrina, & methodo defenduntur, ad Eminentiſſimum Dominum Franciſcum Bonconpagnum Cardinalem, Archiepiſcopum Neapolitanum, excuſ. *Neapoli. 1630. apud Lazarum Scorigium. in fol.*

Catholicarum praeſcriptionum adverſus noſtri temporis Haereticos, Tomi tertii Pars ſecunda, in qua de Eccleſiae natura, partibus, notis, vel ſignis, dotibus, vel muneribus, & ornamentis, ex antiquitate, univerſitate, & conſentione Patrum, doctrina, & methodo S. Thomae Angelici Doctoris diſſeritur, ad Eminentiſſimum Dominum Franciſcum Antonium Barberinum S. R. E. Cardinalem, & S. Honuphrii, ſupremum Inquiſitorem S. D. N. Fratrem germanum, impreſſ. *Neap. 1632. apud Lazarum Scorigium. in fol.*

Continuatio ſecundae partis Tom. IV. Catholicarum praeſcriptionum &c. ubi de legitimo, & praecipuo Magiſtro, & Judice infallibili Romano Pontifice in fidei, morum, & Eccleſiaſticae diſciplinae, canonizationis, & cultus Sanctorum, decretis diſſeritur, ex antiquitate, univerſitate, Patrum conſentione, & Angelici methodo atque doctrina, impreſſ. *Neapoli. apud Jacobum Gaffarum*. 1639. *in fol.* Sanctiſſimo Domino Urbano VIII. Papae Summo Pontifice dicata.

Opuſculum de indiviſa, & unamini Sacroſancti Evangelii praedicatione ab Orthodoxis, & legitime miſſis divini verbi Concionatoribus diſſeminanda, pro communi gentium, aliorumque Infidelium cultura, & meſſe, excuſ. *Neap. 1632. apud Scipionem Boninum. in 4.* Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Antonio Epiſcopo Vienneſi S. C. Majeſtatis Conſiliario & Sac. Rom. Imper. Principi dicatum.

Cherubim Paradiſi S. Thomas Aquinas; characteribus Divinae ſapientiae illuſtratus, & cum SS. Patribus ab oppoſitis paraturis vindicatus. excuſ. *Neap. anno* . 1641. *apud Secundinum Roncaliolum*. in 4. Eminentiſſimo Domino Franciſco Barberino S. R. E. Cardinali dicatus.

Ad diſcernendas veras, a falſis viſionibus, & revelationibus Theoricam, & Practicam complectens; ad directionem Confeſſariorum, & qualificatorum ſanctae Inquiſitionis. impreſſ. *Neapoli* 1638. *apud Scipionem Boninum. in 4.* Eminentiſſimo Domino Cardinali Barberino dicatus.

Pro ſacro depoſito Fidei Catholicae fideliter a Romanis Pontificibus cuſtodito, Apologeticus, adverſus Novatorum calumnias, & praeſertim noviſſimi Marci Antonii de Dominis Archiapoſtatae Spalatenſis, ad Sanctiſſimum Dominum Urbanum VIII., & univerſos contra haereticam pravitatem S. R. E. Illuſtriſſimos Cardinales in tota Chriſtiana Republica generales Inquiſitores, excuſ. *Neap. 1629. apud Lazarum Scorigium. in 4.*

Pro Sacroſancto Ordinis Sacramento Vindiciae Orthodoxae adverſus haereſeologias Marci Antonii de Dominis Archiapoſtatae Spalatenſis, in quibus pariter Eccleſiae Latinae cum Graeca tam in materia, quam forma concordia demonſtratur, ad Sanctiſſimum Dominum Urbanum VIII. Papam excuſ. *Neap. apud Jo: Dominicum Montanarium, & Jacobum Gaffarum*. in 4. 1634.

Scripſit quoque librum, qui inſcribitur:

Vox Turturis, *ſeu de florenti uſque ad noſtra tempora S. S. Benedicti*, *Dominici*, *Franciſci*, & *aliarum Sacrarum Religionum ſtatu*. ad Illuſtriſſimum Dominum Cardinalem de Cremona generalem Inquiſitorem. impreſſ. *Neap.* 1625. *apud Secundinum Roncaliolum. in* 8.

Librum hunc Gravina edidit adverſus librum Roberti Cardinalis Bellarmini, *de Gemitu Columbae*, in quo Bellarminus valde conqueritur de antiquis Religionibus regularium, & praeſertim Ordinis Praedicatorum; quod noſtra aetate e regulari obſervantia, & vitae ſanctitate lapſi, & deſtituti ſint. Quamobrem adverſus Gravinae librum prodiit e Germania liber Apologeticus pro Bellarmino, ſub ficto auctoris nomine, qui accerime, & caninis dentibus religioſos mordet, eoſque maledictis, ac probris inſectatur, cui titulus eſt: *Cavea* Turturi *male, contra* gementem *Eminentiſſimi Roberti Cardinalis Bellarmini* Columbam, *exultanti*, *a Theologo veritatis vindice ſtructa*, & *a Gregorio Bieldio Sacrae Theologiae Doctore Ducalis Collegiatae Eccleſiae apud Landislutanos Decano*, & *Sereniſſimi Electoris Bavariae Conſiliario* &c. publicata *Monachi apud Nicolaum Henricum*. *anno*. 1631.

At Gravina adverſus hunc librum ſerio Religioſorum cauſam fovens, ac proſequens alium librum edidit, qui ſic pretitulatur: *Congeminata vox* Turturis, *florentiſſimum Sacrorum Ordinum ſtatum, diſrupta* Cavea *Anonymi*, *iterato occinentis*, *Opus e MStis tractatibus Gravinianis ab Illuſtri D. Auguſtino Ardinghello excerptum*, & *a facultate theologica Parthenopea* invictiſſimo, & potentiſſimo Poloniae Regi dicatum. impreſſ. *Neapoli*. *apud Lazarum Scorigium*. 1633. *in* 4. praecibus D. Leonorae Pignatellae Abbatiſſae Coenobii S. Gregorii Civitatis Neapolis.

Edidit quoque *Vitam S. Gregorii Archiepiſcopi*, & *Primatis Armeniae*, *collectam ex Simone Metaphraſte*, ac *ex vetuſto latino exemplari* MSto, *litteris longobardis exarato*, *ac ex Relatione Chriſtianitatis Armeniae*, *ejuſdem Gravinae*, excuſam *Neapoli*. 1630. *apud Lazarum Scorigium*. *in* 4. ab eadem Abbatiſſa, & Monialibus eidem S. Gregorio dicatam.

DOMINICUS PIZZIMENTIUS Vibonenſis Calaber (eſt autem Vibona Civitas, quam Monteleonem vocant) edidit latine *Interpraetationem in Priapeam*, & *Epigrammata diverſorum poetarum*, quae is dicavit *Nymphae*, excuſ. *Venetiis*: 1554. *apud Hieronymum de Jacobo Diani*. *in* 8.

DOMITIUS BRUSONIUS, vide *Lucium Domitium Bruſonium*.

DOMITIUS CHAMEROTA Adornus Gravinenſis Theologus, ſcripſit *Tractatum de ſeptem Sacramentis novae Legis*, quem Illuſtriſſimo Domino Joanni de Guevara Archiepiſcopo Salernitano Regio Conſiliario, & in Regno Neapolitano generali Viſitatori dicavit. impreſſ. *Neap. apud Joannem Jacobum Carlinum*, & *Conſtantinum Vitalem*. *anno*. 1610. *in* 4.

Comoediam quoque Italice, quam inſcripſit: *Herculem in bivium*, quae edita eſt *Venetiis*. 1619. *apud Antonium Turinum*. *in* 12. virtuoſis Juvenibus dicatam.

DOMITIUS, PALLADIUS SORANUS ſive *Domicius* poëta edidit *Epigrammatum libellum*, item *Elegiarum libellum alterum*, & *Genethliacon urbis Romae* quae omnia prodierunt *Venetiis*. *anno*. 1498. *ex typographia Joannis Baptiſtae de Seſſa*, ut inquit Geſnerus in *Epitome* ejus *Bibliothecae fol.* 205.

Dominici Palladii Sorani Epigramma quoddam *de Paſſione Domini* quod habetur *Venetiis*. in *aede S. Salvatoris* recitat Laurentius Schraderus in ſuo libro *Monumentorum Italiae*. *fol.* 300. *at*.

Do-

Digitized by Google

Dominici Palladii Sorani poëtae (qui idem eſt) *verſus Jambi* , *quos* vocat *Gliconicum in laudem operis Zachariae Benedicti Vincentini Cartuſienſis*, *de Vita S. Brunonis latino, atque heroico carmine deſcripta anno* . 1508. quae habetur in fine Operum ejuſdem S. Brunonis excuſ. *Pariſiis*. *anno*. 1524. *apud Jodocum Badium Aſcenſium*.

DONATUS ANT. ab ALTOMARI Neapolitanus Philoſophus , ac Medicus praeclariſſimus , ac medicinae in Neapolitano Gymnaſio per plures annos profeſſor fuit. Multa edidit opera , & quidem inſignia ad Medicam facultatem pertinentia ; pleraque ſeorſim , ac ſeparatis libellis , variis in locis , ac temporibus excuſa : demum omnia ab auctore reviſa, ac recognita recuſa ſunt ſimul in unum congeſta *Lugduni*. *anno*. 1565. *apud Gulielmum Rovillium* . *in fol. & Venetiis* 1574. *in fol.* Sunt autem haec quae edidit :

De in utero gerentibus . *De alteratione* , *concoctione* , *digeſtione* , *praeparatione* , *& purgatione*. *De ſedimento in urinis*. *Quod functiones principes, juxta Galeni decreta , animae non in cerebri finibus* , *ſed in ipſius corpore exerceat*. *Quod naturalis ſpiritus in Galeni doctrina admittatur* , *& non omnino ſit abolendus* , *ut quibuſdam viſum eſt* . *Quod exquiſita tertiana ad ejuſdem Hippocratis* , *& Galeni ſententiam in genere acutorum morborum contineatur*. *De ſanitatis latitudine* . *De medendis humani corporis malis* . *Ars medica* . *De medendis febribus* . *De peſtilenti febre*. *De mannae differentiis* , *ac viribus* , *deque eas dignoſcendi via* , *& ratione*. *De vinaceorum facultate* , *& uſu* .

At in ea Veneta editione anni 1574. acceſſerunt etiam Tabulae duae , & *Libellus de pulſibus* , *& emendatione ponderis per columnas* .

Caeterum Petrus Salinus Diverſus , Philoſophus, ac Medicus Faventinus , ſcripſit inter alia , *Annotationes in artem Medicam* ; *de Medendis humani corporis malis ab eodem Donato Antonio ab Altomari editam* , *quae Bononiae* ſimul cum ea Altomari *Arte Medica* editae ſunt *apud Ioannem Roſſium*. 1584. *in* 4. Item *Francofurti* . *apud Wechelos* . *anno*. 1586. *in* 8.

At Joannes Sambucus Tirnavienſis Pannonius Medicus Illuſtris, ac antiquarum rerum ſtudioſiſſimus , qui edidit librum, quem inſcripſit *Icones* , *ſeu vivas imagines Medicorum* , *ac Philoſophorum veterum* , *ac recentiorum* , *cum ejuſdem ad ſingulas Elogio* , qui quidem liber primo excuſus eſt *in officina Plantiniana* . 1574. dein in eadem *Officina Plantiniana Raphelengii* . 1603. *in fol.* recuſus (praemiſſa in ea editione Vitis ſingulorum , & Scriptorum indiculo ; & diverſorum de eiſdem encomiis) , inter viros praeclariſſimos ex toto orbe philoſophos , ac Medicos , *Altimarum* repoſuit , ejuſque effigiem in aere inciſam , in qua hoc legitur ipſius elogium num. 46. *Donatus Antonius ab Altomari* , *vulgo Vocatus Philoſophus* , *& Medicus Neapolitanus* , *e celeberrimis Italiae Medicis aevo ſuo fuit* . *Scripſit Artem Medicam* , *de medendis humani corporis malis* ; Methodum *de alteratione* , *concoctione* , *digeſtione* , *& purgatione* , *ex Hippocratis*, *& Galeni ſententia de medendis febribus* ; *& alia varii argumenti Opuſcula* ; *quibus acceſſit poſtremo de Sanitatis latitudine tractatus*. *Vixit Neapoli circa annum* 1550.

Antonius vero Poſſevin . in 2. *volum. Biblioth. Selectae*. *lib.* 14. *cap.* 22. *de Medicina* . *fol.* 199. ſic de Altomari , ejuſque Operibus judicium faciens , ſic loquitur :

„ Donatus Antonius ab Altomari Nea-
„ politanus Philoſophus , ac Medicus prae-
„ clariſſimus , atque Medicinae in Neapo-
„ litana Cathedra per multos annos pro-
„ feſſor , videns methodum medendi cor-
„ poris humani morbos a Galeno docte
„ quidem , ac ſapienter nobis traditum li-
„ bris quatuordecim , quos de medendi
„ methodo inſcripſit ; hoc noſtrum ſaecu-
„ lum faciliorem , ac magis uberem opta-
„ re , maxime Medicinae Scholarium com-
„ modo , atque utilitate elaboravit , ex eo
„ quod

„ quod videns id, quod non uno in loco a
„ Galeno dictum eſt univerſalem Metho-
„ dum, quae circa univerſalia verſantur
„ theoremata, bonum artificem abſque
„ multa exercitatione efficere minime poſ-
„ ſe. Quapropter Donatus Antonius egit,
„ quem in modum valeret affectam ſedem,
„ atque praeter naturam affectus omnes,
„ earumque cauſas dignoſcere. His vero
„ cognitis quid praenoſcendum, ac prae-
„ dicandum foret, ſi denique affectus ipſe
„ ſit curabilis, juxta Hippocratis, & Ga-
„ leni doctrinam praeſertim. Sane quae
„ ad dignotionem, curationem, & progno-
„ ſtica ſint percommoda. At ipſius Dona-
„ ti Antonii Methodus cum digniſſima ſit
„ perlectu, nec facile de manibus ponen-
„ da; ſic ejus opera antea ſparſa, collecta
„ tamen in unum, ac recognita, & aucta
„ ab Auctore Guglielmus Rovillius anno
„ 1565. Lugduni evulgavit in Galliis.

Obiit autem Donatus Antonius Neapoli, & ſepultus eſt in divae Mariae de Gratia ſacra Aede Ordinis Santi Hieronymi in proprio Sacello, ubi haec legitur ipſius memoria:

THOMAS ALTIMARVS IVRISCONSVLTVS CAESARIS CONSILIARIVS ET DONATVS ANTONIVS MEDICVS ET PHILOSOPHVS FRATRES ARAM CHRISTO DEO DICAVERVNT AERE ANNVO ADDITO VT IN EA SACRA PRAECESQVE FIANT ET NE ILLOS VEL MORS IPSA SEIVNGERET MISCERI SIMVL CINERES VOLVERE PVLCRVM CONCORDIAE ET PIETATIS EXEMPLVM.

M. D. L. VIII.

DONATO ANTONIO ALTOMARIO PHILOSOPHO AC MEDICO ILLVSTRI HIPPOCRATIS ET GALENI QVI FERE APVD NOS OBSOLEVERANT IN VETEREM PVRITATEM RESTITVERE FILII MAGNI MERITI MVNVS EXIGVVM HIC POST DOMI INSTITVTAM ACADEMIAM POSTQVE ETIAM DECEM AB EO DE RE MEDICA EDITOS LIBROS MORTVVS AEQVE AC VIVVS PVBLICA GLORIA EXTITIT VIX. AN. LVI. MORITVR MDLXII.

DONATVS ANTONIVS FERRVS Trivicanus Philoſophus, ac Medicus, ſcripſit *de Podagra Enchiridion*, quod quidem plurima ad Medicinae theoriam, ac practicam, nec non omnia ad Sanitatem tuendam neceſſaria comprehendit, ad Dominum Ciccum Loffredum Trivici Marchionem, ac Philippi Regis Catholici a latere Conſiliarium. excuſ. *Neapoli. apud Horatium Salvianum, & Caeſarem Caeſaris. anno.* 1584. *in* 8.

DONATVS ANT. de MARINIS ex Oppido Laurino Lucanus, ac Civis Neapolitanus, legum doctor, edidit *Revolutionum quotidianarum juris Pontificii, Caeſarei, ac Regni Neapolitani librum primum*, in quo variae, ac multiplices materiae judiciales, feudales, criminales, ultimarum voluntatum, contractuum, libertatis, ac immunitatis Eccleſiaſticae, Epiſcoporum, Abbatum, cenſurarum, beneficiorum, juris patronatus, aliaeque miſcellaneae in utroque foro quotidie occurrentes, reſolvuntur, deciſionibus praeſertim Sacrae Rotae Romanae, & Regni Neapolitani, etiam non impreſſis illuſtratum, excuſ. *Neap.* 1632. *apud Lazarum Scorigium. in fol.* Ill. Principi Domino Franciſco Peretto ex Principibus Venafri dicatum. Poſtmodum innumeris additionibus auctum, prodiit *ex typographia Jacobi Gaffari.* 1641. *in fol.* Ill. & Rev. Domino Laurentio Peretto Abbati Clarevallenſi dicatus.

DONATVS FINA, ſive *Joan. Donatus* Sangrenſis Juriſconſ. fuit, de quo multa ſcripſit Antonius Riccobonus *Commentariorum de Gymnaſio Patavino lib.* III. *cap.* 16. Hic enim Donatus, ut idem Riccobonus ait, *Neapoli per quindecim dies ex univerſo jure*

Digitized by Google

jure ſubtiliſſimas quaeſtiones propoſitas publice diſputavit , ac doctoris inſula decoratus eſt. Patavium dein conceſſit, ubi jus civile privatim per quindecim annos magna cum laude eſt interpretatus ; exin in publica Cathedra ejuſdem Urbis Criminalium quaeſtionum *explicator conſtituitur anno* 1575. quae inter primarias Cathedras ejus Gymnaſii habetur. Ab ejus Accademiae Juriſconſultorum . & Scholarium univerſitate maxima contentione poſtulatus eſt, apud Patavini Gymnaſii Moderatores, quod ſummo gaudio totius Gymnaſii factum fuerat ; at non diu ſupervixit , etenim ſequenti anno obiit.

Publicos, & inſignes Magiſtratus hic magna gloria congeſſit; quippe Caeſenae praeclariſſimae Urbis a Romano Pontifice ſibi fuerat adminiſtratio conceſſa : cui civitati magna gloria praefuit , & ejus civibus in primis charus fuit ; adeo , ut Senatoribus omnibus conſentientibus , ea civitate fuerit donatus. Ab Hieronymo Zanio , & Sfortia Pallavicino Venetae Claſſis Imperatoribus ſummus Claſſis Auditor creatus eſt , qui eorum nomine jus diceret ; quod munus prudentiſſime , ac feliciter confecit.

Edidit pergrandem librum , quem inſcripſit *Enchiridion concluſionum & regularum utriuſque juris, cum ampliationibus , & limitationibus in* v. *libros diviſum ;* in quibus tractatur *de contractibus , ultimis voluntatibus , Judiciis , de criminalibus communibus regulis*. Liber quidem , qui omnibus juris civilis ſtudioſis pernecceſſarius eſt habitus ; fuit enim pluribus in locis typis excuſus , & ab auctore recognitus , ac dimidia fere parte auctus ; & locupletatus. Prodiit primum *Venetiis*. 1573. *in* 8. & *Francofurti* 1574. *apud Nicolaum Baſſ. in* 8. dein *Venetiis*. 1582. *apud Paulum Mejetum* bibliopolam Patavinum , *in* 4.

Elucubravit quoque *Librum ſuper Inſtitutionibus Imperialibus* , quem is paſſim in in *Enchiridio* citat.

Extat adhuc Octaviani Reſtae Taleacotini *Oratio in funere Donati Finae* Sanerini Juriſconſulti habita Patavii x. Kalen. Febr. 1577. ad Ill. & Ex. virum Sfortiam Pallavicinum ; quae excuſa eſt *Patavii* . *apud Laurentium Paſquatum*. 1577. *in* 4.

DONATUS GALASSUS Lucanus Juriſconſultus edidit *Librum ad Conſtitutionem Regni Federici Rom. Princ. de jure prothomiſeos*, qui excuſus eſt *Neapoli. apud Joan. Jac. Carlinum, & Conſtant. Vitalem*. 1610. *in* 8.

DONATUS MARRA Beneventanus Ordinis Eremitarum Santi Auguſtini , Theologus inſignis ſcripſit *Enarrationes optimas in hymnos omnes , qui in Eccleſia canuntur*, juxta morem S. R. E. ac ſecundum Ordinem Breviarii tunc nuper editi , ac etiam religioſorum Ordinum S. Auguſtini , Benedicti , Dominici , & Franciſci, & Carmelitarum, impreſſas *Neapoli. apud Horat. Salvianum. anno*. 1578. *in* 4. & Magiſtro Fratri Thadaeo Peruſino ejus Ordinis Priori Generali dicatus . Floruit anno 1575. De eo Joſeph Pamphilus in *Chron. Ordinis Santi Auguſtini*, & Thomas Gratianus in *Anaſtaſi Auguſtiniana, de ſcript. Ord. Eremitarum* , & Antonius Poſſevin , *in primo vol. appar. ſacri*.

DONATUS POLIENUS , ſive *Pullienus* , e Syderno Calaber, Ordinis Santi Benedicti, Congregationis Caeleſtinorum , & Abbas , Sacrae Theologiae profeſſor , philoſophia , atque Aſtronomia eruditus, multa ſcripſit , tum latine , tum italice . Quae autem latine edidit haec ſunt:

Tractatus de Ordine intelligendi , qui excuſus eſt *Bononiae. anno*. 1598. *apud Joan. Rubeum. in* 4.

Harmonia pacis, in qua modus ſedandi, & ad pacem quaslibet inimicitias reducendi naturalibus rationibus , illuſtriſſimorum etiam Principum, Philoſophorum , & Poëtarum , tum exemplis , tum auctoritatibus edo-

edoretur , quae prodiit *Theate : ex typogr. Iſidoris Facii*. 1602. *in* 4. Scipioni Thaultino legum doctori dicata.

Harmonia Pacis cithariſta . Theate 1606. *apud . eundem. in* 4.

Italice autem ſcripſit haec:

Relationem hiſtoricam de Myſterioſa Eccleſia Santi Stephani de Bononia dicta Hieruſalem , excuſam *Bononiae . anno .* 1600. *apud Joan. Baptiſtam Bellagambam . in* 8.

Agonem Praedicantium . excuſam *Neapoli.* 1609. *apud Joan. Baptiſtam Garganum, & Laurent. Nuccium. in* 8.

Hiſtoriam celebris Monaſterii Caſelucis in Averſano Agro poſiti, ejus Ordinis Caeleſtinorum, quae excuſa eſt *Neapoli*. 1623. *apud Joan. Domin. Roncaliolum . in* 12.

Scripſit etiam duos alios libros , ſub ficto Auctoris nomine , *D. Ferdinandi de Diano* , a Diano Sacrae Theologiae doctoris, ac Mathematici, quorum alterum latine editum ſic inſcripſit : *Divinarum gratianum compendium quatuor ſplendens fulgoribus, omnium revelationum materiam aperiens*, & domino Victori Mocenigo patritio Veneto dicavit: excuſum *Venetiis . apud Lucium Spinedam. anno.* 1626. *in* 8.

ECHANTES CROTONIATA , e Crotone, nempe inſigni Civitate in magna Graecia , ſive Calabria , Pythagorae diſcipulus, ſcripſit libros *De Regno* , cujus doctrinam Stobaeus quantum potuit collegit , ac retulit in ſuo *Sermone*, qui inſcribitur *Admonitiones de Regno* , & in *ſerm. de Magiſtratu.* Plutarchus *de placitis Philoſoph. lib.* III. *cap.* 13. Echantis Pythagorei doctrinam citat. De eo Frater Hieronymus Maraſiottus *lib.* III. *Chron. Calab. cap.* 8.

ELYSIUS CALENTIUS ex Oppido Fratrum , ſive Amphratarum in Campania , prope Cajetam , poëta Clariſſimus; Neapoli cum Pontano, Altilio , & Sannazario , quorum familiaris fuit , aliiſque viris doctis ejus aetatis verſatus ; a Pontano quoque in ejus operibus celebratur . Multa ſcripſit tum carmine , tum ſoluta oratione , nempe:

Elegiarum Aurimpiae , ad Angelum Colotium Nocerinum Epiſcopum , lib. IV. *Epigrammaton libellum . Epiſtolarum ad Hiaracum. lib.* III. *De Hectoris horrenda apparitione . lib.* I. *De bello ranarum , & murium . lib.* III. *Satyram contra poëtas. Satyram ad Longum ; quod non ſit locus amitiae . Carmen Nuptiale , & novam fabulam*; quae omnia ſimul excuſa ſunt *Romae a Joanne a Beſiken . anno* 1503.

Porro Elyſii Calentii Amphratenſis *Epiſtolae* recuſae ſunt in *Faragine Epiſtol. Laconicarum , ac ſelectarum* , quas varii ſcriptores ediderunt , quae *Baſileae , ex offic. Joan. Oporini . anno .* 1554. prodiit *in* 4. Joannis Davidis Textoris opera ; qui in *nuncupat. Epiſtola* ad Joannem Mauleonem Epiſcopum Convenarum, cui id opus, ac epiſtolas valde commendat ; ait enim *ſibi videri Calentinum ſcriptorem eſſe parum florulentum , & bonae frugis . Nec eum Epiſcopum, nec quempiam paenitebit lectionis earum epiſtolarum , ſi modo ita legantur , ut propterea non excludatur Cicero .* Lylius Gregorius Gyraldus in *hiſt. poet. in dial.* II. *de poëtis noſt. temp.* ait : *Elyſium ingenio quidem ad poëticam aptum fuiſſe ex ejus operibus ſe dignoſcere; ſed amoribus implicitum.*

Elyſii quoque Calentii meminit Joannes Juvenis *lib.* II. *de Antiquitate , & varia Tarentinorum fortuna . cap.* 6. aitque: *Fuit Calentius Neapoli inſignis, cum Aragonii regnarent, quando Pontanus , Altilius, Gravina , & Actius immortali ingenio praediti vates divina carmina factitabant . Adamavit eum Pontanus , & contubernalem a puero habuit : ſuſpexit Altilius : Actius vero Syncerus meritis laudibus exornavit .*

In vetuſt. Manuſcrp. Codice Antiquarum inſcriptionum ſequentem , praepoſitis verbis de Elyſio Calentio repperi : *Elyſius Calentius moriens hoc epitaphium Lucio filio inſcribendum mandavit :*

SIT TIBI SIT FELIX ET FAVSTVM ITER: QVI SIM DISCITO PAVCIS. TENES. HIC EGO VATES IACEO CALENTIVS SOMNO SOPITVS GRAVI DONEC ME TVBICEN A TERRIS EXCITET VOCANS AD PIAS SVPERVM SEDES. LEGISTIN. AMABO. DIC ABIENS VALE.

ENNIVS, vide Q. *Ennium*.

EPIPHANIVS FERDINANDVS Meſſapienſis, in Hydruntina provincia, philoſophus, ac medicus, edidit *Theoremata Medica, ac Philoſophica*, quae in tres libros digeſſit; & Ordini, ac populo Meſſapienſi dicavit, excuſa autem ſunt *Venetiis. anno. 1611. apud Thomam Ballionum. in fol.*

ERCHEMPERTVS, ſive EREMPERTVS. Vide *Herempertum*.

ERINVS Neapolitanus edidit Italice librum *De Quiete Monachorum*; quem manuſcriptum ſe vidiſſe perhibet Antonius Franciſcus Donus in ejus *Bibliotheca* ultimae editionis in 2. *tractatu*.

EVMACHIVS Neapolitanus ſcripſit *Hiſtoriam de geſtis Annibalis*, quam Athenaeus citat.

EVSTACHIVS VENVSINVS, vide *Statium Venuſinum*.

EVSTASIVS DE MATERA poëta ſcripſit latino carmine *De Puteolanis, ac Bajanis Balneis, eorumque virtutibus*. qui quidem liber pluries editus eſt; nempe in libello *de Balneis Puteolanis*, quem commentus eſt Franciſcus Lombardus Neapolitanus; itemque cum *Hiſtoria Puteolana* Scipionis Mazzellae; denique & in libro magno *de Balneis* edito Venetiis. Meminerunt quoque ipſius Auctor *de balneis Helvetiis*, & Joannes Gregorius Schenkius in *Biblioth. Medica*.

FABIVS DE ANNA Neapolitanus optimus Juriſconſultus, & cauſarum patronus inſignis, deinde regiis a Conſiliis in Regno Neapolitano adſcitus eſt. Joan. Vincentii de Anna (de quo inferius ſuo loco mentio habebitur) laudum aemulus, ſcripſit *Conſiliorum, ſive Reſponſorum volumina duo*, quorum primum prodiit *Venetiis. ex Offic. Gregorii Variſci. anno. 1598. in fol.* Ex. Domino Joanni a Zunica Mirandae Comitii, olim regni Proregi, nunc autem in ſupremo Italiae Conſilio Praeſidi dicatum. Alterum vero edidit *Neapoli. 1604. apud Joan. Jacob. Carlinum. in fol.* et Ex. Domino Joanni Pimentel Benaventae Comiti, Regni Proregi nuncupavit; quod deinde recuſum eſt *Neapoli. 1610. apud Tarquinium Longum. in fol.*

Scripſit item *ad Joannis Vincentii de Anna* (genitoris ſui) *Opera Additiones*, ſive annotationes perutiles, nempe ad *Allegationes, ad Singularia, ad Praepoſitiones* Conſtitutionis Regni *ſi quis aliquem*, & conſtit. *terminum vitae*.

Edidit quoque *Singularia*, quae poſt ejus patris *Singularia* habentur; quorum omnium pars, cum ejus *Conſiliis*; pars vero cum patris *Allegationibus* excuſae ſunt. Conſule quae in JOANNI VINCENTIO dicemus.

Scripſit quoque *Collectanea*, ſive *Remiſſiones ad diverſas juris Civilis, & Canonici leges, & Capitula*. Item *binas obſervationum Decades ad jus pertinentium*. Quibus addidit *Allegationes* 148. & 149. Joannis Vincentii patris excuſ. *Neapoli. 1604. apud Conſtant Vitalem. in 4.* quae ſemper illuſtri D. Franciſco Torres Militi Divi Jacobi de Spata, Gubernatori, ſive Caſtaldo Regalis

galis domus Valentiae, & Regenti Magnam Curiam Vicariae nuncupavit.

Prodierunt etiam *Francofurti* . *ex Offic. Zacchariae Palth. anno*. 1592. *Antonii Solae Commentarii in Conſtitutiones Antiquas Sabaudiae, ac Principatus Pedemontium, cum Fabii de Anna Juriſconſulti Neapolitani Controverſiis Forenſibus*.

Ab hac vita ſubtractus eſt Fabius anno 1605. & ſepultus eſt in templo Santa Mariae de Stella PP. Min. Santi Franciſci de Paula, quod eſt Neapoli in Suburbio Virginum, in Sacello Familiae de Anna, in marmoreo ſublimi ſepulcro, cum ejus ſtatua e marmore, cum hac inſcriptione:

FABIO

EX ILLVSTRI ANNIORVM FAMILIA ORTO QVI CVM LEGALI DOCTRINA IO. VINCENTIVM PATREM I. C. CLARISSIMVM ADAEQVASSET ET A PHILIPPO II. REGE INTER REGIOS CONSILIARIOS IN REGNO NEAPOLITANO ADSCITVS FVISSET IMMATVRA MORTE PRAEVENTVS E SINV CARISS. CONIVGIS D. CLARICIS DE GVEVARA ERIPITVR VNICA RELICTA FILIA ET IN IPSO TOTA PENE FAMILIA EXTINCTA PORTIA DE TVFO TVRBATO ORDINE MATER FILIO INCOMPARABILI P. VIX. AN. L. OBIIT DIE XXVII. IVLII ANNO M.D.C.V.

FABIUS CAPYCIUS GALEOTA patritius Neapolitanus Juriſconſultus inſignis, e primariis prius cauſarum patronis; deinde multis, ac ſupremis Magiſtratibus inſignitus. Judex enim fuit Magnae Curiae in Civilibus; poſtmodum in Regium Conſiliarium aſſumptus; inde in Fiſcalem Regiae Camerae, ac regii Patrimonii Advocatum; hinc in ejuſdem Regiae Camerae Praeſidem delectus; tandem Regens Regiam Cancellariam in ſupremo Italiae Conſilio apud Catholicam Majeſtatem Philippi IV. Hiſpaniarum Regis, ac Dux Reginae creatus: demum in Neapolitano Regno regius Collateralis Conſiliarius, ac Regens Regiam Cancellariam.

Edidit, cum adhuc Cauſarum patronus eſſet, *Reſponſum pro Duce Gravinae ſuper ſucceſſione Principatus Biſiniani*, quod excuſum eſt *Neapoli*. 1612. *apud Joan. Iac. Carlinum*. *in* 4. Ex. Domino Petro Fernandez de Caſtro Comiti de Lemos, & de Andradae in Regno Neapolitano Proregi dicatum.

Optimas quoque *Additiones ad legalia Conſilia, & juris reſponſa Camilli de Medicis ejus* ſoceri, ut in Camillo diximus.

Cumque Regius Conſiliarius eſſet, ac regii patrimonii Patronus, edidit *Reſponſum, ſive tractatum de Officiorum, ac regalium prohibita ſine Principis authoritate commutatione, & alienatione, eorumque reſtituta ſucceſſione, & ad Dominum reverſione*, ad intellectum Conſtit. Regni. *Ea quae ad decus, & ſcire volumus. De juribus rerum regal. & Cap. Regni. Dudum alias ex praeſumptuoſae*. impreſſum *Neapoli*. *apud Aegidium Longum*. 1628. *in* 4. Ex. Domino Antonio Alvarez de Toleto Albae Duci, Regni Neapolitani Proregi dicatum.

Cum Reg. Cam. Praeſidens eſſet in lucem prodiit *Controverſiarum juris illuſtriorum, atque frequentiorum, quas in arduis cauſis praeſertim Feudalibus in foro Regiae Camerae Summariae, Sacri Conſilii, ac ſupremi collateralis Conſilii tum Neapolitani, tum Italici, apud inviciſſimum Hiſpaniarum Regem reſidentis in quaeſtionem vocari, diſceptarique uſuvenit, cum eorumdem Tribunalium Deciſionibus, ac notis rerum judicatarum*, quas in duos tomos diſtinxit. *Neapoli* excuſas *apud Ioannem Dominicum Montanarium*. *anno* 1636. *in fol.* eidem Philippo Hiſpaniarum Regi dicatas.

Reſponſa Fiſcalia Selectiora, quae pro defenſione regii patrimonii in Neapolitano Regno exiſtentis, ſive in foro Regiae Camerae Summariae, ſive in Conventibus Iudicum delegatorum, ſive in Regiis Collaterali Neapolitano, ac ſupremo Italiae Conſiliis reddita ſunt ab eodem *Fabio Capycio Galeota*, excuſa

Digitized by Google

cuſa *Neapoli . apud Iacobum Gaffarum . anno.* 1643. *in fol.* eidem Philippo IV. Hiſpaniarum Regi nuncupata.

FABIVS COLVMNA Neapolitanus, genere Romanus, Magni Pompei Columnae S. R. E. Cardinalis, ac in Regno Neapolitano Proregis pronepos, Hieronymi Columnae nepotis filius fuit. Deinde legum doctor, Graecae, ac latinae linguae peritus, & naturalis hiſtoriae, & praeſertim herbarum ſtirpium, ſimpliciumque eruditiſſimus, ac diligentiſſimus perveſtigator. Mechanicarum item, ac rerum naturalium, ac novarum, & ſecretarum ſectator extitit. Unus ex Romana Linceorum Academia. Fortunae vitio depreſſus eſt, virtutis tamen auxilio emerſus; qui tamen modeſte vixit, ac ſui ipſius poſteris non inutilem memoriam reliquit.

Scripſit, & edidit adhuc adoleſcens librum ΦΥΤΟΒΑΣΑΝΟΣ inſcriptum, ſive *Plantarum aliquot Hiſtoria*, in qua deſcribuntur *ex genere plantae veriores, ac magis facie, viribuſque reſpondentes, prae antiquis Theophraſti, Dioſcoridis, Plinii, Galeni, aliorumque delineationibus, ab aliis huc uſque non animadverſae*. Acceſſit inſuper ejuſdem auctoris *Piſcium aliquot, Plantarumque novarum Hiſtoria* ad Illu. & Rev. S. R. E. Cardinalem Marcum Antonium Columnam impreſs. *Neapoli. anno.* 1592. *apud Horatium Salvianum. in* 4.

Videns autem quod ſtudioſis placeret, ſcripſit aliud volumen cujus titulus eſt: *Minus cognitarum ſtirpium aliquot, ac etiam rariorum noſtro caelo orientium* ΕΚΦΑΣΙΣ. *quae non paucae ab antiquioribus Theophraſto, Dioſcoride, Plinio, Galeno, aliiſque deſumptae declarantur, officinarum uſui perutiles*. Cui adjunctus eſt libellus *de Aquatilibus, aliiſque animalibus paucis*, atque icones ex vivis plantis, aliiſque rebus ſumma cum fide, ac ſolertia delineatas appoſuit. Ad Ill. & Ex. D. Martium Columnam Zagarolae, & Columnae Ducem. impreſs. *Romae. apud Iacobum Maſcardum. anno.* 1616. *in* 4. *in Officina Guilielmi Faciotti*.

Edidit etiam, & adjunxit partem alteram, ſub eodem titulo, *Minus cognitarum Stirpium*, Odoardo Farneſio dicatam, impreſs. *ibidem. eadem forma*. Cui etiam adjunxit alterum libellum *de Purpura teſtacea purpureum colorem fundente, & aliis quibuſdam teſtaceis rarioribus*, Ill. & Rev. Card. Farneſio dicatum *eodem anno, Romae, & apud eundem impreſſorem*.

Edidit quoque *Sambucam lincaeam*, ſive *de inſtrumento Muſico perfecto libros* III., in quibus praeter deſcriptionem, & conſtructionem inſtrumenti, agitur quoque *de diviſione Monocordi; de propoſitione toni; ſemitonis; & de eorum minutis partibus; de differentia trium generum muſicae; de gradibus Onarmonicorum, & Cromaticorum; & in quo differant ab illis antiquorum ii, qui ab auctore obſervati, & deſcripti ſunt, cum exemplis numerorum Muſicae, & deſignationibus, cum Organo Hydraculico Heronis Alexandrini* ab eodem Fabio declarato ad Paulum V. Pontif. Max. excuſ. *Neapoli.* 1618. *apud Conſtantinum Vitalem. in* 4.

Scripſit etiam volumen Italice, in quo declarantur, & reficiuntur nova methodo Spiritalia Heronis Alexandrini ſub nomine. *Li ſpiritali di Herone Aleſſandrino dichiarati, e reformati dal Colonna*, quod non fuit adhuc in lucem editum.

Scripſit, etiam, quae ſub praelo ſunt, *Annotationes, & additiones in rerum Medicarum novae Hiſpaniae volumen a Nardo Antonio Reecho Montecoruinenſi* Medico regio editum, in quibus *radicum, ſtirpium, foliorum, fructuum, ac ſeminum Varietates, eorumque ſimilitudinem, cum aliis rebus, vel animalibus ad phyſognomicam attinentes proponuntur*, quod volumen impreſſum eſt liberalitate Principis Federici Caeſi Lynceorum inſtitutoris, ut ſtudioſis, & toto orbi proficeret.

Obiit autem Neapoli 25. Julii 1640. & in D. Mariae Annunziatae templo in gentilitio ſacello ſepultus eſt.

Digitized by Google

Auctoritates, & teſtimonia doctorum virorum de Fabio Columna, & ſcriptis ab eo.

Primus omnium Ferdinandus Imperatus Neapolit. qui virtutis nexu conjunctus erat, & cui idem Columna ſua ſcripta antequam imprimerentur nota fecit, ſuper illis inter ſe diſceptando, Fabii Columnae mentionem faciens anno 1590. in haec verba in ſua Epiſtola ad lectorem os aperuit: *Fabio Colonna nobile virtuoſiſſimo, ed accurato oſſervatore delle coſe naturali*.

Sed poſt Imperatum, & poſt evulgatum *Phytobaſanon* ex Germanis invenio Laurentium Scholtzium, qui in ſuo *Epigrammatum volumine in laudem Horti* ſui in Uratiſlavia conſtructi, & in *Uratiſlavia* impreſſo 1594. conjunxit *Carmen Joannis Freſchii Philoſophi*, & Medici etiam Uratiſlavienſis *de Claſſicis rei herbariae auctoribus*; in quibus in voluminis margine notat, haec verba: ΒΟΤΑΝΟΛΟΓΟΙ *Neapolitani*, *Fabius Columna*, *Bartholomaeus Maranta*, *Jo. Baptiſta Porta*, *Ferrandus Imperatus*, ſed Carmine ita expreſſit:

Defenditque ſuo palmaria adepta Marantae,
Ferrandoq; ſuo, Portaeq;, novaeq; Columnae.

Carolus Cluſius Atrebas in ſuo volumine *Hiſt. rariorum plantarum*, forma folii, *Antuerpiae* impreſſ. *anno*. 1601. variis in locis noſtrum Columnam laudibus extollit, occaſione plantarum in dicto *Phytobaſano* editarum; & *fol.* 126. *cap. de Apocyno* haec refert verba: *Sed etiam ad* Apocyni *claſſem referendam cenſet* Fabius Columna V. C. *acerrimi in examinandis Stirpium notis, judicii, plantam illam; quamquam quotquot de re herbaria Commentarios hactenus ſcripſerunt pro* Aſclepiade *nigro flore exhibuerunt. Conſulat lector ejus librum cui titulus* Φυτοβάσανος *Cap. de Apocyno*. Et *fol.* 302. *Cap. de Primula veris*, ait, *Primulam autem veris, vulgo vocatam, nobilis, idemque Cl.* V. Fab. Columna *in ſuo* Φυτοβ. Aliſmatis *aliarum genus apud Plinium eſſe cenſet: quemadmodum & Cap. ſequente deſcriptas* auriculas *ad* Aliſma, *ſive* Damaſonium *Dioſcoridis, refert; cujus ſententiae valde acquieſco*.

Et *fol.* 56. *lib.* IV. *de Valerianis* loquens, addit: *De Valerianis conſulendum cenſeo* Fabium Columnam *virum acerrimi judicii*. Et ut paucis liniam *fol.* 205. *lib.* VI. *de Aquina* loquens ait: *Quo nomine porro veteribus dicta ſit* Aquilina, *ſive* Aquilegia, *quotquot hactenus de ſtirpibus commentati ſunt, ignoraſſe video, praeter N. V.* Fabium Columnam *in eo libro, qui* Phytobaſanon *inſcribitur. Is enim exacte perpenſis, & examinatis ejus* Aquilinae, *quae ſimplici flore eſt notis* Iſopyrum *Dioſcoridis eſſe cenſet; cujus judicium de* Aquilina, *quemadmodum & de multis aliis ſtirpibus, de quibus in eo libro agit, mihi valde probatur*.

Idem Cluſius in *Exoticorum* volumine, *minus cognitarum Stirpium* ſcripſit in *Apendice ult.*, *in addit. Cap.* XXI. *pag.* CXCIX. ad capitis calcem adde. *Caeterum &c. Quoniam porro non dubito quin plurima ſcitu digna in iis Commentariis ſit prolaturus, illorum editionem ego, & plurimi alii avide expectamus*. Et in eodem volum. *fol.* 289. *Cap. de Datura* addidit, *Hanc nobiliſſimus, idemque clariſſimus vir* Fabius Columna *Solanum Manicum Dioſcoridis cenſet in doctiſſimo libro, cui titulum fecit, ſive* Plantarum examen, *ubi Dioſcoridis textus ab eo emaculatus*.

Gaſparus Bacchinus Baſilienſis Archiater, & profeſſor ordinarius in ſuo *Matthiolo Synonimis ornato*. *Francofurti*. impreſſo *anno*. 1608. praeterquam quod in ſua praefatione inter claſſicos, quibus uſus ſit referat Columnam, & de ſingulis plantis in *Phytobaſano* poſitis, ubi occaſio datur, Columnae opinionem refert; ſed quod magis nullius auctoris, nec ipſiusmet Bacchini nomen ſupra novas, & adjunctas pluſquam trecentas Matthiolo ſuo plantas ſcripſit, praeterquam ſuper illam *Acini* nomine, cui adjunxit aliam ſub titulo *Acinos Columnae* ſuper inſcripto *fol.* 537. & hiſtoriam breviter, ex *Phutobaſano* excerptam, addidit, ſic inci-

Digitized by Google

incipiens : *Adjecimus alteram Neapolitanis frequentem* , & a Fabio Columna *in ſuo* Phitobaſano *propoſitam* &c. Item Bacchinus in *Podromo Theatri Botanici* editi *anno* . 1620. *Francofurti* impreſſo in epiſtola ad Lectorem ſic ait: *Nunc vero Podromum Theatri Botanici noſtri damus* , in *quo ſupra ſexcentae plantae a me primum deſcriptae exhibentur* , & *licet earum aliquae apud C. Cluſium* , *& nobiliſſimum* Fabium Columnam *Lynceum* , *& perpaucae in horto* Ciſtenenſi *reperiantur*, *noſtris tamen adjecimus*, *quia eas in ſupradictis libris* , *antequam horum ſcripta prodirent* , *deſcripſimus* &c. Et in ſingulis illis honorifice Columnam nominat , *Doctiſſimi* elogio addito. Idem Bachinus in ſuo *Theatro Botanico* . *Baſyleae* impreſſo *anno* 1623. *forma quadrati majori* , praeterquam quod omnes Columnae plantas recenſet , ut de aliis agit , hoc notandum, quod recentiorum nullius auctoritatem proſequatur in deſcribendis plantis , ſicuti pluries Columnae doctrinam , & verba refert , tanquam ſibi accepriorem. Exemplum *in fol.* 40. *de* Siſyrinchio. *Non ſolum ſuillo pannulo balboſae* , *atque camoſae radicis aptitudo*, *ſed plantae hujus roſtra* , *forma roſtrata ſuillo ſimilis*, *nominis* (*ut recte* doctiſſimus Columna) *cauſa fuit*. Sic *fol.* 198. de *Faba Aegyptia* loquens, Columnae opinionem ſequitur *fol.* 241. de *Primula veris* verba faciens , ſicuti & *fol.* 142. de *amicula Urſi* Columnae opinionem ſectatur illam, & hanc pro *Aleſmite* deſcribens uti , & C. Cluſius fecit . & *fol.* 243. Plantam vulgo *Digitalem* ab aliis , quam alio nomine inſignita ſit , Columnae opinionem probat dicens , *at doctiſſimus* Fabius Columna Ephemeron *Dioſcoridis eſſe cenſet* . Et pagina ſequenti de *Ephemero* ſic incipit . *Cum doctiſſimus* Fabius Columna Digitalem *cenſeat eſſe* Ephemerum *Dioſcoridis* , *pauca aſpergamus* &c. atque multis locis Columnae opinionem ſectari videtur.

Joannes Faber Bambergenſis Medicus , & profeſſor Romanus Lynceus in *Hiſtoria animalium novae Hiſpaniae* ab ipſo deſcripta, quae acceſſit volumini *Plantarum novae Hiſpaniae Nardi Antonii Recchi* Monticorvinenſis *Romae* impreſſi , de Columna loquens in haec verba incidit. *In qua* Fabius Columna Lynceus *ſpectata generis nobilitate* , & *doctrina conſpicuus jam triginta fere annos inſudavit* , *eoque ingenii ſui acumine proceſſit* , *ut genuinae Theophraſti* , *ac Dioſcoridis inſiſtens menti* , *innumeras ab aliis perperam nominatas plantas* , *ſpeciei loco* , *ac nitori ſuo non modo reſtituerit* , *ſed plurimis inſuper novas*, *penitus nobis antea incognitas*, *publici juris nunc fecerit* . Idem Joannes Faber eodem volumine *fol.* 550. de Columna haec refert : *Hanc litem* (*ut ſpero facile* D. Fabius Columna *Lynceus ſedulus maxime rerum naturalium perſcrutator dirimerit* ; *qui non modo in Iuris ſcientia plurimum pollet* , *ſed Matheſi* , *Optica praecipue*, *ac plantarum*, *animaliumq. cognitione* , *Neapoli nunc ab omnibus* , *ceu oraculum* , *conſulitur* . &c.

FABIUS FATIGATUS Fragolenſis (eſt autem Fragola , ſive Afragola unus ex Neapolitanae urbis pagis) Philoſophus fuit, ac Medicus ; & in Neapolitano gymnaſio publicus philoſophiae profeſſor. Multa ſcripſiſſe fertur ad Philoſophiam pertinentia , e quibus edita eſt dumtaxat *Quaeſtio de adaequato ſubjecto Philoſophiae naturalis* , excuſa *Neapoli* . 1567. *apud Raymundum Amatum*. in 4. Antonio Laureo Stabienſium Antiſtiti , & Neapolitani gymnaſii moderatori dicata .

FABIUS FRECCIA Patricius Neapolitanus, Eques Calatravae, ac Caſtrenſium Dux, Marini Frecciae, de quo inferius ſuo loco dicemus, ex filio nepos, Philoſophiae ac mitioribus etiam ſtudiis imbutus eſt. Edidit Italice librum, quem inſcripſit : *Maximas* , *ac Praecepta ſtatus* . *ae belli deprompta ex libris annalium* , & *hiſtoriarum* , & *vitae Julii Agricolae* , *Cornelii Taciti* , *ex Panegi-*

ritis

Digitized by Google

FABIUS JORDANUS Neapolitanus Juriſconſultus vir undequaque eruditus linguae item Graece, ac latinae, plantarum, ac ſimplicium ſcientia, atque rerum antiquarum quantum vix credi poteſt periti ſſimus, ac poëta non injucundus. Scripſit ad Pium v. Pontif. Max. latinum, ac Heroicum poëma, quod *Proteum* inſcripſit, excuſ. *Neap. apud Joſephum Caccium. anno.* 1571. *in* 4. dicatum a Joanne Baptiſta Arcucio Julio Antonio Sanctorio Cardinali.

Scripſit latino, ac heroico metro *in Ferdinandi Hiſpaniarum Principis natales Uranias* ad Ill. Dominum Antonium Perenottum s. R. C. Cardinalem, & in Regno Neapolitano Proregem, quae excuſae ſunt *Neapoli. apud Joſephum Cacchium Aquilanum. anno.* 1572. *in* 4.

Aliud poëma quod *Janum* nuncupavit ad eundem Antonium Perenotum Card. Granvelanum, & Neap. Regni Proregem, excuſ. *Neap. apud eundem.* 1573. *in* 4. edidit *Additiones ad Conſtitutiones Regni Neap.*, quae una cum textu, & aliorum commentariis excuſa ſunt in poſtrema editione *Venetiis.* 1590. *apud Joannem Variſcum, & Paganinum de Paganinis. in fol.* textum quoque, ac commentaria calligavit, collatis Veteribus Codicibus, atque Archetypis.

Scripſit quoque latine *Chronicum rerum Neapolitanarum*, quod maximo deſiderio aetas noſtra expectavit, atque expectat; adhuc tamen non fuit editum: ſed ejus haeredes aſſervant.

FABIUS DE MONTELEONE Hyeracenſis Calaber v. J. Doctor, edidit *Praxim Forenſem*, ſive *Commentaria ſuper quatuor litteris Arbitrariis Magnae Curiae Vicariae Regni Neapolis, deſuper omnibus delictis, eorumque poenis. tam de jure Divino, & Pontificio, quam Caeſareo, & Regni hujus*, ad Excellentiſs. Dominum Carolum Spinellum Seminariae Ducem, quae prodierunt *Venetiis. anno.* 1560. *ex Officina Mauri de Mauris de Maria. in* 4.

Meminit quoque hic in nuncupatoria Epiſtola ad eundem Ducem, quod dum ipſe Romae commoraretur, edidit parvum *Tractatum* ſcholaſtico diſſerendi genere a ſe conſcriptum, *De privilegiis ſenectutis*, ac in publicum dediſſe.

FABIUS OPTINELLUS Traectenſis U.J. Doctor ſcripſit *Repetitionem ad l. Imperium ff. de juriſd. omnium judicum.* D. Petro de Toleto Marchioni Villefranchae, & Neapolitani Regni Proregi dicatam, impreſſ. *Neap. anno.* 1547. *apud Joannem Paulum Suganappum. in fol.*

FABRITIUS DE MONTE Sulmonenſis Juriſconſultus, edidit *Leges Regni, ac Civitatis Neapoli*, ſive *Conſtitutiones, Capitula, Pragmaticas Regni, Ritus Magnae Curiae Vicariae, Privilegia, & Conſuetudines Civitatis ejuſdem ad Volumen unicum diſtinctum in libros* VI., *& ad ordinem eſſentialem redacta*, ac Summariis locupletatas adjecto ad libros ſingulos Indice quadruplici I. Titulorum juxta eorum collocationem II. Titulorum alphatico III. legum alphabetico IV. legum quotquot in unaquaque extant materia; & ad opus univerſum *Indice legum omnium* hactenus diſpoſitarum. impreſſ. *Neap. in Typographia Joannis Dominici Roncalioli. anno.* 1021. *in fol.* Philippo de Auſtria III. Hiſpaniarum, ac utriuſque Siciliae Regi Catholico dicatas.

FABRITIUS PORTICELLA Melfitenſis Apulus, legum doctor, ac Clericus ſaecularis, ſacrae aedis SS. Coſmae, & Damiani in Urbe Rector fuit. Edidit pergrandem librum, quem inſcripſit *Indicem ſententiarum Breviarii Romani per ordinem alphabeti*, ad Ill. Dominum Jacobum Cardinalem Sabellum Epiſcopum Tuſculanum s. D. N. Papae Vicarium, ac ſummum Inquiſitorem, impreſſum *Romae. anno.* 1580. *apud Franciſcum Zanettum. in* 8.

Li-

Digitized by Google

Liber hic multo labore, & magno Studioſorum commodo, ac utilitate ab auctore congeſtus, dignus eſt ut recudatur. In eo enim optime probatur Romano Breviario, quo tota pſallendi, ac laudandi Deum ratio continetur, quique in Sacerdotum, aliorumque divino cultui addictorum manibus quotidie, ac ſingulis horis verſatur, nihil utilius eis dari potuiſſe, ſi omnia recte perpendantur, nihil eſt pro animarum ſalute, quod deſideretur. Sed pauci fortaſſe ſunt, qui fructus mellifluos inde enaſcentes guſtent. In eo enim tot graves ſententiae ex optimis ſcriptoribus ſelectae, tot ſaluberrima praecepta, ac documenta Martyrum, aliorumque Sanctorum exempla ad pie, honeſteque vivendum, aditumque ad aeternam vitam pateſaciendum, habentur; non modo ad praeces ſtatis horis recitandas, ſed etiam ad ea recognoſcenda, & percipienda, quae ad ſalutem, vitamque comparandam nobis requiruntur; & ad animum divinarum rerum cognitione paſcendum, utiliſſima ſit. Quae omnia optimo, ac copioſiſſimo Indice rerum notabilium per Alphabeti ordinem feliciter confecit.

Floruit autem is anno 1580.

FALCO BENEVENTANUS, qui ſe & Notarium, & Scribam Sacri Palatii Beneventani inſcribit, quique Judex fuit ejuſdem Civitatis, dein Clericus Beneventanae Eccleſiae. Scripſit latine *Hiſtoriam de rebus ſuo tempore geſtis in Regno Neapolitano, & potiſſimum in Civitate Beneventi ab anno 1102. uſque ad annum 1146.* digniſſimam quidem, in qua habes, quae alibi non habentur. Veridicus quippe fuit ſcriptor hic, & accuratus, utpote, qui omnibus fere quae ſcripſit, interfuit, ac vidit, & oculato teſtimonio profitetur. Quae quidem Hiſtoria, cum diu in MStis latitaſſet in majoris Beneventanae Eccleſiae Archivio litteris Longobardis exarata, tandem prodiit in lucem *Antonii Caraccioli Clerici Regularis opera, cum aliis quibuſdam Chronographis*, excuſ. *Neapoli. 1616. apud Lazarum Scorigium: in 4.*

Baronius in XII. *tom. Annal. Eccl.* ad annum 1113. meminit Chronici hujus Falconis Beneventani, non adhuc tunc in lucem editi, quem is mendoſe *Fulcum* appellat; in quo ait, res geſtas ab anno 1113. uſque ad annum 1140. per annos dumtaxat 27. contineri, atque ſincera plane, & integra fide conſcriptas; utpote quae ſcripſit, ea vel vidit; vel ab aliis, qui viderunt, audivit: quorum pleraque quae dixit Falco, Baronius ſuis Annalibus inſeruit. At liber editus continet res geſtas ab anno 1102. uſque ad annum 1140. ut praediximus.

FAUSTUS LAVIANUS Terrae Cuccari in Citeriori Principatu poſitae, legum doctor, edidit *Summam, & Repertorium Codicis Juſtiniani Imperatoris, & Summaria magis communiter recepta, legum, authenticarum, & earum, paragraforum omnium, in eo volumine, ac praecipue dicta, & materias gloſſarum, & omnium in eis notatione digna, cum ipſius* Fauſti *additionibus*. Quae complectuntur declarationes, ampliationes, & limitationes ſparſim a Doctoribus traditas congruis locis deſcriptas; & quid in hoc Regno Neapolis deſuper innovatum, vel aliter ſtatutum ſit, per Sacras Regni Conſtitutiones, Capitula, Ritus, & Pragmaticas, & Sacri Regii Conſilii deciſiones. Excuſum eſt *Venetiis. 1607. apud Bonifacium Cieram; ſub ſigno Europae. in 4.* Horatio Glienimo V. J. D. ejus nepoti dicatam.

FEDERICUS CRISONUS Neapolitanus Eques, edidit Italica lingua, *De ordine equitandi, & equorum natura cognoſcenda libros* IV. ad Ill. Dominum Hypolitum Cardinalem Eſtenſem, excuſ. *Neap. 1550. apud Raymundum Amatum. in 4.* Prodiit quoque Liber hic *Auguſtae. anno. 1566.* in Germanicam linguam translatus a Joanne Frolic, & Vi-

& Vito Zuffe. Item *anno*. 1970. prodiit *ibidem* in Germanicum ſermonem translatus a Joanne Caeſare. Dein recuſus eſt *Venetiis*. 1569. *apud* . . . . . *in* 8.

FEDERICUS METIUS Galatinus, Hydruntinae Provinciae, Clericus Regularis, dein Termularum Epiſcopus, Theologus inſignis, ac eruditiſſimus; ſummae, & accuratae lectionis; omnium fere librorum notitia vere admirabilis. Linguae item Graece ſui temporis celeberrimus profeſſor, cujus opera uſus eſt Caeſar Cardinalis Baronius in transferendis in latinam linguam Graecorum Patrum ſcriptis ex Vaticana Bibliotheca, aliiſque locis depromptis; quae paſſim in ſuis Annalibus produxit, & inſeruit, *Federici translatoris nomen adſcribens*.

Tranſtulit quoque Federicus *Photii Patriarchae Conſtantinopolitani* celebrem *Bibliothecam*, librorum nempe, quos Photius is legit, & cenſuit; quamquae Graecae edidit Hoeſchelius Auguſtanus, ac notis illuſtravit: quaeque adhuc latine evulgata non fuerat. Imo Andreas Schottus Antuerpianus Societatis Jeſu *in Prolegomenis ad ejuſdem Photii Biblioth.* a ſe e Graeco in latinum verſam, ac in lucem emiſſam, dum ſibi *relatum eſſe*, ait, *virum quemdam Romae eam Photii Bibliothecam e Graeco in latinum tranſtuliſſe, & perfeciſſe quidem; ſed ad edendum adduci non potuiſſe*, de Federico hoc Metio loqui, nemo eſt, qui ambigat.

Volumen etiam *Epiſtolarum Theodoreti Cyrilli Epiſcopi in Syria*, idem Federicus latinum fecit, ut Poſſevinus *in* III. *vol. App. ſacri* ait.

Tranſtulit quoque de Graeco in latinum *Theophanis Niceae Epiſcopi librum de* VII. *Sacramentis*, qui non adhuc eſt in lucem miſſus. Poſſevin. *in* I. *vol. App. Sacri*. *in additionibus*.

De Federico Metio paſſim Baronius *in Annalibus*, & praeſertim in VII. *vol. ſub anno* 553. item *vol.* VI. *anno* . . . . . item *in* IX. *vol.* ad *annum* 842. *fol.* 619. ubi meminit ipſius *Federici Metii viri honeſtiſſimi*, & *Graecarum rerum peritiſſimi*, & recitat *antiquos Himnos* cani ſolitos a Graeca Eccleſia pro *reſtitutione ſacrarum imaginum* in latinum ab eodem Federico translatos.

Idem Baronius *in* X. *tomo ad annum* 976. meminit hunc Federicum tranſtuliſſe e Graeco in latinum *Vitam celeberrimi S. Nili Roſſanenſis Calabri*, Abbatis Cryptaeferratae in agro Tuſculano, quam profuſiſſime ſcripſit S. Bartholomaeus Abbas, ejus diſcipulus, & ſucceſſor in Abbatia praedicta; quae in eo Coenobio aſſervatur, ac etiam vertiſſe *Vitam* ejuſdem *S. Bartholomaei* ab alio quodam ejuſdem Monaſterii Coenobio Graece item ſcriptam.

Meminit quoque Federici Metii, Paulus Aemilius Sanctorius *in Hiſtoria Carbonenſis Monaſterii* vocatque illum *inter domeſticos Cardinalis Julii Antonii Sanctorii, celſitudine diſciplinarum*, & *bonitate vitae pernobilem, ultroque ad Epiſcopatum Termulorum accitum*.

FEDERICUS VIVALDUS Napolitanus Juriſconſultus ejus aetate inſignis, cujus extat *Reſponſum ſingulare*, quo duo potiſſimum tractantur, I. *An ad cooptandum aliquem in unum ex quinque Sedilibus Neapolitanae urbis, conſenſus majoris partis Nobilium ejuſdem Sedilis ſufficiat*. II. *An valeat ſtatutum ab iiſdem Nobilibus conditum, quod in aliquo cooptando, quatuor partium Nobilium conſenſum exigit*. impreſſ. *Neapoli*. *anno*. 1570. *in* 4. *apud Joſephum Cacchium*. Dicavit autem illud illuſtribus viris Franciſco Reverterio, & Conſalvo Bermudes regiis a latere Conſiliariis.

Scripſit etiam libellum, cui titulus eſt: *Verus intellectus Conſtitutionis, ut de ſucceſſoribus*, in *verſic.* ex *collaterali*, & *pragmaticae* vulgo dicta *la Filingeria Reginae Joannae*, ad deciſionem quaeſtionis, *pro ſorore in capillo, contra conjugatam in feudali ſucceſ-*

ceſſione eorum fratris. impreſſ. *Florentiae*. *anno*. 1582. *apud Georgium Mareſcotum*. *in fol.*

Q. Marius Corradus *lib*. III. de *lingua latina*, Federicum hunc Vivaldum maxime commendat ob latini praeſertim ſermonis elegantiam, hunc in modum: *Neapoli principem locum tenet* Federicus Vivaldus, *cui propter ſtudium latinae linguae in illa urbe juris ſtudioſiſſima, non eſt quem vel magnitudine ingenii, vel interioribus litteris, vel artificio ſcribendi, vel ſplendore orationis, vel ſuae praeſtantia diſciplinae audeas conferre*.

Caeſar Urſillus *in Additionibus ad Matthaei Afflicti deciſiones*, in *deciſ*. 238. n. 6. meminit Federici Vivaldi tunc adoleſcentis anno 1562., *nunc Juriſconſulti litteris elegantiſſimis expoliti, ſummaeque inter juvenes noſtrae civitatis ſpei &c.*

FELIX FACIUTA Melphitanus Sacrae Theologiae Doctor, edidit Tractatum *De vita*, & *honeſtate Clericorum*, quem dicavit Domino Jacobo Cardinali Sabello, excuſum *Florentiae*. *anno*. 1576. *apud Georgium Mareſcotum*. *in* 4.

Paſtoralia, ac *diverſa Poëmata*, impreſſa *Florentiae*. 1576. *apud eundem in* 8.

Item *Orationem de Natura Angelorum*, quam Sereniſſimo D. Franciſco Medices Magno Hetruriae Duci dicavit, impreſſam *ibidem*. *apud eundem*. *in* 4.

FELIX DE JANUARIO Neapolitanus, Presbiter ſaecularis, Doctor Theologus ſcripſit librum de *Divina Theologiae conſolatione*, excuſum *Neapoli*. 1630. *apud Lazarum Scorigium*. *in* 4. Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Franciſco Cardinali Boncompagno Archiepiſcopo Neapolitano dicatum.

FELIX MILENSIUS Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Congregationis S. Joannis ad Carbonariam, e Laurino, quod eſt Lucaniae oppidum, quae modo Principatus citra vocatur, oriundus fuit. Vir acris ingenii, ac varia eruditione refertus, & Divini verbi declamator praecipuus; in Sacra Theologia Magiſter, & juris Pontificii Doctor, ſingularis prudentiae, atque integritatis; & propterea ad diſciplinam monaſticam reſtituendam natus. Praeter multa alia munera ſui Ordinis inter quae Preſidens, & Vicarius Generalis ejus Congregationis Carbonariae creatus eſt, ſex annos Provinciarum ſeptem Aquilonarium vices Generalis ſubſtinuit Apoſtolica auctoritate; & Provincias illas jam inde a Lutero deſertas obedientiae, atque Religioni reddidit; & Juriſdictionis Eccleſiaſticae vindex accerrimus viſitavit. Frater enim Hyppolitus Ravennas ejus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Prior Generalis Vicarium Generalem creavit pro conſueto triennio Rev. Fr. Felicem Milenſium Sacrae Theologiae profeſſorem in diſtrictis Bavariae, Auſtriae, Moraviae, Boëmiae, ac Sleſiae in omnibus ſupradictis Germaniae locis ſub datum Romae 13. Septemb. 1602. Idem quoque Prior Generalis elexit pro alio triennio Vicarium Generalem in iiſdem locis Rev. P. Felicem Milenſium Sacrae Theologiae Doctorem ſub datum Romae 20. Septemb. 1604.

Antonius etiam tit. S. Mariae Tranſtiberinae Cardinalis Salvius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini protector, remittit Rev. Fra. Felicem Milenſium in Theologia Magiſtrum, Vicarium Generalem, & Viſitatorem in Germaniae, & Coloniae provinciis fungentem pro alio triennio de ſpeciali mandato Pontificis Pauli V. & illarum provinciarum videlicet Sueviae, Coloniae, Hiriae, Bavariae, Poloniae, Boëmiae, & Congregationis Dalmatiae, cum earum diſtrictibus, ſub datum Romae 5. Septemb. 1605. Alios quoque Ordines Mendicantes in Regno Boëmiae Apoſtolica auctoritate viſitavit.

Rodulfo, Matthiae, ac Ferdinando Caeſari-

Digitized by Google

ſtribus charus, & huic potiſſimum, a quo ter donatus Conſiliarii honore, a Ferdinando enim Archiduce Auſtriae, Duce Burgundiae, & Comite Tirolii, & Goriciae creatur ejus Conſiliarius Frat. Felix Milenſius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ex regno Neapolitano oriundus Theologiae Doctor, per univerſam Germaniam Viſitatorem Generalem Graecis 8. Junii 1611. Idem quoque Ferdinandus II. Electus jam Romanorum Imperator Auguſtus creat ejus Conſiliarium perpetuum Fr. Felicem Milenſium Ordini S. Auguſtini in Calabria Provincialem, ſub datum in Civitate Viennae 17. Martii 1621.

A Sigiſmundo Rege Poloniae ob exactam ejus Regni viſitationem, ac reformationem munificentiſſime exceptus eſt. Sedi Apoſtolicae ſub Paulo v. Ratisbonae anno 1608. in Comitiis Imperialibus pro Nuntio conſtanter, & Magno Catholicae fidei emolumento, ſuique laude inſerviit. Nominatus a Rodulpho Caeſare ad Singium, & a Wolfago Theodorico Archiepiſcopo Salisburgenſi ad Chiemenſem Epiſcopatum, renuit. Plura edidit opuſcula carmine, & ſoluta oratione, latine, ac Etruſce.

Veſevus, vel *de Barnaba Caracciolo Duce Siciniani, aureo primum Ducis titulo, & ſtemmate redimito*, quod *Neapoli. ex typographia Joſephi Cacchii. anno.* 1590. *in* 4. dein recuſus *ibidem. apud Stelliolam. in* 4. 1595.

Commentarius de vita Hieronymi Cardinalis Seripandi, impreſſus *Neapoli. apud Joannem Jacobum Carlinum. anno.* 1607. *in* 4. *cum Commentariis* ejuſdem *Cardinalis* in *Divi Pauli Epiſt. ad Romanos, & Galatas* Cardinali Bellarmino dicatis.

Summa indulgentiarum Ordinis S. Auguſtini. Monachii. apud Nicolaum Henricum. 1608. *in* 8. dirigitur Monialibus Vienacenſibus ejuſdem Ordinis, cum *Tractatu* de *laudibus Zonae*.

De quantitate Hoſtiae *contra errorem Oſwaldi Milſeni*, in quo etiam *hiſtoria Seesfeldica* in *comitatu Tiroli* de *admirabili Sacramento explicatur*, ad Sereniſſimum Principem Maximilianum Archiducem Auſtriae, Burgundiae Ducem, & Comitem Tirolenſem, excuſus prius *Pragae.* in *officina Georgii Nigrini. in* 8. deinde *Neapoli. apud Conſtantinum Vitalem. anno.* 1608. *in* 8.

Alphabetum de Monachis, & Monaſteriis Aquilonaribus ſui Ordinis, in quo multa dogmatice hiſtoriae conſona diſſeruntur, impreſſum *Pragae. anno.* 1613. *apud Gaſparum Rargeſium. in* 4. *Sumptibus Jacobi Brecthani*, qui illud dicavit Ferdinando Archiduci Auſtriae, cum iconibus aeneis.

Scrutinium pro voto Illuſtriſſimi Caeſaris Cardinalis Baronii contra Votum Joannis Marſilii refragantis in cauſa Sanctae Matris Eccleſiae Catholicae cum Republ. Venetorum, impreſſum *Moguntiae*. prius *anno* 1607. *apud Joannem Albinum*, deinde vero *Neapoli. apud Lazarum Scorigium.* 1624. *in* 8.

Encomium in primo ingreſſu Romam Illuſtriſſimi Cardinalis Montelpari Prioris Gen. Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, poſt ejus ad Cardinalatus apicem promotionem, quod *Neapoli*. excuſum eſt *apud Joſephum Cacchium. anno.* 1590. *in* 4.

Orationes variae, ſcilicet *de gratiarum actione in Comitiis generalibus Ordinis ſui habita Romae*; & *ibibem* cuſa *anno.* 1598. & recuſa *Bononiae. anno.* 1624. *in* 4.

Item *De vera Theologia*. impreſſa *Senis. apud Matthaeum Florinum. anno.* 1610. *in* 4.

Item *Funebris* habita *Romae in Conventu Generali ejus Ordinis. anno.* 1620. impreſſa tum *Coſentiae*, tum *Neapoli. apud Ioannem Iacobum Carlinum. in* 4.

Italice autem Idiomate haec ſunt: *Dell' impreſa dell' Elefante del Signor Cardinal Montalparo, Dialogi* III., *in Napoli appreſſo Gio: Tommaſo Alviſio nell'anno.* 1595. *in* 4. *dedicati ad Antonio Caracciolo Protonotario Apoſtolico*.

Oratione di S. Agoſtino, mentre la Città di Bona era aſſediata da' Vandali, tradotta in Ottava rima da lui. in *Roma. per Nicolò Mutii. nel* 1598. *in* 8.

Oratione Chriſtiana nel poſſeſſo di D. Franceſco

ceſco di Caſtro Vicerè in Napoli . ſtampata in Napoli. da Gio: Giacomo Carlino. in 4. *nel* 1601.

Gigantomachia in verſo ſciolto , con ſacra allegoria , delle due guerre de' Giganti avute con Dio , coll' oſſervationi del Dottor Gio: Battiſta Maſſarengo ; ſtampata in *Praga ; e riſtampata in Monaco ; ed in Napoli . appreſſo Domenico Maccarano . nell' anno .* 1624. *in* 4.

Del carcere libri III., *nelli quali ſi ſpiegano molti luoghi della Sacra Scrittura per conſolatione di quelli ſi tengono in Carcere. ſtampati in Napoli . da Giangiacomo Carlino. nel* 1615. *in* 8. *dedicati agli Signori Eletti della Città di Napoli.*

Dichiarazioni di lamenti di Geremia Profeta parafraſticamente, ſtampati in Venetia appreſſo Domenico Imberti . nel 1615. *in* 8. *dedicati a Ferdinando* II. *Imperatore.*

Proemiale predicabile, ed arte di proemiare, ſtampato in Bologna l'anno 1625. *appreſſo Clemente Ferroni in* 4. *dedicato al Signore Cardinale S. Onofrio.*

Predica in Lode di Maria Vergine Annuntiata , coll' occaſione della nuova Cappella ſimile a quella di Loreto, fondata dentro la Chieſa di S. Agoſtino da Leonora Imperadrice l' anno 1627. *ſtampata in Vienna in detto anno.* 1627. *appreſſo Mattheo Formica . in* 4.

Parole contra l' ingratitudine , nelle quali ſi paleſa quanto ella ſia brutta , e vitioſa , con varie conſiderationi della Sacra Scrittura ; in Napoli . 1634. *appreſſo Domenico Maccarano. in* 8.

FELIX PASSER Neapolitanus Monachus Caſſinenſis , ac Prior , dein Abbas , multa ſcripſit Italice , tum carmine , tum ſoluta oratione . Scripſit namque carmine heroico octavis rithmis, *Vitam , ac Martyrium Santi Placidi Abbatis , & Martyris. Cantus* item v., quae omnia D. Fulgentio a Ferrario Abbati Santi Sixti in Placentia dicata ab impreſſore , excuſa ſunt *Venetiis.* 1389. *apud Joannem Iolitum Ferrarienſem . in* 4.

Scripſit quoque italo carmine haec , quae ſequuntur : *Eclogam in nuptiis Illuſtrium dominorum Joannis Baptiſtae Baraſterii & Camillae Portae Savellae* , excuſ. *Placentiae. apud Joannem Bazacum.* 1590. *in* 4.

Exameron , ſeu Opus VI. *dierum* domino Alexandro Cardinali de Montealto dicatum, impreſſ. *Neap.. apud Joan. Baptiſtam Subtilem . anno .* 1608. *in* 8. & *Venetiis . apud Evangeliſtam Deuchinum , & Joannem Baptiſtam Pulcianum* 1609. *in* 16.

Davide perſeguitato , quem Franciſcus Molinarius Domino Antonio Carrafae Andriae Duci dicavit, impreſſ. *Neapoli. apud Joannem Dominicum Roncaliolum .* 1609. *in* 8.

Lacrymas in Morte Chriſti Comiti Bernardino Mandello Mediolanenſi dicatus excuſ. Papiae...

Uraniam, ſive *Conſtantem Mulierem* octavis rithmis , quae prodiit *Neapoli . anno .* 1616. *in* 8. *apud ...*

Varios rithmos , qui cum aliorum rithmis, ac libris excuſi ſunt .

Quae autem ſoluta oratione edidit haec ſunt. *Liber de ſitu, laudibus, ac praerogativis Monaſterii Santi Sixti Placentiae Ordinis Santi Benedicti, cum Vita Sanctorum, quorum Sacra Corpora ibi quieſcunt*, qui excuſus eſt *Placentiae.* 1592. *apud Ioannem Bazacum. in* 4. eidem D. Fulgentio ejus Coenobii Abbati dicatus.

Tropheum Crucis ad Matthaeum de Grado patricium Racuſinum , excuſ. *Venetiis. apud Marcum Albertum.* 1610. *in* 4.

Stephanus Guazzus in ſuo libro , quem appellavit *Ghirlanda* , magnum encomium facit D. Felicis Paſſeris , dum *Madrigalem* ab eodem Paſſere editum explicat ; idemque Guazzus in ejus *Litteris* ejuſdem Paſſeris fecit mentionem . Arnoldus item Vion Belga in ſuo *Ligno vitae lib. . . . app. vo* & Antonius Poſſevinus in 1. *cap.* 2. *L. Apſacri* ipſius meminerunt.

Fe-

FELIX RENDA a Mercuriano Ordinis S. Benedicti, Congregationis Montis Virginis Theologus, & Prior Monaſterii Neapolitani ejus Ordinis edidit latine librum *de Vita, & Obitu Sanctiſſimi Confeſſoris Guilielmi Vercellenſis Sacri Monaſterii Montis Virginis de Monte Fundatoris, ac Religionis ejuſdem Monachorum, & Monialium Inſtitutoris, additis ejuſdem Religionis aliorum Sanctorum Vitis, nempe Santi Amati Epiſcopi Nuſcani ejuſdem Santi Guilielmi diſcipuli, & Santi Donati Monachi, ac privilegiis in favorem ejus Coenobii*, & Rev. Generali ejus Religionis D. Scipioni de Silveſtris e Mercuriano dicavit. Excuſus eſt autem *Neap. anno.* 1581. *apud Joannem Baptiſtam Cappellum in* 4.

FERDINANDUS CARACCIOLUS Neapolitanus Biccari Comes, edidit Italice *Libros* III. *de Bellis initis cum Turcis a Joanne Auſtriaco, poſt ejus in Italiam adventum*, quibus fere omnibus Ferdinandus ipſe interfuit. At ſcribendi ſtilus a Scipione ammirato fuit concinnatus. Excuſi, autem ſunt hi libri *Florentiae. anno.* 1581. *apud Georgium Mareſcottum. in* 4. ejuſdem Ammirati Cura, qui illos Ex. Domino Joanni de Zunica Petraeperſiae Principi, Commendatori Majori Caſtellae, & in Regno Neapolitano Proregi dicavit.

FERDINANDUS CARRAFA Neapolitanus Santi Lucidi Marchio, rei militaris peritia, atque exercitatione illuſtris; qui annis quadraginta octo militavit, ac militiam functus eſt, partim Carolum V. Caeſarem in bellis ſecutus, partim vero ſub Philippo Rege, ejus filio, variis in locis fortiter militavit. Fuit Graecis, ac latinis litteris, ac italica poëſi exultus; multaq. ſcripſit Italice nempe:

Rithmorum ſpiritualium de vera gloria humana lib. IV. totidemque *de divina*, qui excuſi ſunt *Ianuae. anno.* 1559. *apud Antonium Bellonum. in* 4. ſimul cum Antonii Terminii Diſcurſo Italico, *De humana, ac vera felicitate, & Summario Vitae Christi.*

Sex alios libros eodem carmine conſcripſit, quos vocavit *Della Cara Fè*, ſuper variis ſubjectis, poëtas Lyricos, Graecos, & Latinos imitans, Philippo Hiſpaniarum Regi dicatos, & *Aquilae* impreſſos *apud Ioſephum Cacchium. anno.* 1580. *in* 4.

Scripſit etiam librum, qui vocatur *Auſtria*, ad eundem Philippum Regem qui excuſus eſt *Neapoli.* 1573. *a Ioſepho Cacchio Aquilano. in* 4. in quo haec continentur: *Victoria Sanctae Ligae ad Echinadas Inſulas anno.* 1571. *adverſus Turcas obtenta*, carmine italo. *Preces pro unione, & laetitia pro ea habita*, eodem carmine. *Quae poſt victoriam habitam acciderint per totum annum* 1572. eodem carmine. *Laudes Beatiſſimae Virginis in* XXI. Sonettis diſtinctas. Aliquot *Epiſtolas* ſoluta oratione *ad Romanos Pontifices, Regem, alioſque Principes, ac Praelatos, & Illuſtres viros*, additis quoque eorum *litteris reſpoſivis* ad eum Marchionem. *Orationem* ad Graegorium XIII. Romanum Pontif. ſoluto ſermone Italice, *de ea liga Augenda, & pro expeditione Sanctiſſimae Cruciatae.*

Odiſſeae Homeri libros IX. & X. *italo carmine in paraphraſes* tranſtulit, & Philippo Hiſpaniarum Regi dicavit. excuſ. *Neap. anno.* 1578. *apud Marinum de Alexandro. in* 4.

Scripſit etiam *Vitam Caroli* V. *Imperatoris* etruſco Carmine cujus ipſe meminit in *Epiſtola* ad eundem Philippum Regem, ejus filium.

FERDINANDUS CASSANUS Vigianu lenſis, ex Oppido Vigiani in . . . . Philoſophus, ac Medicus, edidit *Quaeſtiones duas Medicas, nempe quod ſanguis, & pituita in venis ſanorum Corporum actus ſit, potentia humores alii.* II. *Quod ſedimentum ſanorum. & aegrorum ejuſdem ſit ſpeciei.* Excuſ. *Neap. apud*

apud Joannem Ma. Scotum . 1561. *in* 8. quas Paulo Monacho Neapolitano Medico Clariſſimo, atque olim ejus praeceptori dicavit.

Item prodierunt *Quaeſtiones* III. *Medicae*, videlicet *quod tertiana exquiſita non ſit morbus acutus , contra recentiores ſcriptores*. II. *Quod ſanguis , & naturalis pituita in venis ſanorum corporum actus ſit , potentia vero humores alii* . III. *Quod ſedimentum in ſanis , & aegris ejuſdem ſit ſpeciei*. E quibus quaeſtionibus prior nunc primo prodiit, caeterae vero duae, prius impreſſae, emendatae eduntur. Addidit etiam *Apologiam adverſus ea , quae ad quaeſtionem de ſedimento a Joanne Andrea de Nola Crotoniata ejus condiſcipulo ſcripta ſunt* , quae quidem tres quaeſtiones , una cum Apologia ſua excuſae ſunt ſimul *Venetiis* . *apud Nicolaum Tridentinum*. 1564. *in* 8. eidem Paulo Monacho dicatae.

FERDINANDVS E DIANO , vide quae ſuperius diximus in *Donato Pullieno* a Syderno.

FERDINANDVS IMPERATVS Neapolitanus pharmacopola inſignis , naturalium rerum , ac ſimplicium diligentiſſimus inveſtigator fuit. Edidit italice *Hiſtoriam naturalem libris* XXVIII. comprehenſam , in qua ordinatim agitur *de diverſo minerarum , & lapidum genere , cum aliquibus plantarum , & animalium hiſtoriis* , quae adhuc in lucem minime prodierant. excuſ. *Neap. anno*. 1599. *apud Conſtantinum Vitalem* . *in fol.* a Franciſco Imperato III. doctore ejus filio dicata Ex. Domino Joanni de Velaſco Duci Fries , & Magno Caſtallae Conteſtabili.

Commendatur a Fabio Columna Neapolitano in ſuo libro *De ſimplicibus, & plantis*, dum inter illuſtres viros variarum nationum , qui herbarum , & ſtirpium res picturis ſcripſerunt, quae ad rei medicae artem quam maxime conferunt , Ferdinandum hunc Imperatum recenſet, quem ait *nemini eſſe poſthabendum , cujus in his rebus laborem , ac peritiam , nedum ipſius hic liber, ſed aliorum quoque ſcriptorum multo prius Commentaria in lucem edita teſtantur*.

Auctores, qui in eorum operibus Ferdinandi Imperati mentionem fecerunt , ac illum commendarunt ſunt Gaſpar Bacchinus Baſilienſis, & Joannes Bacchinus ejus filius medici inſignes; Nicolaus Stelliola Neapolitanus Philoſophus, Bartholomaeus Maranta Medicus, Petrus Andreas Matthiolus Senenſis Medicus, Carolus Chiſius Aorebatis profeſſor rerum naturalium. Fabius Columna Neapolitanus V. J. D. & ſimpliciſta, Vlyſſes Aldrovandus Bononienſis naturalis hiſtoriae ſcriptor , Jo: Baptiſta Porta Neapolitanus , Andraeas Caeſalpinus Aretinus Medicus.

FERDINANDVS LOFFREDVS Neapolitanus , Trivici Marchio , & regiis a Conſiliis Status edidit Italice parvo libello *Antiquitates Puteolorum, ac locorum adjacentium* ad Paulum Monachum ejus Medicum , excuſ. *Neapoli* . *apud Joſephum Cacchium* . *anno* . 1570. *in* 4.

FERDINANDVS DE MARRA Guardiae Dux Patricius Neapolitanus , adoleſcens Philoſophiae, ac Juriſprudentiae operam dedit ; qua in facultate lauream promeruit . Sed antiquarum lectionum dulcedine aliquando delibata, divelli ab ea amplius non potuit . Edidit Italice librum. *Delle famiglie eſtinte Foraſtiere, e non compreſe nei Seggi di Napoli imparentate colla Caſa della Marra*, qui prodiit *Neapoli*. *ex Officina Octavii Beltrani*. 1641. *in fol.* Ferdinando II. Magno Hetruriae Duci dicatum.

Memorie della famiglia della Marra volumen aliud *in fol.* adhuc ſub praelo eſt. Scripſit & alia Opuſcula, quae in lucem ede-

Digitized by Google

edere parans morte praeventus non edidit, nempe:

Delle famiglie *Strozza*, *Filingieri*, *Agnone*, *Gambacorta*, e *Tuſo*, quas aliis a ſe editis addere cogitabat.

Della Caduta di molte Caſe grandi del Regno di Napoli.

Item *Le vite de Santi*, *che fiorirono nella famiglia de' Conti di Marſi*, nempe *de Berardis duobus*, altero Marſorum Epiſcopo, ac S. R. E. Cardinali, altero vero Epiſc. Aprutino. *De Odoriſio* Abbate Caſſinenſi S. R. E. Cardinali. *De Sancto Randiſio* Caſſinenſi Monacho Borrelli Petrae Abundantis Comitis filio. *De Sancta Roſalia* Virgine. *De Beato Balduino* Abbate Reatino Divi Bernardi ſectatore. Quae omnia in lucem dabit Carolus Borrellus Clericorum Minorum, cui illa, ac ſuam Bibliothecam Ferdinandus legavit.

Obiit anno Domini 1643. aetat. 71. die 27. conditus in avito Sacello Comitum Aliani in Santa Mariae Annunciatae Eccleſia.

FERDINANDUS PONZETTUS Neapolitanus Theologica facultate eruditus, ac Philoſophica, & Medica arte excultus, Camerae primum Apoſtolicae Clericus, & Praeſidens primas, dein Melphitenſis Epiſcopus; demum S. R. E. Cardinalis Praesbyter tituli Santi Pancratii a Leone x. Romani. Pontif. Kalendis Junii 1517. creatus eſt. Multa ſcripſit tum ad Theologiam, tum quoque ad Philoſophiam, & Medicinam pertinentia; Philoſophiam enim naturalem in breve epitomen contraxit, atque in partes tres dixtinxit.

Priorem vero partem *Naturalis Philoſophiae libris* IV. digeſtam D. Achilli de Grattis Cardinali Bononienſi nuncupavit, quae excuſa eſt *Romae*. *apud Jacobum Mazochium Romanae Academiae bibliopolam*. *anno*. 1522. *in fol.*

Secundam autem partem ejus *Philoſophiae naturalis* VI. *libros* contentam D. Pompeo Columnae Baſilicae Sanctorum Apoſtolorum Presbytero Cardinali dicavit excuſam *ibidem*. *apud eundem*. *anno*. 1521.

Tertiam vero partem ejuſdem *Philoſophiae naturalis in* III, *libros* ſectam in lucem edidit, cum non adhuc Cardinalis eſſet, ſed Camerae Apoſtolicae Praeſidens primas, & Domino Julio Cardinali Medices nuncupavit, impreſſ. *Romae*. *apud eundem*. *anno*. 1515. *in fol.*

Libellum quoque *De origine animae* III. libris abſolvit, ad Petrum de Pacciis Patritium Florentinum, Leonis x. domeſticum, impreſſum a *Jacobo Mazochio*. *anno*. 1521. *in fol.*

De Venenis libros III. ad Auguſtinum Nyphum Philoſophum praeclarum excuſſ. *Romae*. 1521. *apud eundem*. *in fol.* & *Baſileae*. *apud Henricum Petri*, & *Petrum Pernam*. *anno*. 1562. *in fol.* cum *Sancti Ardoyni* ejuſdem argumenti libro *de Venenis*.

Summam brevem Theologiae II. *libris* exaratam ad Dominum, & patronum ſuum Innocentium Cibum Diac. Cardinalem, Sanctae Mariae in Dominica, & S. R. E. Camerarium Leonis x. Nepotem impreſſ. *Romae*. *in Officina* ejuſdem *Mazochii*. 1521. *in fol.*

De Sacramentis libros III. ad Adrianum IV. Pontif. Max. excuſ. *Romae*. *apud eundem*. 1522. *in fol.*

Alia etiam opera conſcripſit; quorum is mentionem facit, & ad manus noſtras non pervenerunt; quae, an ſint edita, neſcimus. In epiſtola enim nuncupatoria *Summae Theologiae* ad Innocentium Cibum Cardinalem citat ipſius librum I. tertiae partis ſuae *Philoſophiae moralis*, *ubi de haereſibus*, & *ipſarum ſpeciebus* & *ſhiſmatibus undequaque inſurgentibus*, *ac judicibus*, & *modo procedendi*, & *poenis* ſe tractare ait, & ſic etiam *in lib.* III. *de Statu Cardinalium*; & *lib.* V. tractatu 2. *de facultatibus Pontificum*, & *de Conciliis*; *lib.* VI. & ultimo *de Canonizatione Sanctorum*.

In nuncupatoria etiam epiſtola ad Julium

lium Cardinalem de Medices tertiae partis *Philoſophiae natur.* reliquos libros *de Natura* ab ſe conſcriptos eſſe teſtatur.

Sed quoad ejus patriam attinet, ſcimus a Panvinio in libro *de Pontificibus, & Cardinalibus* Florentinum appellari; & Alfonſus Ciacconius, in libro *de Viris & geſtis Romanorum Pontificum, & s. r. e. Cardinalium*, vocat eum Neapolitanum, quoniam Ponzettus in ejus operibus patriam ſuam expreſſe non prodit. At revera Florentinum origine, ſed natalibus Neapolitanum procul dubio arbitramur; quandoquidem ſub Aragoneis Neapolitanorum Regibus Neapoli ejus lares fixerunt majores ſui e Florentia Neapolim profecti. Franciſcus enim de Ponzettis Florentinus, qui ejus Avus fuiſſe creditur Ill. doctor ſuit, & anno 1448. civitate Neapolitana donatus eſt a Decurionibus Neapolitanae Urbis, & Neapolitanus Civis adlectus, & pluribus functus eſt Neapoli Magiſtratibus. Judex enim fuit Magnae Curiae Vicariae ſub Alphonſo I. Rege anno 1458. & Ferdinandi Senioris regis ejus filii a Conſiliis fuit in ſupremo Santae Clarae Senatu anno 1460. ab eo creatus.

Videtur etiam colligi ex quibuſdam ipſius Ferdinandi verbis eum fuiſſe Neap., & ejus majores Neapolim incoluiſſe; is enim *in epiſtola* ad Innocentium Cibum Cardinalem in libro *Summae Theologiae*, meminit Aronis Cibi, ipſius Innocentii proavi, viri clariſſimi, quem tota ſua Ponzetti familia (quae aedes Neapoli vicinas illi habebat) & univerſa pene Civitas Neapolitana ob ejus ſingulares virtutes celebrabant pariter, & obſervebant.

At licet Aronus hic Januenſis fuerit, Neapolim tamen ſe recepit, ubi diu conſedit, ac ſupremos Magiſtratus exercuit; Regens enim fuit Magnae Curiae. Neapolitanorum quoque Regnum pro Renato Rege anno 1438. Viceregis titulo, ac ſumma poteſtate adminiſtravit. Alphonſus deinde Rex Neapolitanorum praecibus anno 1442. Aronem ipſum in ea dignitate confirmavit, ut Bartholomaeus Facius in libro *de Alphonſi Regis geſtis* affirmat.

Idem quoque Ponzettus in *epiſtola* ad Julium Cardinalem de Medices in III. parte *Philoſophiae naturalis*, ait, quod cum decreviſſet tandem ab Urbe recedere, & Neapolim ſe recipere, & publicas, & privatas curas, compoſitis quibuſdam rebus, derelinquere; quoniam aetas, & ratio eum quieſcere ſuadebant, & ſpem futurae vitae accuratius ante oculos ponere, & ſi quid temporis ſupereſſet emendationibus ejus librorum accommodare, & impendere; tunc autem Julio III. Pontifice ab humanis ſublato & Leone X. ad Summum Pontificatum evecto, ſententiam mutaſſe, & Romae perſiſtere conſtituiſſe.

Ex quibus verbis videtur colligi eum e Roma diſcedere decreviſſe (& forte de Cardinalitia dignitate amplius obtinenda deſperatum) & jam ſenem Neapolim ejus patriam ſe recipere; ſed creato Romano Pontifice Leone X. ejus amico, reviteſcente ſpe, Romae conſiſtere. Quod rei exitus probavit, cum ab eo Cardinalis fuerit creatus.

Obiit autem Romae menſe Martio anno 1528. & in Santa Euſtachii Aede ſepultus eſt.

Flaminius Parisius Conſentinus Juriſconſultus in almo Urbis gymnaſio legalis facultatis ordinarius profeſſor, dein juris Pontificii primarius Anteceſſor, demum Bitontinus Epiſcopus a Clemente VIII. creatus, edidit:

Tractatum de Reſignatione Beneficiorum totam fere praxim Beneficiorum amplectentem, duobus voluminibus; quorum primum *Romae* excuſſum eſt 1591. *apud Aſcanium, & Hieronymum Donangelum. in fol.* Domino Paulo Camillo Sfondrato s. r. e. Cardinali dicatum. Secundum vero Clemen-

menti VIII. Rom. Pontif. quod excuſum eſt...

Edidit etiam, cum Bitontinus eſſet Epiſcopus, inſignem Tractatum *de Confidentia Beneficiali prohibita*, *in quo plene explicantur Pii IV. & Pii V. Summ. Pontif. Conſtitutiones ad hoc editae*, quem Domino Petro Aldobrandino S. R. E. Cardinali dicavit. excuſum *Romae. apud Guilielmum Facciottum*. 1595. *in fol.*

Recuſi ſunt quoque ſimul Tractatus *de Reſignatione*, *& de Confidentia Beneficiali*. *Venetiis*. 1605. & 1619. *apud* Haeredem Hieronymi *Scoti*. *in fol.*

Cumque in ejus manus incidiſſet libellus quidam deſtitutus, abſque auctoris nomine, in lucem editus anno 1580. qui inſcribitur, *Practica omnium terminorum Rotae*, *& aliorum Tribunalium in Romana Curia*, *omnibus Curialibus neceſſaria & utiliſſima*, *una cum Feſtis Palatii*, eumdem ipſe examinavit, atque approbavit, & in eum librum *praefatus eſt*, ac recudi curavit, *Romae*. *apud Nicolaum Mutium*, 1597. *in* 8.

FLAVIUS AMENDOLA e Petrapagana, Lucaniae oppido, quam Baſilicatam appellant, Juriſconſultus, conſcripſit uberes *Additiones ad tres partes Deciſionum Sacri Conſilii Neapolitani Vincentii de Franchis*, item *ad Praeludia in Conſuetudines Feudorum Jacobutii de Franchis*, excuſ. *Venetiis*. *apud Juntas*. *anno* 1616. *in fol.* Domino Julio Conſtantino Marchioni Corleti, & Collateralis Conſilii Regenti dicatum.

FLAVIUS DE FLISCO origine Genuenſis, Conſentinus natalibus, vir varia eruditione refertus, latine, ac etruſce, carmine, ac ſoluta oratione ſcribendi peritus, edidit:

La Sirena, *Epitalamio* in nuptiis Dominorum D. Thaddaei Barberini, & Annae Columnae. *Romae*. *apud Andream Phaeum*. 1627. *in* 4. poſtmodum *apud Camerales*. 1629. *in* 8.

Le Pompe funerali fatte dall' Accademia degli Humoriſti al Cavalier Gio: Battiſta Marino. *Roma*. *in* 4.

La Corbellina. *Poema Eroico-Satirico-Comico*. *Venetiis*....

Il Perfetto Miniſtro coll' uſo della Vera Politica, *con le riſpoſte a quattro Miniſtri di Stato*, *con l'uſo della Politica moderna addetta contro le Corone di Spagna*, *e Nazione Spagnola*. *all' Illuſtriſs. ed Excellentiſs. Signor Duca Gio: Alfonſo Henriquez di Cabrera*, *Ammirante di Caſtilia*, *Duca di Medina*, *del Rioſetco*. *&c. Vicerè Luogotenente*, *e Capitan Generale del Regno di Napoli*. Excuſus Neapoli. apud Octavium Beltranum. 1644. in 4.

Multa etiam alia ſcripſit opera latine, ac Italice, ac legalia, quae non ſunt adhuc in lucem edita; ſed ea recenſet Leo Allatius in ſaepe citato libro *Apium Urbanarum*.

FLAVIUS IUNIUS Andrienſis Philoſophus, ac Medicus, poëta elegans, ac lepidus ſcripſit latino carmine *Centum Veneres*, *ſive lepores* ad Ill. Dominum Franciſcum Tuſum Marii filium, excuſ. *Florentiae*. *anno*. 1603. *apud Volckmarum Timam Germanum*. *in* 4.

FLAVIUS DE UVA Capuanus Miles, ac militari diſciplina peritus, & ſupremus Militum Dux, vulgo *Maſtro di Campo*, pro Philippo IV. Hiſpaniarum, ac Utriſque Siciliae Rege. Edidit Italice librum, quem inſcripſit: *Diſcorſo delle Regole*, *ed Ordini*, *che havrà da tenere la Fanteria in tutte le ſue ordinanze*, *e fazioni militari*, *ed altre coſe appartenenti ad eſſa*, qui excuſus eſt *Romae*. 1639. *apud haeredes Franciſci Corbelletti*. *in* 4. Urbano VII. Sum. Pontif. dicatus.

FLORINDUS MAUSONIUS Aquilanus Juriſconſultus, in ſua patria inſignis cauſarum patronus, ſcripſit Tractatum *De cauſis executivis*, cujus primum librum in lucem emiſit; in quo *de judicii aſſecuratione, ac ſuſpecto, & fugitivo debitore, & aliis in judicio executivo occurrentibus* pertractatur; cui acceſſit opuſculum Criminale *de Contrabannis*. excuſ. *Venetiis. apud Marcum Antonium Boriolum. anno. 1626. in fol.* Illuſtriſs. & Excellentiſs. Domino Emmanueli de Zunica, & Azebedo, Comiti de Monterei, & Fuentes ſupremi Status, & belli Conſiliario, Italiae Summo Praefecto Praetorio.

FRANC. AELIUS MARCHESIUS, ſive (ut is ſe aliquando appellat) *Aelius Franciſcus Marcheſius*, vel *Franciſcus Marcheſius Aelius* Neapolitanus poeta, ac hiſtoricus, Romanae linguae puritate illuſtris. Ex Accademia Pontani, Sannazarii, aliorumque ejus aevi praeſtantium litteris virorum familiaris amicus fuit. Hujus conſilio uſus Actius Syncerus Sannazarius Pontani Opera e tenebris in lucem emiſit; ut in Pontano dicemus.

Conſcripſit latine librum *De Nobilibus Familiis Neapolitanis*, ad Hieronymum Carbonem, qui manuſcriptus circumfertur, ac celeberrimus eſt inter Neapolitanos; cum librum publicari vetuit ſe vivente, ne prae dicendi libertate aliquid ſibi mali contigiſſet.

Edidit in lucem *Diogenis Laërtii de Vitis Philoſophorum* librum a ſe emendatum, quem Domino Oliverio Carrafa Cardinali, & Archiepiſcopo Neapolis dicavit. Profitetur ſe in epiſtola nuncupatoria librum illum emendaſſe hortatu Pomponii Laeti, viri admodum eruditi; eaſque vigilias, pauculoſque labores, quaſi ſui agelli primitias, eidem Cardinali dicaſſe. Impreſſus eſt autem liber hic ſine die, & conſule, loco, & nomine impreſſoris. *in fol.*

Pontanus *Hendecaſyl. lib. 11.* laetatur de reditu Franciſci Aelii, verſibus jambis, qui ſic incipiunt:

E Roma meus Aelius reviſit
Dulcem Partenopem, lares paternos;
O lucem niveam, diemque fauſtum!

Idem Pontanus *Tumulorum lib. 1.* tumulum facit Franciſco Aelio

Viator, & Genius colloquuntur.

Quis jacet hoc tumulo? Nullus jacet. Hunc ſibi vivus
Aelius, hanc ſtatuit poſt ſua fata domum.
Cur interque herbas, interque virentia culta,
Quo nitet aurata citria ſylva coma?
Hanc ſibi ſylvam Muſae, hos ſtatuere receſſus,
Quae poſt umbra ſuo gaudeat in thalamo.
Quid, quod & Aſſyrii ſpirant de marmore odores?
Quid quod & Aſſyrio Nardus honore fragrat?
Illos Aſſyriis Charites de collibus, hac &
Detulit Aſſyria gratia ab uſque plaga.
Hoc illi meritum Muſae poſt fata rependunt.
O ſcriptor latia nobilitate lyra.

FRANCISCUS ALBERTINUS e Catanzario, Calaber, Societatis Jeſu Sacerdos, Philoſophiae, ac Sacrae Theologiae per multos annos in Collegio Neapolitano ejuſdem Societatis, ac Meſſanenſis publicus profeſſor extitit. Vir doctus, acris, & ſubtilis ingenii; cujus auditor fui in rebus philoſophicis in eodem Neapolitano Collegio. Edidit librum, quem inſcripſit, *Corollaria, ſeu quaeſtiones theologicas, praecipue in primam, & tertiam partem S. Thomae, que deducuntur ex principiis philoſophicis complexis*. excuſ. *Neapoli, 1606. apud Tarquinium Longum. in fol.*

Dein ab auctore aucta, & recognita recuſa ſunt *Lugduni. anno. 1610. apud Horatium Cardonem. in fol.* Ill. Domino Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinali dicata.

Edidit quoque ſecundum volumen, quod praetitulavit *Corollaria, ſeu quaeſtiones theolo-*

logicas de Trinitate , Incarnatione Verbi , & de Euchariſtia &c. ex principiis philoſophicis incomplexis , ſeu praedicamentis ſubſtantiae , quantitatis , ubi , & ad aliquid , juxta irrefragabilem doctrinam , & Theologiam S. Thomae Aquinatis Doctoris Angelici . excuſum *Lugduni. anno* . 1616. *apud* eundem *Horatium Cardonem . in fol.* eidem Domino Cardinali Bellarmino dicata.

Tertium quoque volumen integrum , & abſolutum reliquit , quod non eſt adhuc in lucem editum.

Apparatum Angelicum , cum Diurnali aureo Angeli tutelaris. Coloniae . 1625. opus poſthumum.

Scripſit quoque Italice Tractatum primum *de Angelo Cuſtode. Romae apud Guilielmum Facciottum*. 1612.. *in* 16.

Et , tacito ejus nomine , edidit *Concionem* Italice a ſe habitam *in funeribus Petri Antonii Spinelli Societatis Jeſu . Et Panegyricum ſuper triplici teſſera S. Franciſci de Paula humilitate, poenitentia, & caritate. Neapoli per Tarquinium Longum* . 1617. *in* 4.

Obiit autem Neapoli in Collegio ejus Societatis die 4. Junii 1619. cum annum ageret 68. & ibidem ſepultus.

FRANCISCUS ALPHANUS Salernitanus Philoſophus , ac Medicus ſcripſit opus *De peſte, febre peſtilentiali , & febre maligna , nec non de variolis , & morbillis , quatenus nondum peſtilentes ſunt* , ad Ill. Dominum Marcum Antonium Marſilium Columnam Archiep. Salernitanum . impreſ. *Neap. apud Horatium Salvianum*. 1573. *in* 4.

FRANCISCUS DE AMICIS Neapolitanus Juriſconſultus in publico Neapolitano gymnaſio feudorum interpres , edidit *Tractatum in materia Feudorum* , eorum nempe, quae is legendo edocuit , & praecipue *de his, qui Feudum dare poſſunt* , excuſ. *Venetiis*. 1600. *apud Baretium Baretium. in fol.* Philippo Auſtriaco Hiſpaniarum Regi dicatum.

FRANC. ANT. BLUNDUS a Santo Severino , Diocoeſis Salernitanae , Ordinis Minorum Conventualium inter primos , ac doctiores totius ejus Ordinis Theologos communi calculo fuit habitus. Rexit praecipue ſuae Religionis gymnaſia , & praeſertim Patavinum , Bononienſe, Neapolitanum , Aſſiſienſe, ac poſtremo Seraphicum Collegium Santi Bonaventurae de Urbe , cujus is jam pridem fuerat alumnus.

Fuit doctrinae Scotiae maxime addictus , cumque Bononiae eſſet Regens caepit luci , & typis tradere *Diſputationes* tanto ingenio dignas *de Praedeſtinatione , Gratia , & Auxiliis* . Sed multis impreſſis foliis coactus fuit deſiſtere , urgente in contrarium decreto Congregationis ſanctae Inquiſitionis ſub Paulo v. quo praecipiebatur , ne Superiores Religionum ſinerent ullo modo imprimi in materia de Auxiliis . Attamen poſtea edidit *Diſputationes Scoticas , in quibus divinae praedeſtinationis, & reprobationis Myſteria , juxta doctrinam Scoti, dilucidantur*, impreſſa *Bononiae anno*. 1625.

Scripſit autem *Tractatum de Cenſuris , & Irregularitatibus* excuſum *Romae* . 1635. *apud Ludovicum Grignanum. in* 4. Eminentiſſimo Cardinali Hieronymo Columnae dicatum.

Item *Quaeſtionem* celeberrimam *de adaequato philoſophiae naturalis objecto juxta mentem Scoti* excuſam *apud eundem typograhum. anno* . 1637. *in* 4. ad Illuſtriſs. Petrum Abbatem Columnam. Dignus eſt ſane liber ad Scoti doctrinam.

Fuit deinde creatus Epiſcopus Inſulae Capreariun , ac poſtmodum translatus ad Eccleſiam Orſonae , & Campleſem ſub Archiepiſcopatu Theatino . Deceſſit autem Orſonae anno 1643. die 21. Decembris aetatis ſuae anno 59.

FRANC. ANT. CASERTA Neapolitanus Philoſophus, ac Medicus multa edidit ad medicam facultatem pertinentia, nempe:

Tractationes IX *in Medicinae theoricam nedum medicis, ſed phiſicis etiam perutiles, nempe de natura Medicinae ſcientiae. De cauſis morborum in communi. De temperamentis. De humoribus. De ſpiritibus. De morbis in communi. De morborum temporibus. De criſibus, & de diebus criticis*, ſeu decretoriis. excuſ. *Neapoli. apud Joannem Jacobum Carlinum, & Conſtantinum Vitalem*. 1608. *in* 4.

Edidit quoque *ſecundam partem*, in qua tum *Febrium theoria, tum putredinis natura pertractatur*, ad Illuſtriſs. & Excellentiſs. Dominum Tiberium Carrafam Biſiniani Principem, quae prodiit *Neapoli. ex Officina Joannis Dominici Roncalioli. anno* 1609. *in* 4.

Elucubravit etiam *Tractationem de natura, & ſymptomatis motus animalis, tum in communi, tum ſingularum noſtri corporis partium, quae voluntarie moventur, non ſolum Medicis, ſed etiam Philoſophis animaſticis perutilem* ad Sereniſs. Dominum Ranucium Farneſium Parmae, & Placentiae Ducem, quae excuſa eſt *Neapoli. in Officina Joannis Dominici Roncalioli. in* 4.

Tractatus II. *ad medicinae praxim pertinentes, alteram de natura, & uſu aquarum potabilium tum in ſanis, tum in aegris corporibus*. Aliam *de natura. & uſu vinorum in ſanis, tum in aegrotis*. In quibus praeter caetera ſcitu digniſſima ab omnibus, qui aquam, vel vinum guſtare noverint, aquae potum podagricis, & artheticis eſſe infeſtum, vini vero potum eſſe utilem, veris Hippocratis, & Galeni auctoritatibus, ac veriſſimis rationibus demonſtrare profitetur. Quem Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domino Odoardo Farneſio S. R. E. Cardinali, ac Epiſcopo Sabinenſi nuncupavit, impreſſ. *Neapoli. apud Secundinum Roncaliolum*. 1623. *in* 4.

FRANC. ANT. CASIMIRUS a Brunduſio, Ordinis Min. Conventualium doctor Theologus, & in florentiſſimo Caenobii Divi Laurentii Neapolis gymnaſio Regens. Edidit librum, cui titulus eſt, *Scotus dilucidatus in ſecundo ſententiarum mirifico, brevi, ac facili Ordine, in quo etiam omnes controverſiae inter D. Thomam, & Scotum hujus ſecundi ſententiarum facillime explicantur* Scotiſtis, & Thomiſtis pro intelligentia praeſertim controverſiarum apprime neceſſarium. Excuſus eſt autem liber hic *Neapoli. anno*. 1607. *apud Joannem Jacobum Carlinum. in* 8. Reverendiſſimo Domino Joſepho Piſculio ejus Ordinis Miniſtro Generali dicatus.

FRANC. ANT. CATTUS Lucanus Philoſophus, ac Medicus in Neapolitano gymnaſio Chirurgiam, & Anatomen publice profitens; edidit *Enchiridion Anatomes, in quo partes corporis humani brevi ordine explicantur*, ad Marinum Spinellum Neapolitanum Medicum primarium, & Mecaenatem ſuum. excuſ. *Neap. anno*. 1552. *apud Matthiam Cancrum. in* 4.

Prodierunt quoque *Iſagogae ejus Anatomicae, Neapoli. ex officina Raymundi Amati*. 1557. *in* 8. Illuſtriſſimo & Sereniſſimo Principi Veſpaſiano Gonzaghae Mecaenati ſuo dicatae.

FRANC. AMICUS Conſentinus Sacrae Theologiae Doctor e Societate Jeſu, edidit:

Curſus Theologici juxta ſcholaſticum hujus temporis Societatis Jeſu methodum Tom. I *de Deo Uno, & Trino. Viennae Auſtriae. apud Gaſparem ab Rath*. 1630. *in fol*. Tom. II. *De natura Angelorum, eorumque proprietatibus. Antuerpiae. typis Belleri*. 1637. *in fol*. reliquos ſex expectamus. Vivit.

FRANC. ANT. DE JUDICE *Roberto* Neapolitanus edidit *Practicam ſuper liquidationibus, atque executionibus Inſtrumentorum ad formam Ritus Magnae Curiae V.* quae

quae edita eſt *cum Marini Frecciae , aliorumque Tractatibus* ejuſdem argumenti . *Venetiis*. 1590. *apud Nicolaum Moretum*. *in* 4.

FRANC. ANT. PAVONVS, ſive *Franciſcus* e Catanzario Calaber Societatis Jeſu Theologus per multos annos in Neapolitano Collegio ejuſdem Societatis ſacrarum litterarum interpres fuit. Edidit *Summam Ethicae*, ſive *introductionem* in *Ariſtotelis*, & *Theologorum doctrinam moralem*, *tribus partibus contentam*. Quarum prior pars agit de *methodo*, *ac ſumma ſacrorum*, *ſive de ſacra Theologia*, quae prodiit *Neapoli*. 1617. *apud Tarquinium Longum*. *in* 8. Patri Mutio Vitelleſco Praepoſito Generali ejuſdem Societatis dicata; dein recuſa *ibidem*. 1623. *apud Lazarum Scorigium*. *in* 8.

Secunda vero pars *de definitionibus Iſagocicis*, ſive *De naturali Theologia* 1625. *in* 8.

Tertia vero *De Canonibus Iſagocicis*, ſive *de ſacrae interpretationis ratione*. *ibidem* 1628. *in* 8.

Tractatum *de Ethicis*, *politiciſq. actionibus* ex ſecunda introductionis parte ſeorſum impreſſum *ibidem*. 1630. *in* 12.

Commentarium dogmaticum, ſive *theologicam interpretationem in Pentateuchum*, *novum artificium*, *ad intelligentiam Theologiae tum litteralis*, *tum myſticae Sacrarum Scripturarum*, & *ad parandum nobilem materiam pro concionibus*, & *ad uſum Controverſiarum*, excuſ. *Neap*. 1635. *apud Joannem Dominicum Montanarium*. *in fol*. Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis Epiſcopis dicatum.

Commentarium dogmaticum, ſive *theologicam interpretationem in Evangelia novum artificium ad intelligentiam Theologiae tum litteralis*, *tum myſticae*, *Sacrarum Scripturarum*, & *ad parandum nobilem materiam pro concionibus*, & *ad uſum controverſiarum*, impreſ. *Neap* *apud Jo. Dominicum Montanarium*, *in fol*. eiſdem Epiſcopis dicatum.

Quae autem edidit Italice haec ſunt.

Prima pars *Inſtructionum Congregationis Clericorum Aſſumptionis Collegii Neapolitani Societatis Jeſu*. *pro executione facili*, *Chriſtiana*, *ac proficua Exercitiorum ejus Congregationis*, *pro conferentiis*; *miſſionibus*, *ſtudio*, *ſchola*, *confeſſione*, *auxilio morientium*, *meditatione*, *Miſſa*, *horis Canonicis*, *praedicatione*, *doctrina Chriſtiana*, *aliiſque exercitiis*, quae abſque auctoris nomine excuſa eſt *Neap*. ad praeces Praefecti, & Fratrum ejuſdem Congregationis ad uſum ipſius, & aliarum Congregationum, *in typographia Scipionis Bonini* 1619. *in* 8.

Meditationum partes duas, quarum ſecunda eſt *de praeparatione ad Miſſam*, quatuor partibus ſecta ſeorſim impreſſis *ibidem*. *annis*. 1630. 1631. & 1632. *in* 8.

Meditationem *De amore Divino*, ſeu *artem amandi Deum*.

Meditationem *De Sanctiſſimo Euchariſtie Sacramento*, & alias complures hujuſmodi meditationes.

Obiit autem Neapoli in Collegio ejuſdem Societatis 6. Kal. Martii 1637. De Franciſco Antonio hoc Pavone multa Philippus Alegambe in ejus *Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu*.

FRANC. ANT. PVRPVRA Neapolitanus Juriſconſultus, poſtea Montis Marani Epiſcopus, vir eruditus edidit *Conſilium*, *ſive juris Reſponſum pro Monachis S. Baſylii in Cauſa praecedentiae cum Monachis Caſſinenſibus*, quod ſcripſit Domini Metelli Bighi Cardinalis Senenſis ejuſdem Ordinis S. Baſylii protectoris juſſu, & praecibus, quod excuſum eſt *Neapoli*. 1678. *apud Conſtantinum Vitalem*. *in* 4.

Scripſit quoque profuſiſſime latine *Vitam Jacobi Galli Juriſconſulti Clariſſimi*, de quo inferius ſuo loco dicemus, cujus is auditor fuit in legali diſciplina; quae ipſius Jacobi Conſiliorum legalium libro praefixa eſt.

Conſcripſit quoque Italice *Chronicum Ducatus Amalphiae* accurate quidem, & curioſe, quem in lucem edere parans morte praeventus non edidit, & forte aliquando prodibit in lucem, ſub alterius nomine.

FRAN-

Digitized by Google

FRANC. ANT. SGAMBATVS Neapolitanus utriuſque juris, & Sacrae Theologiae Doctor, in publico gymnaſio Romanae urbis primarius Inſtitutionum lector, edidit:

Introductionem ad *juris utriuſque ſcientiam* excuſ. *Romae*. 1630. *in* 4. *apud Guilielmum Facciottum*. *in* 4. Eminentiſſimo Domino Franciſco Cardinali Barberino dicatum.

Commentaria in VI. *libros Inſtitutionum Juris Civilis D. Juſtiniani Imperatoris*. *Tom.* II. impreſſ. *Romae*. 1632. *apud Franciſcum Corbellettum*. *in fol.*

Scripſit etiam alia, quae non ſunt adhuc edita in lucem; eaque refert Leo Allatius in ſuo libro *Apium Urbanarum*, ſive *de viris illuſtribus*.

FRANC. ANT. VIVOLVS Neapolitanus Philoſophus, ac Medicus, in Neapolitano gymnaſio logicam, & philoſophiam ordinarie profeſſus eſt per annos ultra viginti, ac proinde Comes Palatinus declaratus. Edidit *Expoſitionem in quinque Porphirii voces*, quae *Neapoli* pluries excuſa eſt; deinde tertio edita eſt *ibidem*. *apud Io. Iacobum Carlinum*. *in fol.* Domino Nicolao Berardino Sanſeverino Biſiniani Principi dicata.

Scripſit quoque librum *De antipraedicamentis*, *praedicamentis*, & *poſtpredicamentis logicam facultatem profitentibus valde utilem*, & *neceſſarium*, Excellentiſſimo Domino Henrico de Guzman Comiti Olivarez, in Regno Neapolitano Proregi dicatum impreſ. *Neapoli*. 1696. *apud Io: Iacobum Carlinum*, & *Antonium Pacem*. *in fol.*

Item edidit dilucidiſſimam *Expoſitionem* in *librum Poſteriorum*, quae excuſa eſt *Neapoli* . . . . quae dein ſecundo edita eſt *Neapoli*. 1602. *apud Io. Iacobum Carlinum*. *in fol.* Coſmo Pinello Acheruntiae Duci, & Galatinae Marchioni, Magno Regni Cancellario dicata.

Obiit autem Neapoli die 13. Apr. 1613. & in Divi Joannis Majoris ſacra aede ſepultus.

FRANCISCVS DE BAVCIO Andriae Dux, Jacobi Tarentini Principis Filius ex Neapolitani Regni proceribus; vir pius, ac bonis litteris imbutus. Scripſit prolixam *Epiſtolam*, latine, ad Adrienſium Epiſcopum ejus familiarem, *De acceſſu Nicolai* V. *Romani Pontif. cum in anno* 1449. *Seraphici Patris S. Franciſci Corpus in Aſſiſii Civitate exiſtens viſitavit*, *effracta janua ſpecus*, *in quo aſſervebatur*; *ac de prodigioſa ſtatione ipſius corporis in pedibus ſtantis*, *aliiſque admirandis rebus*. Quam quidem Epiſtolam Dux ipſe ſcripſit ex relatione Jacobi Laquedonienſis Epiſcopi, qui ea omnia audierat ex proprio ore Aſtorgii Agnenſis Neapolitani S. R. E. Cardin. & Archiep. Beneventani; cum is Cardinalis ex hac vita migraret, qui ſimul cum eo Pontifice propriis oculis omnia viderat. Habetur autem ea Ducis Epiſtola apud Petrum Rodulphium Foſſinianenſem *in Hiſtoria Seraphica*, & apud Henricum Sedulium in *Hiſtoria* item *Seraphica*, & Fratrem Lucam Vuadingum in *Annalibus Minorum*, *ad annum* 1230. *num.* 4. *fol.* 416. & *in Opuſculis S. Franciſci*, *cum notis*, & *additionibus* ejuſdem Fratris Lucae Vuadinghi.

Idem quoque Dux ſcripſit latine *Hiſtoriam de inventione corporis Santi Richardi Andienſis Epiſcopi reperti in Majori Eccleſia Andrienſi*, *anno* 1438. *die* 23. Aprilis ſub Eugenio IV. Romano Pontf. & Alphonſo Aragonum, & Siciliae Rege, quod ejus Ducis, & Antiſtitis juſſu perquiſitum eſt; ac de ipſins Sacri Corporis translatione in decentiorem ejus Eccleſiae locum; ac de ejus miraculis, omniq. memoriae, quae de eodem Sancto Richardo in Veteribus Monumentis ex antiquorum libris, ac diplomatibus ſupererant. Dux ipſe ſummis laboribus, ac ſedulo collegit, ac ad Romanum Pontif. tranſmiſit; ex quibus ejus Sancti cultus jamdiu intermiſſus, reſtitutus eſt, ac ad poſteros tranſmiſſus. Quae omnia hic *Hiſtoria* ſingillatim recenſet; quae edita eſt in antiquo ejus Sancti Officio Eccleſiaſtico, eamque nos in *Sacris noſtris* *Nea-*

Digitized by Google

Neapolitani Regni Monumentis retulimus.

Hic eſt Franciſcus ille Baccius Dux Andriae, cujus in hiſtoriis ſaepius habetur mentio. Ab Alphonſo enim Seniori Rege anno 1454. cum aliis Regni proceribus obviam mittitur ad Federicum III. Imperatorem e Roma Neapolim venientem, ut Bartholomaeus Facius, & Angelus Conſtantinus *lib.* XIX. *hiſtor. Neap.*

A Rege Ferdinando primo mittitur ad Pium II. Pontif. Max. ut cum eo de Pontificatu, Regis nomine, congratularetur; eique obedientiam praeſtaret: ut idem Conſtantinus eodem *lib.* XIX. Idemque pariter Dux pro eodem Rege in bello adverſus Joannem Andegavenſem Ducem fortiter dimicavit. Idem Conſtantinus *ibidem*. Obiit autem . . . . die 8. Auguſti 1483. ut Julianus Paſſer in ſuis *Diurnalibus* teſtatur.

Fit quoque ejus Ducis mentio in Sacello, quod is Tarenti extruxit, ac patri marmoreum ſepulcrum erexit; in quo haec legitur inſcriptio in marmore inciſa, relata a Joanne Juvene lib. VII. *Hiſtor. Tarent. cap.* 3.

Hoc tuus Andria Dux Franciſcus Baucia proles
Extruxit templum. Jacobi tenet oſſa Tarenti
Principis; huic Mater Caroli de ſtirpe Secundi
Imperii titulis, & Bauci ſanguine claro:
Hic Romaniae, & Deſpotus Achaïus Urbes
Subjecit bello.

FRANCISCVS BOLVITVS Neapolitanus, Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum, edidit latine *Vitam Beati Andreae Avellini* Clerici regularis Neapolis, ac Panormi patroni, tribus libris conſcriptam, quae excuſa eſt *Neapoli. anno.* 1625. *apud Lazarum Scorigium. in* 4. Ill. Nobilibus Ordinibus, ac fideliſſimo Populo Civitatis Neapolis dicatam.

Edidit quoque latine duas *Orationes funebres*, quas is publice habuit, alteram nempe *in funere Domini Honorati Brognonici* Abbatis Olivetani, Veronae dictam in Templo Olivetano S. Mariae de Organo 4. Non Septembris 1617. impreſſ. *Veronae.* 1607. *apud Bartholomeum Merlum. in* 4. alteram vero *in funere Domini Iulii Caeſaris Saliuinii* Bononienſis, Epiſcopi Ariminenſis dictam in Cathedrali Ariminenſi 14. Kalen. Novemb. 1606. impreſſ. *Bononiae. apud Victorium Benatium.* 1607. *in* 4.

Scripſit quoque Italice, licet abſque auctoris nomine, *Vitam S. Ioſeph Ermanni e Steinfelt, Ordinis Praemonſtratenſis*, qui deſponſatus a Sanctiſſima Virgine Maria Dei Matre fuit, juſſu ipſius Beatae Virginis, hoc nomine vocatus; excuſſam *Romae. apud Iacobum Maſcardum.* 1628. *in* 8. eidem potentiſſimae Caeli Reginae Mariae ſemper Virgini dicatum.

FRANCISCVS DE CAIETA Neapolitanus Squillacenſis Epiſcopus, & Juriſconſultus inſignis, edidit *Tractatum de Haereticis, & eorum poenis, & fide Catholica*, qui inter *Tractatus juris Lugduni* editis *anno* 1535. in XI. volumine habetur; & itidem in *Lugduni* impreſſis *anno* 1549. in ... tomo habetur. In tractatibus autem noviſſime editis in volumine XIV. recuſus eſt.

Alia etiam opera ſcripſiſſe crediderim, quandoquidem Matthaeus Afflictus in Conſtitutione *ſi quis. ſub tit. de revocandis tranſeuntibus ad alienam abltationem. num.* 9. ait *vide Regnicolam noſtrum Franciſcum de Cajeta bonum Canoniſtam in repetione* ff. *fin. de electione lib.* VI.

Idem Afflictus pluries ejus auctoris meminit, & praeſertim *in uſibus Feudorum in tit. de his qui feudum dare poſſunt in* §. *& quia num.* 3. *& in Conſtitutione Regni*, in *rubrica de Haereticis*, ubi ſic, ait. *Vide utilem tractatum Reverendi Domini Franciſci de Gajeta Epiſcopi Scilacenſis, quem fecit ſuper materia de Haereticis; qui fuit optimus Doctor, & conſcientiatus vir, & eum habui in maxima reverentia.*

Obiit autem Squillacii anno 1481. & in ejus

ejus Eccleſia ſubtus Altare S. Agatis ſepultus eſt.

FRANCISCVS CANOPHILVS Sangrenſis Ordinis S. Franciſci Obſervantium, Theologus, ac concionator, edidit latine *Librum Concionum*, quem inſcripſit *Aeconomiam Concionalem ſuper Evangeliis Quadrageſimae*, quam Domino Rodulpho Pio Cardinali Carpenſi totius ejus Ordinis Protectori nuncupavit, qui *Venetiis. ex typographia Bartholomaei Caeſarii. anno.* 1551. *in* 8. prodiit.

FRANC. CAPYCIVS LATRO patricius Neapolitanus, antiquarum rerum hujus Neapolitani Regni valde peritus; ob idque complurium librorum angulos exploratos habens, ſcripſit Italice *Hiſtoriam Civitatis, & Regni Neapolis dicti Siciliae a Rogerio Normanno* 1. *Rege Neap. auſpicatus*. Complectitur Reges omnes Normannos, quae prodiit *Neapoli. ex officina Octavii Beltrani. anno.* 1604. *in fol.*

Secunda vero ejus hiſtoriae pars, ſub praelo eſt, & propediem prodibit in lucem.

Edidit quoque *Rithmorum librum*, qui excuſus eſt *ibidem. apud eundem*. 1621. *in* 8.

FRANCISCVS CAPVANVS de Manfredonia, artium, & medicinae Doctor Philoſophus, ac Mathematicus ſuo tempore celeberrimus; qui in gymnaſio Patavino per multos annos philoſophiam, ac aſtronomiam profeſſus eſt. Tandem relicto ſaeculo Religionem Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Congregationis Lateranenſis ingreſſus, in Monaſterio Neapolitano S. Petri ad Aram, ac *Joannes Baptiſta Capuanus de Manfredonia* vocatus, reliquum ſuae vitae tempus in Religione egit; in qua degens pluribus etiam in locis eas ſcientias docuit.

Scripſit, & in lucem emiſit, adhuc in ſaeculo exiſtens praeclaram Expoſitionem ad Joannis de Sacroboſco Aſtronomi Celeberrimi librum de Sphera, ac etiam luculentiſſima Commentaria ad theorias novas planetarum Georgii Purbachii hoc titulo inſignita: *Franciſci Capuani e Manfredonia, artium, & medicinae Doctoris, & Aſtronomiae in Patavino gymnaſio publici profeſſoris, in Ioannis de Sacroboſco Aſtrologi Celeberrimi in textum Spherae Expoſitio*, quam Laurentio Donato Patritio Veneto, & Quaeſtori Patavino dicavit. Haec ſimul *cum Sphera mundi, cum tribus Commentariis, nempe Cicchi Eſculani, Iacobi Fabri Hapulenſis*, & ipſius *Franciſci Capuani* edita eſt *in fol.* ſine die, & Conſule, & abſque, loco & tempore impreſſionis.

Ejuſdem *Franciſci Capuani* de *Manfredonia Commentarios in theoricas planetarum Georgii Purbachi. Venetiis*. excuſos *anno*. 1499. *cum Sphera mundi Ioannis de Sacroboſco*, teſtatur Corradus Geſnerus in ejus *Biblioth.*

Recuſi ſunt quoque hi libri, nempe *Commentaria in Ioannem de Sacrobuſto, & Georgium Purbachium*, in opere magno *de Spheris*, cum tractatibus diverſorum, *Venetiis. anno*. 1508. *apud* Ioannem *Rubeum*, & *Bernardinum Fratres Vercellenſes. in fol.* Item *Venetiis*. 1518. & 1531. ab auctore *reviſa, caſtigata, & edita, apud Lucam Antonium Juntam Florentinum. in fol.* ſub nomine *Joannis Baptiſtae Capuani* de Manfredonia, ſive Sipontini Canonici Regularis Ordinis S. Auguſtini Congregationis Lateranenſis.

Vixit autem hic annum circiter 1490.

Lucas Ganricus in *Oratione*, quam habuit *de laudibus Aſtrologiae* in Ferrarienſi Academia, cum mathematicas diſciplinas publice aggreſſus eſſet anno 1507. inter recentiores, qui plurimum in Aſtronomia profecerunt tum ſcribendo, tum interpretando, atque excellentem his operam navarunt, Franciſcum Capuanum hunc commemorat.

De hoc etiam Franciſco, ſive Joanne Baptiſta Capuano de Manfredonia, vide Gabrie-

Digitized by Google

Gabrielem Pennottum in ejus *generali Chronico totius Ordinis Clericorum Regularium lib.* III. *Cap.* 27. §. 5. & *Cap.* 55. §. 4.

FRANCISCVS CARACCIOLVS Neap. vide *Joannem Franciſcum Caracciolum*.

FRANCISCVS CARRABA ex Ruborum Civitate in Provincia, quam Barii terram vocant, legum Doctor, ſcripſit *Praxim ſindicatus Officialium*, excuſam *Neapoli*. *anno*. 1610. *apud Tarquinium Longum*. Illuſtriſſimo Domino Emanueli Geſualdo, Venuſii Principis filio, a Bibliopola dicatam.

FRANCISCVS CENSALIVS e terra Majoris in Amalphiae Ducatu Juriſconſultus, Advocatus Neapolitanus, edidit *Obſervationes, cum additionibus ad tractatum de fideicommiſſis Marci Antonii Peregrini I. C. Patavini*, in quibus ſingularia juris Reſponſa, ac ſubſequutae in cauſis Deciſiones e Supremis Senatibus Regni Neapolitani adnectuntur; & innumerae quaeſtiones, praeter, vel contra Peregrini ſenſum compendioſe, ſed dilucide obſervantur; ac noviſſimorum Doctorum, & Senatuum placita, & vota ad caetera dicta cumulantur. Excuſae ſunt *Neapoli*. *apud Iacobum Caſſarum*. *in fol.* Illuſtriſſimo Domino Antonio Caracciolo Marchioni S. Sebaſtiani patritio Neapolitano, Regio ſupremi Ordinis apud ſuam Catholicam Majeſtatem a Latere Senatori, Regiamque Cancellariam Neapolis Regenti a D. Joſepho Cenſalio, J. C. Franciſci auctoris germano fratre, dicatas.

FRANCISCVS DE CLARO Neapolitanus V. I. Doctor, & Metropolitanae Eccleſiae Neapolitanae Canonicus edidit librum, qui ſic inſcriptus eſt, *Humanae calamitatis Conſiderationes*, Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Aloyſio Riccio Vici Aequenſis Epiſcopo, qui excuſus eſt *Neapoli*. *anno*. 1632. *apud Ioannem Dominicum Roncaliolum*. *in* 4.

Practicarum quoque *Diſceptationum* tomum primum impreſſum *Venetiis*. 1648. *in fol.*

FRANCISCVS FASANVS Neapolitanus Clericus Regularis, Theatinus, edidit Italice librum, quem inſcripſit, *Reformationem Chriſtiani, extractam a formatione mundi*, quam in duas partes, & tria volumina fecit; cujus prior pars excuſa eſt *Neapoli*. 1621. *apud Secundinum Roncaliolum*. *in* 4. Decio Carrafae S. R. E. Cardinali, & Archiepiſcopo Neapolitano dicata. Secunda vero pars prodiit *Neapoli*. *ex typographia Domin. Ferdin. Maccarrani*. *anno*. 1623. *in* 4. Caeſareae Majeſtati Imperatricis Eleonorae Gonzaghae de Auſtria dicata.

Altera vero pars ſecundae partis, ſive liber VII. excuſus eſt 1624. *apud haeredes Tarquinii Longi*. *in* 4. Sanctiſſimo Domino Urbano VIII. Summo Pontif. dicata.

Obiit autem Neapoli in aede S. Pauli ejus Ordinis die 9. Decembris 1627.

FRANCISCVS FONTANA Neapolitanus edidit latine librum, cui titulus eſt. *Novae caeleſtium, terreſtriumque rerum obſervationes, & fortaſſe hactenus non vulgatae a* Franciſco Fontana, *ſpecillis a ſe inventis, & ad ſummam perfectionem perductis editae*. impreſſae *Neapoli*. 1646. *apud Jacobum Gaffarum*. *in* 4. Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Principi D. Camillo Pamphilio S. R. E. Cardinali dicatae.

FRANCISCVS FRANCHINVS Conſentinus poëta Maſſae Populoniae (quae vulgo Maſſa Carraria dicitur) Epiſcopus; ſcripſit poëmata, quae Petrus Perna Baſileae excudit in 8. ut ait Geſnerus in *Epitome* ejus *Bibliothecae*.

Lylius Gregorius Gyraldus in Epiſtola, latino carmine ſcripta, ad Antonium Thebaldeum Ferrarienſem poëtam, in qua agitur *de incommodis*, *quae in diruptione urbis* Romae anno 1527. paſſus eſt, ubi Catalogum fere ſuorum amicorum poëtarum facit; inter alios meminit Franciſci Franchini Conſentini, qui in tanta clade, & publicis damnis, *Lydami tunc baſia cantabat*, quod credimus poëma eſſe ab eodem Franchino conſcriptum.

Meminit quoque ipſius Jacobus Praefectus Siculus in ſuis *Canticis de Verbo Dei* in nuncupatoria epiſtola ad Vincentium Carrafam Cardinalem Neapolitanum; in qua enumerans viros omnes litteris praeſtantes, qui ejus Cardinalis familiares amici erant, ejuſque aulam frequentabant, quoſque is Cardinalis fovebat, ſic de eo ait: *Franchinus ad unquem vates, qui non minus candoris in ſcribendo, quam ſalis habet*.

Obiit autem Romae, & in aede Sanctae Trinitatis Hortulanorum ſepultus; in qua haec legitur in ejus ſepulcro inſcriptio, relata a Laurentio Schradero in ſuo libro *Monumentorum Italiae*, *fol.* 127.

FRANCISCO FRANCHINO CONSENTINO MASSAE POPVLONIAE EPISCOPO PRVDENTI ACRIQVE VIRO ATQVE VENVSTO POETAE.

Ejuſdem quoque ſepulcri, & inſcriptionis meminit Joannes Scottus de Antuerpia in ſuo *Itinerario Italiae*, loquens de admirandis urbis Romae *fol.* 175.

In libro, qui inſcribitur *Icones*, ſive *Imagines vivae litteris clarorum virorum Italiae, Graeciae, Germaniae, Galliae, Angliae, Ungariae, cum elogiis variis per Nicolaum Reccinerum* I. C. & P. C. impreſſo *Baſileae. anno.* 1589. *apud Conradum Valdkirek. in* 8. habetur Elogium Franciſci Franchini poëtae, & militis.

FRANCISCUS GEMMA Capnanus, ex pago Marcheniſii Praesbiter, edidit latine *Cantica* CL., *cum Hymnis* XXX., totidemque *Orationibus in Divum Franciſcum Seraphicum*, ad inſtar pſalmorum Davidicorum, ejuſdem Sancti totam fere vitam continentia; & devotionem ſacrorum ſtigmatum manibus, & pedibus, ac ejus lateri a Chriſto impreſſorum: nec non & pro fidelium devotionis vi cum incremento, atque pro illorum myſterio ſignificando, ex ordine diſpoſita, *cum hymno*, & *oratione Angeli Cuſtodis*, & *S. Franciſcae Romanae*, excuſ. *Neapoli. apud Lazarum Scorigium*. 1602. *in* 4. Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Tiberio Carrafae Biſinianenſium Principi dicata.

FRANCISCUS IMPERATUS Neapolitanus V.I. Doctor, Ferdinandi Imperati, de quo ſuperius diximus, filius; patris veſtigia ſecutus naturalium rerum ſtudia ſectatus eſt. Scripſit latine librum *de Foſſilibus*, ſive *de mineralibus*, qui editus eſt *Neapoli. apud Joannem Domin. Roncaliolum. anno*. 1610. *in* 4. & Domino Aloyſio de Caſtellet Marchioni Montorii nuncupavit.

Edidit quoque haec quae ſequuntur, Italice, nempe *Diſcurſum politicum circa regimen platearum Civitatis Neapolis* ad Dominum Fulvium Conſtantinum Corleti Marchionem, ac Regiam Cancellariam Regentem, impreſſ. *Neap. apud Felicem Stigliolam*. 1604. *in* 4.

Privilegia, Capitula, & Gratias fideliſſimo populo Neapolitano, ejuſque Plateae conceſſa, cum ipſius Franciſci Annotationibus de novo additis, & ipſius diſcurſu circa Officium Decurionum, qui hodie Capitanei Ottinarum, ſeu platearum popularium dicuntur, noviter ampliato, & aucto, impreſſ. *Neap.* 1624. *apud Joannem Domin. Roncaliolum. in* 8. Ex. Domino Antonio Alvarez de Toledo Alvae Duci, & in Regno Proregi dicato.

Di-

Digitized by Google

Diſcurſus etiam circa originem, regimen; & ſtatum magnae domus SS. Annunziatae Civitatis Neap. cum Catalogo omnium Aeconomorum, ſive Gubernatorum, qui fuerunt pro illius regimine nominati, impreſſ. *Neap. apud Aegidium Longum*. 1629. *in* 4. Ex. Domino Ferdinando a Fan de Ribera Alcalanorum Duci ejuſdem Regni Proregi.

Diſcurſus circa diverſas res Naturales excuſ. *Neapoli. apud Aegidium Longum*. 1628. *in* 4. Ill. & Ex. Domino Federico Ceſio Principi Santi Angeli, & Marchioni Montecelli dicatus.

FRANCISCVS DE ISA Capuanus Presbiter ſaecularis edidit, italice, ſub nomine *Octavii de Iſa* ejus Fratris *Comoedias* valde concinnas nempe:

Mal maritata. Neapoli. apud Conſtantinum Vitalem. 1616. *in* 12. *Alvida. Viterbii. apud Diſcipulum*. 1621. *in* 12. *Fortunia. Neap. apud Joannem Domin. Maccaranum*. 1628. *in* 12. *Flaminia. Neap. apud Octavium Beltranum*. 1628. *in* 12. *Geneura. Viterbii. apud Diſcipulum*. 1630. *in* 12.

Scripſit *Hiſtoriam*, ejus patriae, *Capuanae Civitatis*, quae adhuc edita non eſt in lucem.

Obiit autem Romae 1622. & in templo Santae Mariae de Populo ſepultus eſt, hac appoſita inſcriptione:

J. C. R.

SVB ISTO QVEM TERIS LAPIDE FRANCISCI DE ISA PARTITII ET CANONICI CAPVANI OSSA CONDITA SVNT. QVERIS QVIS FVERIT. VIR OMNI LITTERARVM GENERE PRAECLARISSIMVS SED NOBILIS PRAECIPVE CAPVANVS CONDITOR HISTORIAE ET LEPIDISSIMVS COMOEDIARVM SCRIPTOR QVAS OMNI SALE INGENIO LEPORE SIC RESPERSIT VT MERITO ITALICVS PLAVTVS DICI POSSIT LICET OCTAVII FRATRIS NOMINE CIRCVMFERANTVR.

TANTI VIRI MEMORIA VT AETERNVM EXTARET VINCENTIVS FRAPPERIVS BATTAPATRITIVS CAPVANVS AMICO ET CIVI OPTIMO AD MAIORA DE SE MERITO POSTREMVM HOC AMORIS MONVMENTVM ET MOERORIS SOLATIVM MVLTIS CVM LACRIMIS POSVIT.

VIXIT. ANN. L. DECESSIT M.D.C.XXII.

FRANCISCVS LANARIVS de Aragonia Neapolitanus, Princeps Carpiniani edidit Hiſpanica lingua librum, quem inſcripſit, *Eſpeio del Duque de Alcalà con l'exemplar de la coſtante pacientia Chriſtiana, y Politica*, ad Ill. & Ex. Dominum Ferdinandum a Fan de Riberia, & Enriquez Alcala Ducem impreſſ. *Neap*. 1630. *apud Lazarum Scorigium. in* 4.

FRANCISCVS LIPARVLVS Neapolitanus III. Doctor Prothonotarius primum Apoſtolicus, & unus ex Philippi II. Hiſpaniarum Regis Cappellanis; deinde Caprearum Epiſcopus a Gregorio XIII. anno 1584. creatus: & a Sixto V. Spoletani Ducatus Rector conſtitutus, aliis quoque muneribus pro Romana Eccleſia functus eſt. Nardi Liparuli patrui ſui, de quo inferius ſuo loco dicemus, exemplo excitus, edidit refertiſſimas *Explicationes, ac Commentaria ad Summam Odofredi Bononienſis in uſus Feudorum*, quae una cum textu ejus Summae excuſa ſunt *Compluti. apud Quirinum Gerardum. anno*. 1584. *in* 4. Philippo eidem Hiſpaniarum Regi primarie dicata; ſecundarie vero Domino Antonio Perenoto de Granvela S.R.E. Cardinali, & ſupremo Senatui Regiae, & Catholicae Majeſtatis Praefecto.

Obiit autem Neapoli die 13. Decembris, 1608. & ſepultus eſt in templo Divae Mariae Annuntiatae in familiae Sacello.

FRANCISCVS LONGVS a Coriliano Calaber, Ordinis Min. Sancti Franciſci Capuccinorum, Theologus, & concionator illu-

illuſtris, & Romae olim Sacrae Theologiae apud ſuos praelector, multa edidit nempe:

Tractatum de Caſibus reſervatis juxta regulam Decreti a felicis recordationis Sanctiſſimi Domini Papae Clementis VIII. *Regularibus praeſcriptam*; omnibus non tantum Regularibus Superioribus, Confeſſariis, ac Poenitentibus neceſſarium; verum & quibuslibet aliis Eccleſiaſticis perſonis apprime utilem: excuſum *Mediolani. apud Joannem Baptiſtam Bibell. anno.* 1620. *in* 8. Reverendo Patri Fr. Joanni Baptiſtae Spadio Sacrae Theologicae Lectori, ac Vicario Generali Sanctae Inquiſitionis Mediolani dicatum. At deinde recuſus eſt, & in tertia editione adeo multis in locis auctus, & locupletatus; maxime cum *Explicatione Bullae in Coena Domini* a S. D. N. Papa Gregorio XV. anno 1621. publicatae, ut novum opus, & novus tractatus jure vocari poſſit, qui excuſus eſt *Lugduni. ſumptibus Ludovici Proſt, haeredis Roville. anno.* 1623. *in* 8.

Sancti Bonaventurae S. R. E. *Cardinalis, ac Doctoris Summam Theologicam, ad inſtar Summae divi Thomae Aquinatis*, ex omnibus ejus ſcriptis collegit, ac variis annotationibus illuſtravit; in qua quidem non ſolum ea, quae ſparſim docet Seraphicus doctor in ſuum ordinem redacta, & cum Angelici Doctoris Summa conformata ſunt; verum, & omnia dubia, & quaeſtiones Theologicae praecipue breviter dilucidantur. At primus tomus primae partis ipſius excuſus eſt *Romae. in typographia R. Camerae Apoſtolicae. anno.* 1622. *in fol.* quem Ill. Principi Aleſſandro Peretto Cardinali Montalto Epiſcopo Albanenſi S. R. E. Vicecancellario, ac Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum Protectori nuncupavit.

Summam Conciliorum omnium, quae a Santo Petro uſque ad Gregorium XV. *Papam celebrata ſunt, juxta Chronologiam Annalium Ill. Cardinalis Baronii praecipue, & aliorum illuſtrium virorum Eccleſiaſticae hiſtoriae monumenta. Adjunctis in loca praecipua, & difficilima quamplurimis annotationibus*; impreſſa *Antuerpiae. in Officina Plantiniana. apud Balthaſarem Moretum, & Viduam Joannis Moreti, & Joannem Meurſium.* 1623. *in fol.* Sanctiſſimo Domino Gregorio XV. Pontif. Max. dicatam.

De Conciliis generalibus approbatis, ac reprobatis breve Compendium, cui etiam acceſſit *Bullae in Coena Domini brevis explicatio*, excuſum *Romae. apud Joannem Paulum Geleum.* 1624. *in* 12. Ill. Domino Franciſco Barberino S. R. E. Card. dicatam.

Breviarium Chronologicum Pontificum, & Conciliorum omnium, quae a Sancto Petro ad haec uſque noſtra tempora, celebrata ſunt, in quo annuatim Pontificum vitae, eorumque conſtitutiones, & bullae, conciliorumque ipſorum, tum generalium, tum provincialium omnium acta; Hereticorum quoque, & eorum perverſa dogmata, damnationes, confutationeſque, ſchiſmata, perſecutiones, eorumque extinctiones; Et denique quaecumque inſignia in ipſa Dei Eccl. hucuſque acciderunt, breviter ſed clare enarrantur: omnia ex probatiſſimis Scriptorum monumentis deprompta. impreſſ. *Lugduni. anno.* 1623. *apud Ludovicum Proſt, haeredem Roville. in fol.*

FRANCISCUS MARIA PRATUS Licienſis J. C. ac Neapoli Cauſarum Patronus extitit in ſupremi Regni Foris. Edidit *Semicenturiam Diſceptationum Forenſium, cum Deciſionibus eorumdem Supremorum Regni Neapolis Tribunalium*, excuſam *Neap. anno.* 1645. *apud Secundinum Roncaliolum. in fol.* Domino Antonio Franciſco Muſceptulae J. C. ac Regio Conſiliario dicatam.

Edidit quoque tomum II. *Diſceptationum Forenſium, cum Deciſionibus Supremorum Regni Neapolitani Tribunalium*, excuſum *Neapoli.* 1648. *apud Camillum Cavallum. in fol.* dicatum Ex. Domino Indicto Velez de Guevara, & Taſſis Comiti Ognata, & Villamedianae, domino domus de Guevara

vara Orben, & Villaran, & Salſinillas Zaldnendo, & Valvende Commendatario de Albanilla, Curſori Gerili, Sacrae Catholicae Majeſtatis, ejuſdemque apud Sanctiſſimum Dominum Oratori, Neapolitani Regni locum tenentis Proregi, & Capitanei Generalis.

Additiones etiam ad Joannis Bernardini Muſcatelli Practicam Legalem Civilem, & Criminalem, *aliaque* ejuſdem *Jo. Bernardini Opuſcula*, quae excuſa ſunt ſimul cum ipſius Muſcatelli Operibus, *Neapoli. apud Camillum Cavallum*. 1646. *in fol.*

FRANCISCUS MARTELLOTTUS Martinenſis, ex oppido nempe Martinae in Hydruntina provincia, Clericus regularis minor, Theologus fuit. Edidit *Inſtitutiones linguae Arabicae tribus libris diſtributas*, quae excuſae ſunt *Romae. apud Stephanum Paulinum*. 1620.

FRANCISCUS MERLINUS PIGNATELLUS Neapolitanus, J. C. Clariſſimus per omnes honores, ac dignitatum gradus, ad ſummum evectus eſt. Prima enim ab adoleſcentia Auditor provinciae Principatus Citerioris, inde Judex Magnae Curiae in Civilibus, dein in Criminalibus, ac regii Tribunalis Campaniae contra exules, & graſſatores generalis Praefectus adlectus eſt. Deinde in Sacro Juſtitiae ejuſdem Regni Conſilio Sanctae Clarae Regius Conſiliarius; poſtmodum Sacrae Militiae Divi Jacobi Eques; ac Regiae Camerae Summariae Praeſes, & aliquando Regni a Secretis adſcitus eſt. Tandem ſupremi Senatus Italiae Regens apud Catholicam Majeſtatem Philippi IV. Hiſpaniarum Regis adlectus fuit.

Edidit *Controverſiarum Forenſium juris communis, & Regni Neapolitani, cum definitionibus ſupremorum Tribunalium, Centuriam primam*, quae excuſa eſt *Neapoli. anno.* 1674. *apud Aegidium Longum. in fol.* Ill. & Ex. Domino Emanueli de Fonzeca, & Zunica Comiti Montis regii, & Fontium, Proregi Neapolitano dicata.

Alteram vero Centuriam confecit, quae prodiit *Neapoli. anno.* 1645. *ex Officina Honufrii Savii. in fol.* Ill. & Ex. Domino Joanni Alphonſo Henriquez de Cabrera Magno Caſtellae admirato, Duci Medinae de Rioſecco, in Regno Neapolitano Proregi dicata. Sunt autem Centuriae hae valde doctae, & eruditae.

FRANCISCUS MEROLLA Neapolitanus Congregationis Oratorii Neapolitani, Praeſbyter, & in ea Sacrae Theologiae profeſſor. Scripſit *Diſputationes in univerſam Theologiam Moralem*, quas tribus tomis diſtinxit; quorum primus excuſus eſt *Neapoli. anno.* 1631. *apud Lazarum Scorigium. in fol.* Sanctiſſimo Domino Urbano VIII. Summo Pontifici dicatus. Secundus autem ibidem impreſſus eſt *anno.* 1635. *apud eundem*, eadem forma, ad Em. Dominum Cardinalem Franciſcum Boncompagnum Archiepiſcopum Neapolitanum. Tertius vero liber poſthumus excuſus eſt *Neapoli*. 1640. *apud Jacobum Gaffarum. in fol.* Em. Domino Card. Hieronymo Columnae Archiepiſcopo Bononienſi a Patribus Congregationis Oratorii Neapolitani dicatus.

Obiit autem Neapoli in Oratorio Neapolitano die . . .

FRANCISCUS MORELLUS Conturſinus Lucanus, Praesbyter ſaecularis, ac Rhetor, qui inſtituendae juventuti praeerat, edidit *Grammaticae Rudimenta*, & *regulas* ad Marcum Antonium Villanovam ingenioſiſſimum, atque optimum puerum, quae recuſa eſt, *Neapoli. apud Mathiam Cancrum. anno.* 1575. *in* 8. quo tempore is vixit.

Edidit quoque *de Sereniſſimi ac Invictiſſimi Principis Joannis Auſtrii adventu in urbem Parthenopem, & Victoria in Turcarum Claſſem*, excuſ. *Neap.* 1575. *apud Horatium* Sal-

Digitized by Google

Salvianum . *in* 8. eidem Joanni Auſtrio dicato.

FRANC. MUTUS Conſentinus edidit *Diſceptationum libros v. contra calumnias Theodori Angelutii in Maximum Philoſophum Franciſcum Patricium, in quibus fere univerſa Ariſtotilis philoſophia in examen adducitur*, excuſ. *Ferrariae*. *anno*. 1589. *in* 4. ut ex Indice librorum Francofurti.

FRANCISCUS, E NERITO Ordinis Praedicatorum, qui ob viri preſtantiam omiſſo nomine vocabatur *il Nardò*, ſua aetate philoſophus, ac theologus fuit celeberrimus. Patavii Methaphiſicam publice profeſſus eſt, cujus etſi nulla adhuc opera in lucem edita ſub ejus nomine ſciamus; attamen conſtans fama eſt in ejus patria, & apud totius ejus Provinciae viros eruditos, multa ſcripiſſe, & praeſertim libros aliquot in metaphiſica, qui non habentur. Imo Fratris Antonii Trombetae, Patavini, Ordinis Minorum *Opus in* XII. *librum Metaphiſicorum*, Franciſci hujus noſtri lucubrationes, ac ſcripta fuiſſe conſtanti fama affirmant. Quod nobis adhuc non habetur exploratum, nec non veroſimile videtur. Trombeta enim vir fuit inſignis, & ſuo tempore Scotiſtarum Princeps, & per annos 42. Metaphiſicam in publica Cathedra explanavit.

Obiit anno 1528. cum annum ageret 81., ut Angelus Portinarius *lib.* IX. *de felicitate Patavii*. *Cap*, 10. teſtatur. Scimus tamen Neritonenſem concurrente Trombeta Patavii Metaphiſicam explanaſſe, ut ex Trombetae libro, qui primo editus eſt clare patet; ubi ſic in fine legitur: *Finiunt Quaeſtiones quodlibetales editae, & diſputatae a Rev. Magiſtro Antonio Trombeta Patavino Ordinis Minorum Miniſtro Provinciae S. Antonii in florentiſſimo ſtudio Patavino Metaphiſicam legente, ad concurrentiam olim excellentis Doctoris Magiſtri Franciſci de Neritono Ord. Praed. anno humanae Redemptionis* 1493. *die* 24. *Decembris*. *Venetiis arte, & impenſa Hieronymi de Paganinis Brixienſis, authore ſuperſtite, impreſſae in fol.*

Antonius Galateus in ſuo libro *de Situ Japygiae* in fine, Franciſci hujus Neritini meminit, *quem ejus ſaeculi lumen, & Patavinae Academiae Patrem* appellat.

Leander Albertus *in Deſcriptione Italiae*, inquit ſuis diebus magnum lumen dediſſe Neritonenſi Civitati Franciſcum, dictum *il Nardò*, ab ejus patria, Ord. Praed. philoſophum, & magnum Theologum; ut noſci poteſt ex operibus ab eo relictis, & praeſertim ex Commentariis ſuper Metaphiſicam Ariſtotilis; ac diu Patavii conſedit, ac Venetiis ſtipendio conductus, ut in eo gymnaſio profiteretur, qui ab vita diſceſſit anno 1480.

Antonius Senenſis Luſitanus *in Bibliotheca Fratrum Ordinis Praed.* ait *Fratrem Franciſcum Neritonenſem (Civitas eſt in Provincia Hydruntina, quae eſt conjuncta Apuliae) virum fuiſſe perſpicaci ingenio, & felici memoria donatum, philoſophum inſignem, & theologum celebrem, qui Paduae Profeſſorem egit publicum Metaphiſices, ac ſcripſit quaeſtiones in Metaphiſicam doctiſſimas, multo ingenio elaboratas, & eruditione refertiſſimas, quae ibi etiam his temporibus magno in praetio dicuntur haberi. Fertur ſcripſiſſe alia, que non vidi. Claruit anno* 1490.

Joannes Michaël Pius *in Chronico Ordinis Praedicatorum lib.* II. *cap.* 41. loquens de Studio, & Academia Civitatis Patavii ait, *Magiſter Fr. Franciſcus e Nardò in generali Patavino gymnaſio celeberrimus effulxit; qui ſuis temporibus Monarcha fere ſcientiarum exiſtimatus eſt, & veneratus, quaſi Princeps omnium ſcholarum tum ob ejus ingenii felicitatem; tum ob memoriae tenacitatem, & in omnibus diſciplinis doctrinae profunditatem. Metaphiſicam in eadem Academia publice profeſſus eſt, ſcripſitque librum Quaeſtionum Metaphiſicalium, &, ut ferunt, alia etiam opera conſcripſit. Ab hac luce tandem ſubtractus eſt tantus vir Patavii in Con-*

ventu

Digitized by Google

ventu S. *Auguſtini Ord. Pred. anno* 1489. *& de ejus pecunia , quam in ſcholis promeruerat , atque aliunde juſte conquiſierat , nova ejus Coenobio fabrica, poſt ipſius mortem, coepta eſt .*

De eo etiam Frater Alphonſus Fernandez *de Scriptoribus Praedicatoriae familiae.*

FRANCISCVS DE PETRIS Neapolitanus J. C. vir varia , & omnigena eruditione refertus, carmine , ac ſoluta oratione , latine , ac Heuſce ſcribendi peritus extitit. Scripſit Italice *Chronologicam Hiſtoriam nobiliſſimae familiae Caracciolae Neapolitanae,* ad Dominum Marinum Caracciolum Abellinatum Principem , quae excuſa eſt *Neapoli .* 1605. *apud Joannem Jacobum Carlinum. in* 4.

Edidit quoque *Epigrammaton libros* II. quos Domino Joanni Baptiſta Manſo Ocioſorum Academiae Principi dicavit. impreſſ. *Neap. apud Lazarum Scorigium .* 1621. *in* 4.

Feſtivarum lectionum libros IV. *in quibus inſigniora juris paradoxa , novo , germano rerum ſenſu , novaque perjucundo dicendi genere pertractantur* opus omnigena , & peregrina eruditione excultum , ad Dominum Camillum Caracciolum Abellinatum Principem , Atripaldenſium Ducem , Sanſeverinatum Marchionem , Galtſati , & Torellanorum Comitem , ac magnum Regni Cancellarium excuſ. *Neap. apud Lazarum Scorigium . anno .* 1622. *in* 4.

Edidit etiam Italice *Hiſtoriam Neapolitanae urbis* , eidem Civitati ſuae patriae dicatam , impreſſam *ibidem . apud Joannem Domin. Montanarium.* 1634. *in* 4.

Conſiliorum , ſeu *Reſponſorum legalium librum* SS. Domino Urbano VIII. primario dicatum , dein ſecundario Eminentiſs. Domino Franciſco Maria Brancaccio Cardinali, qui excuſus eſt *Neapoli . apud Franciſcum Savium.* 1637. *in fol.*

Edidit quoque Italice *Problemi Academici , le più famoſe queſtioni propoſte nell' Ill. Academia degli oziosi di Napoli* excuſ. *Neap.* 1642. *apud eundem in* 4.

FRANCISCVS POETVS Fuudanus Philoſophus, ac Poëta, Auguſtini Niphi Sueſſani diſcipulus fuit . Scripſit metrice *Sylvam* ad Auguſtinum ejus Magiſtrum , quae edita, eſt cum *Niphi* ipſius *Commentariis* in *Meteoram* , quae XCIII. verſibus conſtat ; incipit autem :

Rura colis , ſine me, veteris faecunda Sueſſae ;
Niphe,renaſcentis ſophiae ſpes ampla, decuſque.

Scripſit quoque *De naturalium rerum principiis , juxta Ariſtotelis doctrinam librum* , qui num ſit editus ignoramus.

Verum de Franciſco , ejuſque *Sylva* , & libro *De naturalium rerum principiis* ab eo conſcripto audias quid Auguſtinus ipſe in citato loco differat . *Hanc Sylvam miſit ad me olim doctus juvenis Franciſcus Poetus Fundanus , diſcipulus meus dilectiſſimus , peneque interciderat mihi ; quam , quoniam, aliud quid agens, inter libros repperi , viſaque eſt lepida, & bonae indolis , placuit huic operi inſerere, dum libros Meteorologicos abſolverem . Ut interim agnoſcant ſtudioſi quid ab eo ſit ſperandum in hoc opere , quod nunc de rerum naturalium principiis , juxta Ariſtotelis doctrinam molitur .*

Franciſci Poeti Fundani meminit quoque Io: Pontanus *in dialogo* , qui inſcribitur *Aegidius* , in quo interlocutorem etiam hunc inducit. Idem Pontanus *lib.* VI. *de Sermone* ait, *audio dicere , Poëtum Fundanum Muſarum in hortulis adoleſcere.*

Eumdem etiam interlocutorem facit Marius Aequicolus Olivetanus in ſuo *Dialogo de Opportunitate*. Imo idem Marius in *Epiſtola* ad Auguſtinum Niphum , qua eum Dialogum illi nuncupat , vocat *Franciſcum Poetum Fundanum litteratiſſimum juvenem .*

Habetur quoque Caeſaris Ferratii Valliſcurſani latinum carmen *Epicaedium in Franciſci*

Digitized by Google

ciſci Poeti Fundani poëtae clariſſimi morte, typis excuſum poſt multos annos ab ejus morte, quod ſolemniter cani ſolet, aliter *Neniae* dicuntur.

FRANCISCVS RESTA a Talleacotio Clericus Regularis minor edidit librum, cui titulus eſt *Meteoroligia de igneis, aëreis, aquaeiſque corporibus*, qui excuſus eſt *Romae. anno*. 1641. *in* 4. *apud Franciſcum Monetam*. Domino Cardinali Pallottae dicato.

FRANCISCVS SACCVS Rheginus Calaber, edidit latine *Paraeneſim Amoris. Epithalamium in nuptiis D. D. Thaddei Barberini*, & *Annae Columnae*, impreſſ. *Romae*. 1617. *apud Jacobum Maſcardum. in* 4.

Facem pronubam. Epithalamium in eoſdem. excuſ. *ibidem. apud eumdem. in* 4. & *anno*. 1629. *apud impreſſores Camerales. in* 8.

Italice autem, *Saggi di poeſia, diviſi in ſoggetti amoroſi, ſacri, eroici, funerali, e varj*, impreſſ. *Romae. apud Maſcardum. in* 12. 1612.

FRANCISCVS SIXTVS Neapolitanus Carmelitani Ordinis profeſſor, Theologus vere eruditus, ac poëta, ſcripſit docte quidem:

Decades genealogiae Jeſu ex Matthei primo. Item *de Chriſto Rege decades* IV. ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem diſcurſibus lepidis, atque eruditis ſacrae paginae teſtimoniis tum veteris, tum recentioris fulcitas. item *de Chriſto Propheta*, & *Sacerdote* volumen aliud. *De Chriſto via, veritate*, & *vita* aliud. *De Chriſto etiam principio, medio*, & *fine* volumen aliud.

Quadrageſimalem librum, quem inſcripſit *Encyclopedia*, qui quidem libri excuſi ſunt ſimul *Venetiis. anno*. 1564.

Edidit quoque *Genealogiam glorioſiſſimae proſapiae Auſtriadis ab Adamo ad Philippum Hiſpaniarum*, & *Neapolis Regem Catholicum, centum ſuper octo recta ſemita Arborea deducta*, quam heroico carmine latine exaravit, atque ſoluta etiam oratione, ac variis Scholiis conſcripta eſt; quibus addidit *Naupacteam victoriam D. Joannis Auſtriaci adverſus Turcas obtentam*, eodem carmine; prodiit autem *Neapoli. ex Officina Joſeph Cacchii*. 1573. *in* 4. eidem Regi dicata.

Hujus etiam viri inſignis meminit Frater Petrus Lucius Belga Bruxellenſis Carmelita *in Bibliotheca* ejus *Carmelitana*, vocatque *eum virum profecto eruditiſſimum, qui typis traditis Opuſculis, etiam orbi notus exiſtit*.

Obiit autem Neap. in Conventu S. Mariae de Carmelo ejus ordinis annum circiter 1582.

FRANCISCVS STORELLA Alexanenſis Salentini in Hydruntina Provincia in Patavino gymnaſio Philoſophiae ſtudio operam navavit. Adeo profecit, ut philoſophus inſignis factus, artiumque doctor inſignes meruerit Cathedras aſcendere. Etenim in Neapolitana, ac Salernitana Cathedra logicam, ac philoſophiam publice profeſſus eſt. Extant adhuc typis excuſa *centum quinquaginta Concluſiones ex univerſa philoſophia*, quas Patavii in Conventu Divi Antonii publice diſputavit, cum Patavinae Accademiae Rector eſſet, impreſſae *Patavii. apud Jacobum Fabrianum. in* 4. abſque anno. Quibus annexa eſt *Theſei Megha Licienſis* humanarum litterarum profeſſoris *Oratio* habita in Eccleſia Majori Patavina in magna doctiſſimorum virorum corona, cum Franciſcus Maria Storella Alexanenſis Rector Artiſtarum dignitatis ſuae de more ſumeret inſignia anno ſalutis 1548. 7. kal. Septemb. impreſſ. *Patavii. apud Jacobum Fabrianum. in* 4.

Edidit autem Storella nonulla opera, nempe *Explanationem in digreſſione* XI. *Commenti Averrois in magna commentatione Primi poſteriorum, quae publice eumdem librum interpretando, adnotavit*, excuſ. *Neap. apud Fi-*

Cilium Aliſanum. anno. 1553. *in* 4. dicatam Vincentio Nauclerio.

Libellum *de Definitione Logices, quo Logicam eſſe proprie ſcientiam adverſus Hieronymum Balduinum, ejuſque ſequaces defenditur.* Addita etiam eſt ejuſdem auctoris *Epiſtola* ad Dominum Vigilium Riccardum Sanſeverinum, artium & medicinae doctorem, *qua nugae in ſuam Expoſitionem undecimi Commenti conſcriptae deleutur.* excuſ. *Neap. apud Matthiam Cancerem. anno.* 1553. *in* 4. Domino Philippo Ingarſiae Siculo, alteri Galeno, dicata.

Edidit quoque Storella in Neapolitano gymnaſio, Poſteriores Analyticos ordinarie profitens, *Logicalium Capitum decadem* I. ad excellentem Dominum Joannem Bernardinum Longum in eodem gymnaſio philoſophiae profeſſorem, excuſ. *Neap. anno.* 1555. *apud Raymundum Amatum. in* 4.

Item libellum *De inventore Logices* ad Joannem Angelum Romanum, liberalium artium Medicinae, & Theologie Doctorem, qui excuſus eſt *Neap. anno.* 1555. *apud Matthiam Cancrum. in* 4.

Scripſit item, cum in almo Salernitano gymnaſio Poſteriores analyticos, atque Phyſicas auſcultationes publice profiteretur, libellum, quo *ad peripateticas aures, ſingulare, verum ſillogiſmum ingredi, adverſus pſeudologicos hujus temporis, luce clarius oſtenditur,* ad excellentem Martinum Martiranum a Secretis, atque Conſiliis Sacrae Caeſareae Majeſtatis, excuſ. *Neap. apud Matthiam Cancerum, & Thomam Riccionum ſocios. anno.* 1557. *in* 4.

Edidit etiam *Tractatulum quinquaginta contradictionum, quae in graviſſimis viris animadverſae Patavini gymnaſii, caeterarumque Academiarum Profeſſoribus diſſolvenda proponuntur.* Quibus addidit libellum *De utilitate logices, quinque primis ordinariis lectionibus in Neapolitano gymnaſio explicatis* anno 1558. ad Ill. Dominum Annibalem de Capua excuſ. *Neap. apud Raymundum Amatum. anno.* 1561. *in* 4.

Caeterum ipſe *Quinquaginta contradictionibus* hanc praefixit excitatoriam epiſtolam, *Franciſcus Storella Patavini gymnaſii, caeterarumque Academiarum Profeſſoribus ſalutem.*

,, Cum in aliquot gravium virorum con-
,, tradictiones incidiſſem, eaque de more
,, pro viribus diſſolvere tentaſſem; in eis
,, diſſolvendis multa quidem, quae diſpu-
,, tationis forum ſubminiſtrabat, adinveni.
,, Pauca tamen (ut veritatem ingenue fa-
,, tear, ſicuti philoſophum decet) quae in
,, conſcientiae foro ſatisfacerent. Qua de
,, re, onus longe meis viribus impar agno-
,, ſcens, eas vobis, omnium qui bonarum ar-
,, tium uberrimi fontes eſtis, diſſolvendas pro-
,, ponere ſum auſus. Veſtrae ſiquidem huma-
,, nitati confiſus, ſpero quod ab harum con-
,, tradictionum nexibus, Storellam veſtri
,, nominis obſervantiſſimum liberare (quod
,, vobis facillimum erit) haud dedignabimi-
,, ni. Valete. Alexani nonis Januarii 1561.

Stimulum Philoſophorum, in quo aliquot philophorum recenſet errores, arguitque, ad Dominum Annibalem Moles Regiae Camerae Praeſidem.

Ejuſdem *primam Lectionem,* dum regio ſtipendio conductus in gymnaſio Neapolitano librum de Generatione aggreſſus eſt die 28. Octobris 1574.

Adjecit praeterea *Aſclepii libro ex voce Ammonii, Hermeae vetuſtiſſima Scholia, ſive praefactionem in* VII. *priores Metaphyſicorum Ariſtotelis libros* e Graeco in latinum verſa per Marcellum Pepium Sanctipetrinatem Medicum, & Philoſophum clariſſimum, *cum Annotationibus* ejuſdem *Storellae.*

Dantis Aligherii Florentini poëtae, atque philoſophi celeberrimi *Profundiſſimam Quaeſtionem de figura elementorum terrae, & aquae, quam is determinavit in Civitate Veronae. anno* 1320. *numquam antea editam,* & illuſtri viro Tarquinio Molignano idem Storella dicavit.

Marci Antonii Zimarae *Quaeſtionem de ſpeciebus intelligibilibus.* Hieronymi Girelli Franciſcani *Diſceptationem de ſpeciebus intelligibilibus* adverſus Zimaram, quam Storella excellentiſs. Fabio de Curtis nuncupavit.

pavit. Ambracii de Alis Gravinatis Apuli *Speculationem de ſcientia, quam Deus habet aliorum a ſe*. Hos omnes libros Storella ſic congeſtos, ſimul edidit *Neapoli. anno.* 1575. *apud Horatium Salvianum. in fol.* & illuſtriſs. Ferdinando Sanſeverino dicavit.

FRANCISCVS SVVARVS Neapolitanus Philoſophus, ac Medicus edidit magni voluminis poëma Italicum, quod *Chriſtiadem* nuncupavit, *qua Chriſti nativitatem, vitam, paſſionem, uſque ad aſcenſionem ad Patrem, juxta quatuor Evangeliſtarum hiſtoriam complectitur*, excuſa eſt autem *Neapoli. apud Matthiam Cancrum. anno.* 1593. *in fol.* & priorem partem appellavit; quam ſecunda erat ſubſecutura.

FRANCISCVS TVNTVLVS a Galatia, ſive Cajacia J. C. in aliquot Regni Civitatibus Regius Judex, & Aſſeſſor juri dicundo praefuit; dein in Regia Provinciali Audientia Aprutii Citerioris, Theate reſidenti, Fiſci patronus extitit.

Edidit *Judicia, & vota, quae noviſſime pro majori parte in foro Aquilano prodita ſunt*, excuſa *Aquilae. anno.* 1567. *apud Joſephum Cacchium. in* 8. Antonio Patigno Regiam Cancellariam Regenti dicata.

Meminit ipſius Octavianus Melchior in ſua *Deſcriptione Civitatis Cajaciae lib.* III. *fol.* 98.

FRANCISCVS TVPPVS Neapolitanus J. C. legali philoſophia, ac bonis litteris excultus vixit ſub Ferdinando I. Aragoneo Rege. Multa edidit tum ſua, tum aliena. Florente enim tunc in Neapolitana Urbe impreſſoria arte, quae paulo ante e Germania huc allata fuerat a Sixto Rieſſenger Argentinenſi Germano (qui Joannis Gutemberg Moguntini ejus artis inventoris fuiſſe dicitur diſcipulus) aliquos libros, eoſque optimos, ac perneceſſarios ad publicam Studioſorum commoditatem excudi curavit. Collatis authographis, ac vetuſtis exemplaribus; ipſeque eorum correctioni praefuit: & de ſuo annotationes, animadverſiones, praefationes, indices, & liminares epiſtolas adjecit.

Edidit enim magno Juriſconſultorum commodo, ac concivium ſuorum, *Andreae de Iſernia Commentarium ſuper Feudis anno.* 1477. *Lucae de Penna ſuper* III. *libris Codicis. Textum Conſtitutionum Regni utriuſque Siciliae, cum gloſſis Andreae de Iſernia. Capitula Regni cum gloſſis, & additionibus Neapodani Sebaſtiani, Lucae de Penna, & Bartholomaei de Capua. Ritus Magnae Curiae*, ac *Pragmmaticas uſque ad ejus tempora editas* evulgavit, ibidem excuſa *anno.* 1506. dein recuſa *Venetiis. impenſis, & ope Franciſci Chochi, civis Neapolitani. in fol.*

Edidit quoque in lucem is primus *Conſuetudines Neapolitanae Urbis*, quae adhuc manuſcriptae circumferebantur, Caroli II. Regis juſſu jamdiu ab anno 1306. in ſcriptis redactae, quae ſimul *cum Gloſſis, ſeu apparatu, vel Commentariis Neapodani Sebaſtiani Patritii Neapolitani antiqui I. C.* excuſae ſunt *Neapoli. anno.* 1482. *apud* ..... *in fol.* quae omnia Tuppus clariſſimo Juriſconſulto Domino Nicolao Franciſco Cicino equiti Neapolitano, cujus expenſis editae fuit, dicavit.

Bartoli quoque de *Saxoferrato* J. C. *Celeberr. Opera* primus omnium ex univerſo orbe in lucem edi curavit, inſtante, ac agente Joanne Baptiſta de Bentivoglis de Saxoferrato Regis Ferdinandi I. a Conſiliis, in S. Clarae Senatu, ipſius Bartoli, ex filia nepote.

Aeſopi quoque *Fabulas* Tuppus hic e latina in Italicam maternam linguam vertit, de ſuo quoque adjiciens *Tropologiam, allegoriam, anagogen, atque exempla*, ſeu exemplis confirmationem ex vetuſtis, ac recentioribus temporibus deſumpta, & ex rebus potiſſimum, quae in Regno ejus aetate contigerunt; quae omnia ſimul excuſa ſunt *Nea-*

Digitized by Google

Neapoli. *anno*. 1485. *apud eumdem Sixtum Rieſſenger*. in fol. Illuſtriſſimo Domino Honorato Gajetano Aragoneo Magno Regni Logothetae, ac Prothonotario dicata.

FRANCISCVS VENENVS Licienſis, ſive Lupienſis in Salentinis e Societate Jeſu, Graecae linguae peritiſſimus edidit.

Orationem a ſe habitam Lupiis anno 1611. *in funere Sereniſſimae Margaritae Auſtriacae Reginae Hiſpaniarum*, quae impreſſa eſt *Graecis Styrorum typis*. *Widmanſtadii*. 1612.

Orationem a ſe dictam in *Inſtauratione ſtudiorum*. *Epiſtolas Graecas*, & *latinas*, quae extant inter *Epiſtolas illuſtrium virorum*. *Carolum*, ſive *Dialogum* de *virtute Theologica*, editum a Carolo della Monica. *Neapoli*. *typis Franciſci Savii*. 1623. *in* 12.

FRANCISCVS VIVIVS Aquilanus, I. C. qui plures in Regno regios geſſit Magiſtratus; & praeſertim Auditor fuit in Provinciis Capitanatae, & Comitatus Moliſii, ac etiam terrae Bari. Scripſit *Sylvam communium opinionum Doctorum utriuſque Cenſurae*, *libris* III. diſtinctam, quae prodiit *Aquilae*. 1589. *apud* . . . . D. Lopes Guſman Philippi Hiſpaniarum Regis a Conſiliis generali in Regno Neapolitano Viſitatori dicavit. Dein *Lugduni*. recuſ. *anno*. 1582. demum recuſam *Francofurti*. 1611. *apud Wolfangum Richterum*. *in fol.* hoc titulo adjecto.

Sylvae communium opinionum utriuſque Cenſurae libri III., *nunc primum in Germania ſeparatim editi*, *ab Auctore non ſolum reviſi*, *ſed maxima inſuper acceſſione locupletati*, ita ut haec editio prioribus plus duplo fere auctior ſit.

Edidit quoque *Deciſiones Regni Neapolitani in* 2. *volumina* ſectas, in quibus diverſi caſus tam Civiles, quam Criminales diſcuſſi, atque deciſi in iis regiis Audientiis continentur, excuſ. *Venetiis*. *anno*. 1592. *apud Damianum Zenarium*. *in fol.* quas Illuſtriſſimo Domino Petro Deze S. R. E. Cardinali nuncupavit. Item *apud eumdem* recuſae *anno*. 1602. *in fol.* dein tertius, & quartus liber Deciſionum recuſi *Venetiis*. 1610. *apud Seſſas fratres*. *in fol.*

Eas autem Vivii deciſiones parvi facit Dominus Vincentius de Franchis *deciſ*. 441. *n*. 7. & 449. in fine.

FVLVIVS CONSTANTINVS Neapolitanus, I. C. Marchio Corleti, Judex prius Magnae Curiae in Civilibus, deinde regiis a Conſiliis in Capuanae praetorio, demum apud Philippum II. & III. Hiſpaniae, & Neapolis Reges in ſupremo Italiae Senatu a Conſiliis, & in hoc Regno Philippi etiam IV. Regiis, ſupremi Ordinis primus Regens, & a latere Conſiliarius.

Eum noſtra aetas non parum admirata eſt ob doctrinam, juſtitiam, ſolertiam ſummam, lenitatem, modeſtiam, ac patientiam in obeundis magiſtratibus, & populis jus reddendo; ita ut fere non eſſet ponere os in caelo dicere, quod de Bartholomaeo de Capua ſuperius ſuo dictum eſt; in officiis nempe, que is geſſit, ſucceſſores reliquiſſe, ſed non in virtutibus.

Scripſit in aliquot trium poſteriorum librorum *Codicis titulos Commentaria*, impreſſ. *Neap. apud Aegidium Longum*. *anno*. 1626. *in fol.* eidem Philippo VI. Regi dicata.

Scripſit etiam cum eſſet regiae Juriſdictionis Protector *Supplicationem ad Paulum* V. *Pontif. Max. pro tollenda*, *vel moderanda Conſtitutione Gregorii Papae* XIII. *ſuper immunitate Eccleſiaſtica*, excuſam *Neapoli*. *eodem anno*. *ibidem*. *in fol.*

Obiit autem Neapoli anno 1620. & in Santi Severini templo in Majorum Sacello ſepultus eſt; cui hanc ſepulcralem inſcriptionem Jo. Baptiſta Urſus in ſuo inſcriptionum libro poſuit:

FVLVIVS CONSTANTINVS MARCHIO CAROLITI IN SVPREMO A LATERE SENATV RE-

Digitized by Google

REGENS PER OMNES GRADVS AD CVLMEN HONORIS NVLLA AETATIS MVLTA VIRTVTIS PRAEROGATIVA EVECTVS PRVDENTIA RERVM SCIENTIA IVRIS ARTIBVS IMPERII PRO DIGNITATE AMPLISSIMI ORDINIS MAIESTATEM LOCI EIVS IMPLEVIT VICISSITVDINIBVS AVLAE IMMOTVS IN CONSTANTIS FORTVNAE EXEMPLVM CONSTANS VIXIT AN. . . . IN MAGISTRATV. OBIIT AN. SALV. HVM. MDCXX.

FRANCISCVS ZAZZERA Neapolitanus IL. Doctor, bonis litteris excultus, & poëſi tum latina, tum Italica peritus. Multa ſcripſit carmine, ac ſoluta oratione, e quibus haec dumtaxat prodierunt in lucem.

Diſcurſus Italice ſoluta oratione, ſub ficto nomine doctoris *Lactantii Blanchi adverſus* librum, qui inſcribitur, *Theatrum Nobilitatis Italicae, equitis Flaminii Rubei*, & Principi Academiae Diſtillatorum dicavit, excuſus eſt autem in Civitate *Theatina. anno . . . . in* 4.

Italico carmine edidit librum, quem inſcripſit *Invito de' paſtori* ad D. Joannem Montoyam de Cardona, ſupremi regii Collateralis Conſilii in Neapolitano Regno Conſiliarium. excuſ. *Neapoli.* 1614. *apud Joannem Jacobum Carlinum. in* 8.

Officium pro peccatis a ſe ampliatum, & correctum, edidit in lucem, quod prodiit *Viterbii. anno.* 1614. *ex typographia Hieronymi Diſcipuli. in* 8. Ill. Domino Hectori Pignatello Montis Leonis Duci, & Congregationis nobilium Saecularium Societatis Jeſu praefectum.

De nobilitate Italica, ſive *de Familiis Italiae*, primam partem italice edidit ad Philippum III. Hiſpaniarum, & utriuſque Siciliae Regem impreſſ. *Neap.* 1615. *apud Joannem Baptiſtam Garganum, & Hieronymum Nuccium. in fol.* ſecundam vero partem . . . Ad Beatiſſimam Virginem *Cantiones Italice, excuſ. Romae, apud Jacobum Maſcardum.* 1616. *in* 8. eidem B. Virgini dicatas.

FVLGENTIVS GEMMA Licienſis, Salentinus Ordinis Clericorum regularium, qui Theatini vocantur, *Orationem* Italice habuit *in funeribus Sereniſſimae Dominae Margaritae Gonzaghae Eſtenſis, Ferrariae Ducis*, cujus is fuerat a Confeſſionibus; quam dixit in Ducali templo Sanctae Barbarae, Mantuanae urbis, die 23. Januarii 1618. coram Sereniſſimo Ferdinando Gonzaga ejus Nepote, & Catharina Medicea Mantuae Ducibus, quorum etiam erat Confeſſarius, excuſam *Mantuae. eodem anno. apud Oſannas Fratres. in* 4.

At ab humanis ſublata eadem Catharina Medicea, edidit ejus *Effigiem*, quam tribus libris Italice expreſſit, in quibus de praeclaris ejus virtutibus agit, & ſic inſcripſit, *Ritratto di Madama Sereniſſima Caterina, Principeſſa di Toſcana, e Ducheſſa di Mantova, formato con lineamenti dell'Eroiche di lei virtù*, impreſſam Senis. *apud Herculem Gorum.* 1630. *in* 4. Eminentiſſimo Cardinali Mediceo dicatam.

Ab eodem Ferdinando Duce effectus fuit Abbas Sanctae Barbarae, Urbano VIII. Pontifice Max. aſſentiente; quae Pontificalis dignitas eſt; dein relicta ea dignitate ad Religionem reverſus, in ea obiit. Licii. die primo Octobris 1625.

GABRIEL ALTILIVS Neapolitanus, ex Lucania oriundus, Policaſtrenſis Epiſcopus anno 1493. creatus. Vir fuit eruditiſſimus, boniſque diſciplinis excultus, ac poëta inſignis, Pontani operibus celeberrimus; & praeſertim in dialogo, qui *Actius* inſcribitur, in quo Altilium interlocutorem inducit, & de re litteraria erudite, ac ſcite diſſerentem. Cum eo quoque Pontanus puer in litteris educatus eſt, ut idem Pontanus in Dialogo, qui *Aegidius* nuncupatur, affir-

Digitized by Google

affirmat, in quo etiam Altilium valde commendat. Ibi enim dum Franciſcum Puccium ad eundem Pontanum loquentem refert, ſic ait: *Scis enim, & ego ipſe ſatis ſcio, una te nobiſcum nec aut lacrymas tenere potuiſſe, aut gemitum, nunciato obitu Gabrielis Altilii Policaſtrenſis Antiſtitis, hominis tecum a puero educati in litteris, verſatique in diſciplinis, ſummo cum labore, & ſtudio. Scis, inquam, non multis ante diebus eum obiiſſe, & clarum noſtris in litteris, & Chriſtianis diſciplinis exultiſſime inſtitutum &c.* Dein ſequitur de ejus animae apparitione Monacho cuidam Caſſinenſi. Inſcripſit quoque Pontanus Altilio librum *de Magnificentia*. Peragravit cum eo magnam Italiae partem, ut idem ait in libro *de magnificentia, in princ.*

Elucubravit Altilius nonnulla, e quibus extat tantummodo celebre illud, ac nunquam ſatis laudatum *Epithalamium*, ſive Nuptiale Carmen *in Nuptiis Iſabellae Aragoniae Ferdinandi* I. *Neapolitanorum Regis Filiae, Mediolani Duci nuptui traditae*. Quod conſpicuam habet eruditionem, atque facundiam; quodque inter Sannazarii latina poëmata in quibuſdam editionibus habetur, & in primo volumine *Delitiarum Ital. Poëtarum* Ranutii Gheri.

In Bibliotheca Cardinalis Seripandi in Coenobio Sancti Joannis ad Carbonariam hujus Civitatis, habetur ejuſdem Altilii *Epithalamium MStum*, quod idem Altilius Romam ad Alexandrum de Alexandro, illud enixe petenti, tranſmiſit, addita candida, ac perelegantí latina epiſtola.

Gabrielis Altilii, & ejus Ephithalamii meminit Antonius Poſſevinus *in* II. *vol. Biblioth. Selectae. lib.* XVII. *cap.* 29.

Lylius Gregorius Gyraldus *in hiſtor. poët. in dial.* I. *de poëtis noſtri temporis* ait: *Ex eadem Academia* (ſcilicet Pontani) *fuit Gabriel Altilius, cujus licet pauca legerim, in nuptiali tamen Carmine in Iſabellae Aragoneae Regis filiae miram habet, & ſingularem tum eruditionem, tum facundiam; affectatior tamen in quibuſdam videtur.*

Julius Caeſar Scaliger *lib.* VI. ſuae *poëtices cap.* 4. de Altilio ſic ait: *Gabriel Altilius Epithalamium cecinit longe optimum, excellentiſſimum vero futurum, ſi ſibi ipſe temperaſſet; dum enim vult omnia dicere, afficit auditorem aliquando faſtidio tanto, quanto in aliis voluptate. Eſt enim nimius. Quod vitium illi genti eſt peculiare. Eſt enim totis illis Italiae tractibus perpetua loquendi fames.*

Sannazarius itidem in ſua *Elegia in Maledicos detractores lib.* I. Altilium celebrat & in *Epigrammate Altilii Vatis*, Altilii quoque hujus noſtri elogium facit. Paulus Jovius in ſuis *Elogiis illuſt. litt. virorum*, aitque: *eum praeceptorem fuiſſe Ferdinandi* I. *Neapolitanorum Regis*.

Alexander de Alexandro *Genialium dierum lib. v. cap.* I. appellat Gabrielem Altilium Epiſcopum *virum modeſtiſſimum, ac doctiſſimum, morum honeſtate, & omni diſciplina conſpicuum*, & Neapolitanum fuiſſe perhibet.

Idem Pontanus *Tumolorum lib.* I. Tumulum ſcribit Altilio, quod pro titulo urnae incideretur marmoreae hunc in modum:

Gabrielis Altilii Epiſcopi Policaſtrenſis, ac Poëtae eruditiſſimi Tumulus.

En tibi dant tumulos Muſae, meritumq; ſepulcr;
En tibi dat titulos quae tibi culta Claris.
Altili, o venerande iaces hic? hac iaces urna
Pontificale decus? Pontificalis honos?
Ergo agite, o Nymphae Sebethides; ergo age virgo
Parthenope. ad tumulum ſpargite veris opes;
Sparge tuos flores, florum foecunda Patulci,
Et tu ſparge tuas Antiniana roſas.
Altilio requiem dico, o Cari. dic Age Clio.
Luceat Altilio lux ſine fine meo.
Quiſquis adeſt pia verba ſonet, madeatq; ſepul.
De lacrymis; madeat, Pieri, rore tuo.

GAbriel Barletta Apulus, Ordinis Praedicatorum Theologus, ac Concionator utilis, fructuoſus, & eloquens; qui floruit anno 1470. Scripſit latine *Sermonum tomos* II. quorum prior *Quadrageſimale*. alter vero *De tempore*, nempe *adventus*, *Aſcenſionis*, *Pentecoſtes*, *& aliquot Sanctorum feſtos* continet, qui cum ſaepius fuiſſent variis in locis excuſi, *Venetiis* tandem editi ſunt *anno*. 1571. *in* 8. & 1585.

Frater Seraphinus Razzius *in hiſtoria virorum illuſtr. Ord. S. Dominici* ait; *Quadrageſimale illud Barlettae optimum eſſe, doctum, copioſum, & utilem licet nimis facetum, quod ea aetate ferebatur*. De eo etiam Frater Alphonſus Fernandez *de Scriptor. Praedicat. Familiae*. At Frater Leander Albertus *in Deſcriptione Italiae* locutus de Barulo, & de Gabriele, dicit *Conciones has non eſſe hujus Gabrielis*, quem is valde commendat, ſed alterius indocti hominis.

GAbriel Barrius Francicanus Calaber (eſt autem Francica Pagus quidam Mileti Civitatis), ſcripſit latine perpolito, ac culto ſermone *De antiquitate*, & *ſitu Calabriae lib.* v. ad Bernardinum Sanſeverinum Biſinianenſium Principem, impreſſos *Romae*. *apud Joſephum de Angelis*. *anno*. 1571. *in* 8. & *Francofurti* cum libro, qui *Italia illuſtrata* nuncupatur, *anno*. 1600. *in Officina Cambieriana*. *in fol.*

Commendatur auctor hic a fratre Angelo Roccha Camerte in libro de *Bibliotheca* Apoſtolica *Vaticana*, *in indice auctorum*; quod nempe Romanae linguae puritate ornatus ſcripſerit *de* rebus Calabris.

At Paulus Aemilius Sanctorius Caſertanus in ſua *hiſtoria Carbonenſis Monaſterii*, eum librum non a Barrio, ſed a Cardinali Syrleto Calabro fuiſſe conſcriptum teſtatur, dum ſic ait: *Gabriel Barrius Francicanus in ſua Calabria, ſi is libri auctor fuerit, licet nomine ejus in lucem prodijerit; nam multi, & fortaſſe non inſulſe, Gulielmi Cardinalis Sirleti praeſtantis doctrinae, & exacta ſtudiorum diſciplina celebris, ingenio adſcribunt.*

Scripſit quoque Barrius *Pro lingua latina libros* III. ad S. P. Q. R. *De aeternitate Urbis*. *lib.* I. ad S. P. Q. R. *De laudibus Italiae*. *lib.* I. ad Carolum Mutium patritium Romanum. Dicati ſunt autem omnes libri ii ſimul Antonio Pernocto Epiſcopo ab auctore, & excuſi *Romae*. *apud D. Hieronymum de Cartulariis*. *anno*. 1554. *in* 8. & recuſi *ibidem*. 1571. *in Aedibus Populi Romani*. *in* 8.

Scripſit etiam profuſe, atque accurate *Vitam B. Joachimi Calabri Abbatis Florenſis*, quae ejuſdem Joachimi libro *de Vaticiniis Romanorum Pontificum* praefixa eſt, ac in lucem edita. Claruit autem Barrius anno 1560.

GAleatius Florimontius Sueſſanus, Aquini primum Epiſcopus, dein Sueſſanus, Auguſtini Niphi diſcipulus, & Theologus illuſtris. Latine, & etruſce dicendi ac ſcribendi arte peritus in Romana Curia floruit, & vitae integritate aeque, ac litterarum eruditione ſummo loco habitus eſt. Fuit Joannis Caſae familiaris, & praedilectus amicus, cui idem Joannes celebrem illum *de moribus libellum* inſcripſit, ac ex ejus nomine *Galateum* nuncupavit.

Multa ſcripſiſſe fertur, e quibus nil vidimus, praeter librum, qui continet *Colloquia habita ab* eodem *Auguſtino Nipho cum Ferdinando Sanſeverino Salernitano Principe*, *ſuper Ethica Ariſtotelis*, Italice ſcripta; in quo Auguſtinum cum eodem Principe loquentem, Principem nempe interrogantem, Auguſtinum vero reſpondentem inducit. At liber is primo prodiit in lucem inſcio, & abſente auctore, duos dumtaxat libros continens, neque etiam completos, cum liber etiam quartus pro ſecundo fuerit appoſitus. In ſecunda vero editione additi ſunt libri ſecundus, & tertius, & ſuo loco repoſitus eſt quartus, atque completi ſunt omnes qua-

Digitized by Google

quatuor libri , quibus explicantur *quatuor priores Ethicorum libri Ariſtotelis* , ac reviſi, & correcti ab auctore recuſi ſunt *Venetiis* . 1567. *apud Dominicum Nicolaum* . *in* 4. Alphonſo Cambo Importuno Florentino dicati .

Inter *Epiſtolas Clarorum virorum* Italice ſcriptas, quas Dioniſius Athanaſius collegit, *Venetiis* excuſas *anno* . 1601. *apud Altobellum Salicatum* . *in* 8. tres leguntur epiſtolae Galeatii Florimontii Sueſſani Epiſcopi.

In ſecundo volumine earum *Epiſtolarum*, quas Franciſcus Turcus collegit , & *Venetiis. ex typographia Altobelli Salicati. anno.* 1601. *in* 8. prodiit, habetur Epiſtola Pauli Jovii ad eundem Galeatium Florimontium Aquini Epiſcopum .

Extat apud nos Manuſcriptum ab eodem Florimontio habitum cum Conſalvo Ferdinando e Corduba Sueſſanorum Duce, *De ſitu, & pulcritudine Civitatis Sueſſae* ejus patriae, Italice , ac per Dialogum conſcriptum . Item concinna quaedam *Epiſtola* ab eodem ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem ſcripta ; in qua ei gratias agit immenſas, quod Brunduſinum Archiepiſcopatum ei ſponte contulerit: quem ille honorem humiliſſime recuſans, Regem ſummis conatibus obteſtatur, ut jam decrepito, ac valetudinario ſeni, onus illud auferat; mittitque ad Regem *aliquot Platonis opera* in Italicam linguam ab eo ſuperioribus annis verſa, petente Sueſſano Conſalvo Duce; alia etiam, ſi ea placerent, mittere pollicetur .

Hieronymus Fracaſtorius vir celeberrimus in ſuo Carminum libro elogium ſcribit *ad Marcum Antonium Flaminium, & Galeatium Florimontium* , quod incipit.

Dum vos fatidicos vates , arcanaque ſenſa
Volvitis, atque animum caeleſti nectare alentes
Alloquii, magnoque Dei conſueſcitis ore . &c.

GALEATIUS DE TARSIA nobilis Conſentinus , ac terrae Belmontis in Calabriis Dominus, bene ſcribendi, & Italicos rithmos pangendi valde peritus , Joannis Caſae, atque aliorum ejus aevi Doctorum virorum amicus fuit. Complura ſcripſit Italica Carmina , e quibus pauca quaedam nuper in lucem prodierunt , collecta , ac in lucem emiſſa ab Equite Jo. Baptiſta Baſile *anno* . 1617. *apud Jo. Dominicum Roncagliolum* . *in* 8.

GARSIAS MASTRILLUS , etſi Panormi in Trinacria ortus ; e Civitate tamen Nolae oriundus , & Marii patritii Nolani filius; ubi ea familia , inter praeclariſſimas ac vetuſtiſſimas, inſignis emicat. Marius enim Maſtrillus U. J. Doctor Nolanus, ac Nolae natus in Trinacriam, cum Marco Antonio Columna ejus Inſulae Prorege profectus (erat enim ei arctiſſima neceſſitudine , ac familiaritate conjunctus); ibidem plures ſupremos geſſit magiſtratus. Inter quos Magnae regiae Curiae Judex fuit , & Sacri Conſiſtorii, & regiis a Conſiliis; deinde Marchio Turturicis effectus eſt , ibique Siculam uxorem duxit , e qua filios ſuſcepit Hieronymum primogenitum , qui Marcio Turturicis, patri ſucceſſit ; Andream, qui Meſſanenſis Archiepiſcopus, fuit, Garziam hunc noſtrum , de quo agimus , & alium qui Miles Hieroſolymitanus extitit. Imo idem Garzias in Epiſtola nuncupatoria ad Dominum Arevalum ſedennum in libro *de cenſibus Petri de Gregorio* ait : *ſe eſſe ex fratre nepotem Petri Antonii Maſtrilli , qui quidem Petrus Antonius Nolanus fuit , ac Neapoli Fiſci patronus in Magna Curia, ac deinde Praeſidens Regiae Camerae Summariae* . Fuit autem Garzias a patre e Panormo Neapolim miſſus, ut legali facultate operam daret, ubi & diu incubuit; & feudalia jura a Joanne Franciſco de Ponte, qui tunc Neapoli publice in Regio gymnaſio profitebatur, didicit, ejuſque auditor fuit; quem Garzias ipſe in *Additionibus* ad

Pe-

Digitized by Google

Petrum de Gregorio ſaepius citat, ac *Magiſtrum ſuum* vocat. Dein Trinacriam reverſus, ac praeclarus Juriſconſultus effectus, multis cohoneſtatus eſt Magiſtratibus. Fuit enim primo Judex Panormi, deinde Conciſtorii Sacrae Regiae Conſcientiae ejus Regni Siciliae; demum Magnae Regiae Curiae Judex, ac Regiis a Conſiliis.

Edidit optimum *Commentarium ad Indultum generale a Philippo* III. *Hiſpaniarum, ac Utriuſque Siciliae Rege, conceſſum Siciliae Regno anno* 1600. ob paternam ſucceſſionem, ejuſque feliciſſimas Nuptias, qui *Panormi* impreſſus eſt *anno* 1604. *apud Joannem Antonium de Franciſcis*. *in* 4. Illuſtriſs. & Excellentiſs. Domino Laurentio Suarez Figueroa e Corduba, Feriae Duci, & in Regno Siciliae Proregi, & generali Capitaneo dicatus; qui poſtea *Lugduni* recuſus eſt 1621.

Conſcripſit etiam *Deciſionum Conciſtorii Sacrae Regiae Conſcientiae Regni Siciliae ultra Farum* tomos IV. Excellentiſſimo D. Joanni de Velaſco Magno Caſtellae Conteſtabili Philippi Regis a Conſiliis Status, & Supremi Italicarum rerum Senatus Praeſidi dicatos; quorum alter excuſus eſt *Venetiis*. *apud Nicolaum Miſerinum*. *anno*. 1609. *in* 4. recuſus *Panormi*. 1619. *apud Jo:Antonium de Franciſcis*. Alter vero *Panormi*. *anno*. 1910. *apud Eraſmum Simeonem*. *in fol.* eidem Joanni de Velaſco dicatus. Liber vero tertius excuſus eſt *Panormi*. 1621. *apud Franciſcum Ciottum in fol.* Sereniſſimae Angelorum Reginae ſemper Virgini dicatus. Quartus autem impreſſus eſt *Venetiis*. 1621. *apud Ciottum in fol.* admondum Rev. P. D. Thomae Vallabii Coenobii Beatae Mariae Virgini de Carceribus Ordinis Camaldulenſium dicatus.

Tractatum quoque *de Magiſtratibus*, *eorum imperio*, *& juriſdictione*, in quo praeter varia graviſſimorum anctorum ad reipublicae ſtatum conſervandum praecepta politica; omnia fere quoque rerum patrimonialium, fiſcalium, juriſdictionum, gratiarum, juriumque ad Regiam poteſtatem pertinentium materiam, brevi methodo explicantur; de Feudatariorum item Origine, regalibus dignitatibus, mero, & mixto imperio, ac praerogativis; nec non, & de Magiſtratuum anctoritate, & poteſtate, maxime Regni Siciliae, eorumque cum antiquorum comparatione, poenis, culpis, & proceſſu diſſeritur. Eum autem tractatum *de Magiſtratibus* in volumina duo diſtinxit.

In primo volumine haec continentur. *De origine*, *& poteſtate creandi Magiſtratus*. II. *De qualitatibus neceſſariis ad optimum Magiſtratum*. III. *De Principis Juriſdictione*, *& juribus ſibi competentibus*. Excuſus eſt autem *Panormi*. *apud Franciſcum Ciottum Venetum*. 1616. *in fol.* eidem Philippo III. Regi dicatus, recuſus quoque *Venetiis*. 1621. *apud Antonium Pelleore*.

Secundus vero tomus continet haec: *De Baronum juriſdictione*, *dignitate*, *& poteſtate in ſubditos*. II. *De Magiſtratuum juriſdictione*, *& eorum officio*. III. *De generali Magiſtratum viſitatione*, *& ſyndicatu*. Additus eſt etiam in calce hujus ſecundae partis Commentarius ipſius auctoris *de Indultu generali*, quem ſuperius diximus, excuſa eſt enim ea ſecunda pars *ibidem apud eundem*.

Additiones quoque *ad Petri de Gregorio Meſſanenſis Siculi Equitis*, *& J. C. Celeberrimi*, proavi ejus materni, Regiis olim a Conſiliis in eo Regno Ferdinandi Regis Catholici, & Caroli V. Caeſaris, tractatus *de Vita*, *& militia*, *de Dote*, *& Paragio*, *& de judiciis cauſarum fiſcalium*, quae cum iis tractatibus excuſae ſunt *Panormi*. *anno*. 1596. *apud Joannem Antonium de Franciſcis*. *in* 4. Domino Baldaxarri Gomes de Ameſcua Regiae Camerae Summariae Regni Neapolitani olim Praeſidi, & in eo Siciliae ultra Farum Domini Proregis Conſultoris & Regii Patrimonii Protectori nuncupatae.

Uberrimas item, & doctas *Additiones ad tractatum de Conceſſione Feudi* eadem *Petri de*

Digitized by Google

de Gregorio ; quas idem Garzias in lucem prodiit, ſimul cum ejuſdem Petri de Gregorio Libro, & eidem Domino Baldaxari Gomes de Ameſcua nuncupavit. Prodierunt autem *Panormi*. 1598. *apud Joannem Antonium de Franciſcis*. *in fol.* recuſae dein *Moguntiae*. *anno*. 1600. *apud Baldaxarem Lippium*. *in* 8.

Elucubravit etiam optimas *Additiones ad* ejuſdemet *Petri de Gregorio Tractatum de Cenſibus*, ſive *Commentaria ad Bullam Apoſtolicam Nicolai* v. *& Regiam Pragmaticam Alphonſi Regis de Cenſibus*, quae ſimul cum eo Petri de Gregorio libro excuſae ſunt; dein auctas, & noviſſimis additionibus locupletatas in lucem emiſit *Panormi*. *anno*. 1609. *apud Joannem Antonium de Franciſcis*. *in* 4. Domino Alphonſo Arevalo Sedenno Sacri Regii Conſilii Neapolitani olim Conſiliario, tunc autem in Siciliae Regno Domini Proregis Conſultori, ac Regii patrimonii dicatas. & recuſas *Panormi*. 1622. *apud Franciſcum Ciottum*. *in fol.* Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domino Fratri Vincentio Bonincaſtro Epiſcopo Agrigentino dicatas.

GASPAR PASSARELLVS Monopolitanus; Apulus e Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula inſtituto, ejuſque Ordinis Generalis Corrector, juris Canonici Profeſſor, atque Concionator facundus. Edidit Italice *Vitam Glorioſi Confeſſoris S. Franciſci de Paula*, ejus Ordinis Fundatoris, cui addidit *Sermonem* a ſe habitum *in* ejus *Sancti laudem*, excuſam *Neapoli*. *apud Horatium Salvianum*. anno. 1573. *in* 4. Illuſtriſs. Cardinali Granvele Neapolitani Regni Proregi dicatum.

Acta quoque, *ac Decreta trium Capitularium Conſtitutionum ejus Ordinis ſub praedeceſſoribus Generalibus* habitarum, univerſali Conventu mandante, collegit, ac purgavit *ſcholiis*, *& annotationibus* illuſtrata, quae jam edita ſunt.

Obiit autem Monopoli die 12. Martii 1587. vixit vero annos 56.

GASPAR DE SIMEONIBVS Aquilanus in philoſophia, aliiſque diſciplinis eruditus, in amaenioribus etiam ſtudiis verſatus; latine non minus, quam etruſce tum carmine, cum ſoluta oratione ſcribendi peritus extitit.

Edidit *Panegyrim*, ſub titulo *Aurae*, *ad Lementium Comitem* Neapolitani Regni Proregem *aeſtivum otium in Pauſilypo oblectantem*, excuſ. *Neap.* 1616. *apud Tarquinium Longum*. *in fol.*

Item *Gemmam Oceanitidem* in funere Sittis Maannis Foeridae *Idyllium*. *Romae*. *apud Bartholomaeum Zannettum*. 1627. *in* 4.

Geſtorum S. Pamphili Epiſcopi Sulmonenſis Epitomen, quam in lectiones diſtributam, ac a Sacra Rituum Congregatione probatam, recitat in ipſius officio Eccleſia, & Dioeceſis Sulmonenſis. *Romae*. *apud Ludovicum Grignanum*. 1630. *in* 8.

Multaque alia opera ſcripſit, quae non ſunt adhuc in lucem edita, ſed ea recenſet Leo Allatius in ſuo libro, qui inſcribitur *Apes Urbanae*, ſive *de viris illuſtribus*.

GASPAR SPITILLVS Camplenſis in ulteriori Aprutio, e Societate Jeſu, tranſtulit ex Hiſpanico, & Luſitanico idiomate in Italicum *Epiſtolas Indicas plurium annorum ad eam Societatem ſcriptas*.

Item Italice edidit *Relatione della glorioſa Morte di* XXVI. *poſti in croce per comandamento del Re di Giappone alli* 5. *di Febrajo* 1597. inter quos fuerunt tres, e dicta Societate Jeſu. *Romae*. *apud Aloyſium Zannettum*. 1599. *in* 4. Qui deinde Chriſti pugiles Martyrio coronati publicis honoribus a S. D. N. Urbano VIII. P.P. fuerunt decorati.

Vitam Santi Dominici de Fuligneo Abbatis Ordinis Sancti Benedicti, ex Manuſcri-

Digitized by Google

pris latinis libris Italice reddidit. *Romae.* 1614.

Obiit autem Romae 17. Martii 1640.

GASPAR TORALDVS Neapolitanus edidit Italice *Dialogum*, quem inſcripſit, *Diſcorſi Cavallereſchi*, in quibus abunde agitur de omnibus iis exercitiis tum animi, tum vero corporis, quae neceſſario in perfecto equite requiruntur, redduntque eum ſpectatum, ac clarum. Qui excuſus primo fuit invito Auctore, mutilus, ac imperfectus; deinde Decii Lachei opera integer, atque ſecundum verum Auctoris exemplar recuſus eſt *Neapoli. apud Horatium Salvianum anno*. 1573. *in* 4. Ferdinando Caracciolo Biccari Comiti ab eodem Lacheo dicatus.

GELASIVS PAPA, antea *Joannes* vocatus, patria Cajetanus, natione Campanus, Creſcentii filius, nobili genere natus eſt. Fuit Monachus primum Caſſinenſis, dein Praeſignator, ſive Cancellarius S. R. E. Urbani II. a quo etiam Diaconus Cardinalis creatus eſt; dein ab humanis ſublato Paſchale II. electus Romanus Pontifex anno MCXVIII. ac Gelaſius II. appellatus.

Scripſit adhuc Monachus in Caſſinenſi Coenobio exiſtens proſuſe *Vitam, ac paſſionem Sancti Eraſmi Epiſcopi, & Martyris*, qui Formiis prope Cajetam paſſus eſt, cujus Sacrum corpus ibidem Formiis aſſervabatur, nunc autem Cajetae in Cathedrali. Cujus prologus ſic incipit: *Domino, in Domino dominorum dilectiſſimo, Joanni Avunculo ſuo, Joannes Subdiaconus, & Monachus Caſſinenſis Coenobii*. Paſſio autem incipit: *Cum Numerianus Caeſar Narbonenſis filius. &c.* Extat autem in Caſſinenſi Monaſterio litteris longobardis conſcripta, & in Cathedrali Eccleſia Cajetana, a quibus exempla accepimus conſimilia.

Meminerunt autem Vitae, ac paſſionis Sancti Eraſmi ab eo Gelaſio ſcriptae Petrus Diaconus Caſſinenſis in lib. *de viris illuſtr.* Monaſterii Caſſinenſis. *cap.* 46., & Baron. *in notis ad Martyrol. Rom. ad diem* 2. *Junii*. D. Arnoldus Uvion in ſuo *Ligno vitae*, & Antonius Poſſevin. *primo vol. Appar. ſacri*.

Scripſit quoque adhuc Monachus *Paſſionem Sanctae Anatoliae. Paſſionem etiam S. Caeſarii* verſibus ornavit, ut idem Petrus Diaconus, Arnoldus, ac Poſſevinus teſtantur.

Porrò Gelaſii hujus Papae Vitam conſcripſit Pandulphus Piſanus S. R. E. Subdiaconus, illius familiaris, ac peregrinationis comes individuus, mox Cardinalis Baſilicae SS. Apoſtolorum, in ſuo libro *de Vitis Romanorum Pontificum*, qui Manuſcriptus in Bibliotheca Vaticana, ac in Biblioth. Cardinalis Seripandi in Coenobio S. Joannis ad Carbonariam hujus Civitatis Neapolis, atque aliis in locis habetur. Quam quidem *Gelaſii Vitam ab eo Pandulpho exaratam*, cum pluribus antiquis manuſcriptis Codicibus collatam, nuper edidit in lucem Abbas D. Conſtantinus Cajetanus, cum ſcitiſſimis, atque optimis ejus *Commentariis* ad eam illuſtrandam, ac cum *Vita, & Paſſione Sancti Eraſmi* ab eodem Gelaſio nuper edita eſt, quae prodiit *Romae. ex typographia Caballina. anno.* 1638. *in* 4.

GENTILIS ALBERTINVS Nolanus J.C. edidit legale *Conſilium in Cauſa Catherinae Angliae Reginae cum Henrico* VIII. *Angliae Rege ejus viro, quod nempe Matrimonium inter eos contractum cum diſpenſatione Apoſtolica Julii* III. *Romani Pontificis fuerit validum, & legitimum, & ea diſpenſatio fuerit quoque valida, & legitima*. De quo conſule ea, quae infra dicemus in Petro Paulo Caporella de Potentia, quod quidem Conſilium habetur impreſſum inter *Conſilia Feudalia Diverſorum*.

GRE-

GRegorius La-pazzaya Abbas, Monopolitanus Apulus, origine Albanenſis, ex iis nempe, qui ex Albaniae regionibus Turcarum tyrannidem fugientes, Regnum hoc Neapolis adventantes, jamdiu certa eis aſſignata Regni oppida, ac Subbia incolunt. Tanuſſi Albanenſis filius fuit, quamobrem in juventute aliquando, omiſſo cognomine, appellabatur *Gregorius de Tanuſcio Albanenſis*, prout ex Bullis ejus Subdiaconatus de anno 1508. perſpeximus; dein multos poſt annos dicebatur, *Gregorius la Pazzaya* Canonicus Monopolitanus, Cappellanus, & Prothonotarius divinae Sanctitatis Pii IV. Papae familiaris, continuus commenſalis, & Sacri Palatii, Apoſtolicaeque Aulae Lateranenſis Comes Palatinus. Fuit autem is Arithmeticae, & Geometriae peritiſſimus; in quibus facultatibus principem locum ſua aetate tenuit; atque ad ejus gymnaſium (quod publice Neapoli aperuit, atque diu rexit cum celebri fama, ac magno omnium plauſu) lectiſſimi quique viri, magnates, ac reguli confluebant addiſcendi deſiderio illecti; cum is methodo admodum facili, & expedito eos edoceret, ut breviſſimo temporis ſpatio optime erudirentur. In arduis diſſidiis, ac controverſiis de territoriis, menſuris, diviſionibus, ac juriſdictionibus, aliiſque conſimilibus ſaepe adhibitus eſt, magno omnium commodo, atque admiratione.

Edidit Italice librum de ratione arithmeticae, ac geometriae, quem appellavit *Familiaritatem Arithmeticae, ac Geometriae, cum uſitata praxi Neapolitana*, qui impreſſus eſt *Neapoli*. dein auctus, & locupletatus recuſus eſt *Neapoli*. *1566. apud Horatium Salvianum*. *in 4*.

Demum eum librum valde auxit, addiditque *Methodum menſurandi fundos, ac fabricas, & cognoſcendi differentias earum menſurarum de terra, ad terram, & de loco ad locum, cum declaratione, ac diſpenſatione, quae fit a regio Dohanerio menae pecudum Apuliae ordine regiae Camerae*. Adjuxit item *modum appreziandi bona burgenſatica, ac feudalia, cum juriſdictione Civili, Criminali, ac mixta, cum gladii poteſtate; cognoſcendi item fraudem, quae committitur in dividendis aquis formalium, qui per Civitatem Neapolis per occultos, ac ſubterraneos aquaeductus procedunt. Cognoſcendi quoque conditionem Vaſſallorum, ac reddituum Baronalium occultatorum ſingulorum; etiam platearum Civitatis Neapolis conditionem cognoſcendi, ac differentiam de platea ad plateam. Praeterea extra Neapolitanam Urbem per univerſam Provinciam Terrae laboris conditionem Arbuſtorum, ac vini, eorumque praetium, ac bonitatem dignoſcendi*. Dicavit autem is eum librum Michaëli Villanovae regio Conſiliario, excuſum *Neapoli. apud Matthiam Cancrum*. *1569. in 4*.

Obiit autem is Monopoli 1564.

GRegorius Reginus Calaber Ord. Sancti Franciſci, vir doctus, ex cujus multis, ac eruditis operibus, quae conſcripſit, tractatus dumtaxat *De ſecundis intentionibus* reperitur; ut teſtatur Frater Hieronymus Maraſiotus *in Chron. Calab. lib. 1. cap. 22.*

GErardus Blanchus Neapolitanus Sacrae Theologiae doctor, & divini verbi declamator Auguſtae Familiae, edidit latine *Inſtitutiones Sanctiſſimas ſingulis totius diei actiones complectentes, e Sacris litteris collectas Chriſti fidelibus valde proficuas* excuſ. *Neap. apud Joannem Matthiam Cancrum*. 1563. in 8. Ill. Antonio Mariae Geſualdo dicatas. Liber hic, etſi parvulus; devotione, pietate tamen, ac ſpiritus fervore abundat. Vivebat autem auctor eodem anno 1563.

GLaucus Locrenſis philoſophus eruditiſſimus, ſcripſit librum *de Epulis, & de arte coquendi*, ut Athaeneus *lib. IX.* teſtatur. A Plutarcho in *lib. de Muſica* cita-

ſtatur Glaucus Italus in *lib. de antiquis poëtis*, & *Muſicis*.

Glaucus Locris *Opſartycorum* ſcriptor citatur ab Athaeneo. Glaucus hic Locris Democriti tempore vixit.

GLAVCVS RHEGINVS Calaber philoſophus Pythagoricus ſcripſit librum *de Poëtis*, & *Muſicis antiquis*.

Glauci Rhegini, qui tempore Democriti vixit, ſententiam citat Laërtius *in Democrito*.

Plutarcus in Opuſculo *de Muſica* citat Glaucum Italum in libro quodam, quem *De poëtis*, & *Muſicis antiquis* compoſuit, & pluries ibi citat eundem Glaucum de antiquis poëtis. Idemque Plutarcus, *in vita x. Oratorum*, *in Antiphonte* ait: *Nec vero deſunt, qui eum librum, qui eſt ſcriptus a Glauco Rhegino de poëtis, Antiphonti adſcribunt*.

Conſtantinus Laſcaris in libello *de Antiquis Philoſophis*, *aliiſque viris illuſtribus Calabriae*; & *Siciliae*, ſic ait: *Glaucus Pythagoricus Philoſophus*, & *Muſicus excellentiſſimus Rheginus*, *Democrito*, *quem ipſe Pythagoreum fuiſſe aſſerit*, *contemporaneus*.

De eo Marcus Antonius Politus *in Chron. Rhegin. lib.* 11.

Vixit circa annum fere poſt Vrbem conditam 330. tempore Democriti.

GOFFREDVS BENEVENTANVS, vide *Roſfredum Beneventanum*.

GOFFREDVS DE CAIETA Neapolitanus Caroli de Cajeta III. Doctoris, ac militis, Regii Oſpitii Judicis, ac Regiae Camerae Summariae Praeſidentis filius, inſignis fuit Juriſconſultus; pariterque Regiae Camerae Summariae Praeſidens, dein magni Camerarii Locumtenens, Alphonſi ſenioris, ac Ferdinandi ejus filii Siciliae Regum temporibus vixit. Profuſos, ac eruditos *Commentarios* edidit *ad Ritus Regiae Camerae ab Andrea de Iſernia confectos*, quibus addidit *Conſtitutiones*, *ac Deciſiones*, *quae poſt Iſerniae tempora editae ſunt*, qui quidem Commentarii adhuc in MS. latitant; ſervantur autem quamplurima exemplaria apud multos.

Ejus operis, ac Scriptoris meminit Matthaeus Afflictus in *Conſtit. Magiſtro. Fundicarios. ſub titulo*, *de locatione demanii. num.* 12. his verbis: *Dominus Goffredus de Cajeta magnus Juriſta*, *qui fuit Locumtenens magni Camerarii*, & *multum egregie ſcripſit ſuper iſtis Ritibus Regiae Camerae*.

Idem *in Uſibus Feudorum*. *in tit. Epiſcopum*, *vel Abbatem* §. *quin etiam num.*4. vocat Goffredum de Cajeta *excellentiſs. Doctorem*.

Joannes Baptiſta Ciaccialupus de S. Severino in ſuo tractatu *de Modo Studendi*. *in* 5. & 6. *documento*, citat Goffredum Cajetanum *ſuper Clementis*, quem appellat *inſignem Doctorem*. Qui an ſit idem cum hoc noſtro, vel fortaſſe mendum irrepſerit, haud nobis habetur exploratum.

Obiit autem Goffredus hic noſter Neapoli anno 1463. & in S. Petri Martyris Ordinis Praedic. ſacra aede ſepultus eſt, ubi ſublime marmoreum cernitur ſepulcrum, hac exciſa inſcriptione:

HIC SITI SVNT EQVITES DVO IVRIS CONSVLTI NOBILES ET MAGNIFICI DOMINVS CAROLVS DE CAIETA DE NEAPOLI OLIM REGIS LADISLAI CONSILIVM QVI OBIIT ANNO GRATIAE MCCCCXXII. ET FILIVS EIVS DOMINVS LOFFREDVS QVI ET REGIS ALPHONSI CONSILIVM DECESSIT MCCCCLXIII. F. EPISCOPVS SQVILLACENSIS CAROLO PATRI SVO POSVIT.

Habetur quoque ipſius mentio in S. Franciſci Monialium templo, in quo ejus conjugis ſepulcrum e marmore conſpicitur hac appoſita inſcriptione:

HIC IACET CORPVS DOMINAE IOANNELLAE WRVERAE DE CIP. VXORIS QVONDAM DOMINI

MINI GOFFREDI DE GAETA SUB ANNO DOMINI MCCCCL.

GOFFREDUS DE TRANO I. C. Romanae Eccleſiae Subdiaconus, & Domini Papae Cappellanus, ſcripſit *Summam*, nempe *in titulos Decretalium libros* V. *ac Quaeſtionum variarum librum* I., quae ſimul juncta, pluribus in locis edita ſunt, demum *Venetiis*. 1586. *apud Joannem Baptiſtam Hugolinum*. *in* 4.

Quo autem tempore vixerit, & cujus Pontificis fuerit Subdiaconus, ſolus Alfonſus Ciacconus, quod ſciamus, aperit; is enim in *Vitis*, *ac geſtis Roman. Pontif.* & S. R. E. *Cardinal.*, in Martino II. Papa ait, *Ejus Pontificis tempore, qui ſedere caepit anno* 1281. *floruiſſe Gaufredum Tranenſem* S. R. E. *Subdiaconum*, & *ejus Pontificis Cappellanum*, *Juris Canonici, ac Caeſarei peritiſsimum, ingenio praeſtantem, & eloquio diſertum, qui ſuper Decretum, ac Decretales accurate, & alia opuſcula ſcripſit*.

Reperimus quoque Diploma Gregorii IX. Papae, ſub datum Peruſii, idibus Martiis, Pontificatus ejus anno IX. qui eſt annus 1236., quo cauſam quandam committit *Archiepiſcopo Neapolitano*, & *Magiſtro Roffrido Canonico Tranenſi Neapoli commoranti*; qui forte idem eſt. Trithemius autem in lib. *de Scriptor. Eccl.* appellat illum *Gaufredum de Trano*.

GOMETIUS PAGANUS Neapolitanus Ordinis Minor. Conventualium Sacrae Theologiae Magiſter, in Coenobio Neapolitano S. Laurentii ſtudii Regens, Philoſophus praeſtans, ac Theologus inſignis, in Papienſi Academia Philoſophiam, ac Theologiam magna eſtimatione publice profeſſus eſt. Huic objectus eſt Fr. Thomas de Vio Cajetanus Ord. Praedicatorum, qui dein Cardinalis Cajetanus fuit; nam lexit philoſophiam, ac theologiam Papiae ad concurrentiam ejuſdem Thomae de Vio; ut Joannes Baptiſta Flavius Aquilanus *in Oratione* a ſe habita Romae *in funeribus Thomae de Vio* Cardinalis Cajetani ait: *Cajetanum Papiae philoſophiam, ac ſacras Literas Gometio philoſopho, ac theologo illuſtri objectum, aemulatione virtutis, profeſſum eſſe*.

Multa Gometium ſcripſiſſe fama eſt, e quibus haec ſuperſunt, quod ſciamus, celeberrimum *Quaeſitum de medio demonſtrationis potiſſimae, juxta Ariſtotelis, & Averrois doctrinam, adverſus Arabes, Graecos, & Latinos*, excuſum *Neapoli. anno*. 1555. *apud Thomam Riccionum. in fol.* ſtudioſis Lectoribus dicatum.

In *Epiſtola* nuncupatoria ad lectores ejus Quaeſiti, teſtatur, ſe ſcripſiſſe *Expoſitionem commenti undecimi primi Poſteriorum libri*, quam propediem edere pollicetur, cum *Expoſitione in primum poſteriorum librum*.

Conſcripſit quoque *De frigiditate Quaeſitum novum*, & *ornatiſſimum*, *in quo determinatur terram eſſe frigidiorem aqua*, *adverſus communem opinionem philoſophorum*, *& Medicorum*, *Ariſtotele*, *Hippocrate*, *& Galeno exceptis*, *Fratre Gometio Pagano dilucidatore*, & *compilatore*, *juxta veram Hieronymi Balduini Philoſophi*, *ac Medici excellentiſſimi mentem*, ad Franciſcum Batiſterium Zanclaeum ejus diſcipulum maxime diſertum, ac dilectum, impreſſ. ſine die, & Conſule in fol.

Is etiam Gometius Hieronymi Balduini, ſui quondam familiaris amici Opera, poſt ipſius mortem, exacte perquiſivit, atque multa eorum in lucem edidit, ut in Balduino diximus.

Obiit autem Gometius Neapoli in Coenobio S. Laurentii ejus Ordinis annum circiter 1560.

GREGORIUS CAPUCCINUS Neapolitanus, ex Ordine S.Franc. Capuccinorum, vir fuit & Sacra Theologia, et Pontificio jure eruditus. Multa edidit tum Italico, tum latino ſermone, quae ſummam pietatem, atque animi affectum ſpirant. Edidit enim lati-

latine librum, quem *Henchiridion Eccleſiaſticum* inſcripſit, *in quo multa ad Eccleſiaſticas res, quae animam purgant*, tractat, *quaeque ab hominibus parvi penduntur*, *nempe de peccatis venialibus*, & *de Salario Vaxallorum*, *qui a Baronibus pro eorum ſervitiis mittuntur, ad Regiam Pragmaticam Regis Ferdinandi* I. Dein liber is ab auctore recognitus, & auctus ſic inſcriptus eſt, *Enchiridion Eccleſiaſticum*, *ſive praeparatio pertinens ad Sacramentum poenitentiae*, & *Sacri Ordinis*, *in quo habetur etiam Cathalogus librorum corrigendorum*, ac *Officium de Paſſione Domini N. J. C.* recuſus eſt *Venetiis*. 1588. *apud Hieronymum Polum*. *in* 8. Reverendiſſimo Patri Fratri Hieronymo a Politio Siculo ejuſdem Ordinis Generali dicatus.

Edidit quoque in lucem ſermone italo *Regulam Seraphici Patris S. Franc. cum declarationibus ad eam diverſorum Romanorum Pontificum*, & *Regulam Beatae Virginis S. Clarae de Aſſiſio*, *cum ipſius expoſitione*, *ad utramque*, *additis* quoque XVI. *animadverſionibus pro morientibus*, & etiam *aliis piis diſcurſibus*, ab eodem Fratre Gregorio editis. Quem librum is vocavit *ſecundam partem Enchiridii Eccleſiaſtici*, & eidem Fratri Hieronymo a Politio ejus Ordinis Generali dicavit; dein Monialibus Monaſterii S. Mariae in Hieruſalem Neapoli conſtitutis: excuſus eſt autem liber hic *Venetiis*. 1589. *apud Hieronymum Polum*. *in* 8.

Tertiam vero partem *Enchiridii Eccleſiaſtici*, in quo epitomen ſcripſit privilegiorum omnium Summorum Pontificum, uſque ad Dominum Clementem Papam VIII. & *mare magnum Religionum mendicantium*, *in breviſſimam formam redactorum*, ad formam Tridentini Concilii, & Romani Bullarii, & quidquid, praeter ea privilegia, in eodem Concilio habetur, cum praxi, quae ad Regulares ſpectat, & in materia etiam ſanctarum Reliquiarum, & translationis, & publicationis Sanctorum corporum, excuſ. *Neap*. 1594.

In ea etiam tertia parte continentur multa, quae ad ſecundam partem ſpectant nempe *Expoſitio Regulae Religionis Fratrum Franciſcanorum*, quae in quinque ſpecies dividitur, quod ad veram obſervantiam intuendam, ſpeculi vices fungitur, addiditque *Regulam Monialibus S. Clarae*, qui *anno*, 1589. *Venetiis*, excuſus eſt. In fine autem Regulae addidit XVI. *animadverſiones bene moriendi* Italice, quas conjunxit cum libro Fratris Bartholomaei de Angelis Neapolitani, qui inſcribitur *Ricordo del ben morire*.

Hic idem liber qui inſcribitur, *I ſedeci avvertimenti*, *con la preparazione Chriſtiana* &c. excuſus eſt *Venetiis*. 1606. *apud Seſſas*. *in* 8.

GREGORIUS CARRAFA Neapolitanus Ordin. Clericorum Regularium Theatinorum, deinde ejuſdem Religionis Praepoſitus Generalis, Sacrae Theologiae profeſſor fuit. Edidit *Diſputationum Theologicarum*, *in primam ſecundae Divi Thomae Aquinatis*, *a quaeſtione* I. *uſque ad* 17. *incluſive*, tomum primum, ad Illuſtriſſimum Dominum Hieronymum Columnam S. R. E. Cardinalem, excuſum *Neapoli*. 1628. *apud Octavium Beltranum*.. *in fol*. dein recuſum *ibidem*, *apud eundem* eadem forma *anno*. 1631.

Scripſit quoque Philoſophicum *Opuſculum de naturali concurſu cauſae primae cum ſecundis*, ad Excellentiſſimum Dominum Emanuelem Fonzecam, & Zunicam Comitem Montisregii, & Fuentes in Regno Neapolitano Proregi, excuſum *Neapoli*. *apud Franciſcum Savium*. 1632. *in* 4. Cui annexa eſt in *Opuſculo, de noviſſima Veſuvii Conflagratione Epiſtola Iſagogica*, miſſa ab eo ad Dominum Placidum Mirtum Frangipanum Theologum, Religionis Clericorum Regularium Hiſpanicae fundationis Praefectum, excuſa *Neapoli*. 1632. *apud Aegidium Longum*. *in* 4.

Edidit quoque *De Monomachia*, *ſeu de duello*, *opus theologico morale* excuſum *Romae*. 1647. *apud Maſchardum*. *in fol*. Eminentiſſimo Domino Petro Aloyſio Carrafae Cardinali dicatum. GRE-

GREGORIVS CASSINENSIS Monaſterii Monachus ſcripſit *De Paſſione S. Reſtitutae Soranae Virginis*, & *Martyris*. *De Paſſione Sanctorum Caeſti*, & *Caſſii Martyrum*. *De vita S. Geroaldi Epiſcopi*, & *Confeſſ.* quorum omnium *hymnum*, *officium*, & *cantus* conſcripſit. De *aſſumptione B. Virginis Homiliam*. *De captione Hieroſolymae*, ac *De tranſitu peregrinorum ad terram Sanctam*, rogatu Bernardi Balvenſis Epiſcopi, carmine *lib.* I. *Poëmatum de Sanctis Jona Propheta*, & *Andrea Apoſtolo*. *De Dedicatione Eccleſiarum*, & *feſtivitate Paſchali*.

Obiit autem Piperni in Volſcis annum circiter . . .

De hoc Gregorio D. Arnoldus Uvion in ſuo *Ligno vitae lib.* & Antonius Poſſevin. *primo vol.* I. *App.* Sacri.

Fortaſſe hic eſt Gregorius ille Monaſterii Caſſinenſis Monachus, qui dein fuit Terracinenſis Epiſcopus a Paſchali II. creatus annum circiter 10... cujus meminit Petrus Diaconus, *lib.* IV. *Chron. Caſſin. cap.* 42. quem vocat *virum in Sanctis litteris erudititiſſimum*, ac etiam eodem *lib.* IV. *cap.* 88. Idem quoque Petrus in *lib. de Viris Illuſtribus Caſſinenſis Coenobii*, *cap.* 32. ait, *Gregorius Terracinenſis Epiſcopus parvulus*, & *ipſe in Caſſino oblatus memoria tenax*, *ingenio vivax*, *tantae fuit gravitatis*, *ſuavitatis*, & *eloquentiae*; *ut a nonnullis Columna diceretur Eccleſiae*, *ſcripſit Paſſionem Sanctorum Caſti*, & *Caſſii &c.*

Fuit & alius Gregorius Monachus Caſſinenſis, qui ad Sinueſſanae Eccleſiae adminiſtrationem aſſumptus, eleganti metro, *de Captione Coenobii Caſſinenſis*, ſcripſit.

GREGORIVS MASTRILLVS Nonalus e Societate Jeſu Theologus, ac Divini Verbi declamator illuſtris, edidit italiace aliquot Opera ſpiritualia, & Conciones, quae praeter eruditionem ſummam, quoque ſpirant pietatem, ac religionem. Sunt autem haec, his titulis adjectis:

Primo tomo delli Diſcorſi della Paſſione, *e Morte di Gieſù Chriſto noſtro Redentore*, *diſtinto in tre parti*; *Nella prima ſi tratta della paſſione in commune*; *nella ſeconda delli particolari Miſterii*, *di quanto patì in quella notte*, *e giorno del Venerdì*. *Nella terza delle ſette parole dette in Croce con la lanciata*, *e ſepoltura*. Excuſus eſt autem liber *Romae*. *anno*. 1607. *apud Bartholomeum Zannettum*. in 4. glorioſiſſimae Virg. Caelorum Reginae dicatus; ac recuſus *Brixiae*. 1610. *apud Petrum Max. Marchettum*. *in* 4.

Cento altri Diſcorſi intorno alla medeſima Paſſione, *e Reſurretione del Signore*; *del Santiſſimo Sacramento dell' Euchariſtia*, *e di quanto fece*, *e diſſe nell' ultima Cena ſopra il capo* XIII. *di S. Giovanni diſtinto in tre tomi*, excuſ. *Romae*. *anno*. 1615. uſque ad 1617. *apud eundem Zannettum*. *in* 8. Sanctiſſimae Trinitati dicati, & Domino Cardinali Odoardo Farneſio.

Diſcorſi intorno alla temporale generatione del Signor Gieſù Chriſto, *ſopra l' ambaſciada dell' Arcangelo Gabriele alla glorioſa Vergine*, *deſcritta da S. Luca*, *nel ſuo primo Capo*. impreſſ. *Neap.* 1625. *apud Lazarum Scorigium*. *in* 4. Domino Franciſco Cardinali Boncompagno Archiepiſcopo Neapolitano dicatus. *Meſſanae* etiam excuſi *anno* . . . . *apud Petrum Bregam*. *in* 4.

Novena, *ovvero Ragionamenti ſpirituali ſopra le ſette Antiſone maggiori*, *nell' aſpettazione del Divino parto della Beata Vergine*, *che ſi recitano nel Veſpro avanti il Natale*, *con alcuni Diſcorſi per apparecchiar l' anime divote al naſcimento del gran Figlio d'Iddio.* excuſus eſt autem liber hic *Neap.* 1628. *apud Lazarum Scorigium*. *in* 4. Dominae Beatrici Urſinae Gravinenſium Duci dicatus.

Ex his libris primi quatuor excuſi, ſunt tranſlati in Polonicam, Gallicam, Germanicam, ac Latinam linguas.

Obiit autem Neapoli in domo Profeſſorum die 7. Februarii 1633.

Digitized by Google

GRegor. Pomus Aureus Rubenſis, nempe e Civitate Ruberum in Apulis Sacrae Theologiae doctor, edidit *in Joannis Duns Scoti primum Sententiarum librum, admirabili quadam methodo ad veterum normam Scriptorum adamuſſim pertractatum, egregie limatum, ordinate diſpoſitum, perfectiſſime abſolutum, laconica argumentorum ſingulis Articulorum Frontiſpitiis praepoſitorum; cum interpraetationum etiam, ut vocant, novo quodam auctario in praeſens uſque deſiderato, recenter quam maxime ditatum, ornatum, locupletatum, auctum*, impreſſum *Venetiis*. 1622. *apud Bernardum Juntam, Jo. Baptiſtam Ciottum, & Socios; in fol.* Ill. & Rev. S. Gregorio Petrochino Epiſcopo Praeneſtino S. R. E. Card. de Montelparo dicatum.

GUaiferius Salernitanus, qui dein Caſſinenſis Monaſterii Monachus effectus, *Benedictus* vocatus eſt. Vir valde eruditus, ſcripſit quaedam tum metro, tum ſoluta oratione, nempe: *Vitam Sancti Secundini Epiſcopi Trojani. Verſus in laudem Pſalterii. De Miraculo illius, qui ſe ipſum occidit, & per Beatum Jacobum vitae redditus eſt. Homeliam de Adventu. In Nativitate Domini. De Epiphania*, & alia quam plurima, ut tradit Leo Oſtienſis *lib.* III. *Chron. Caſſin. cap.* 41. qui eum appellat *Sapientiſſimum, ac facundiſſimum virum*. Floruit autem ſub Deſiderio ejus Coenobii Abbate, annum circiter 1084.

Meminit quoque ipſius Petrus Diaconus Bibliothecarius ejuſdem Monaſterii Caſſinenſis in lib. *de Viris illuſtribus* ejus Coenobii *cap.* 29. qui ſic ait: *Benedictus, qui eſt Guaipherius, ſanctitate, & religione conſpicuus, ſuavi eloquio, ingenio magnus, & ſermone facundus, ſcripſit ad Trojanum Epiſcopum Vitam Sancti Secundini, & Cantum ejus, Sermonem, & Hymnos de eodem*.

Refert haec Cardinalis Baronius in *annotationibus ad Martyrolog. Rom. die primo Julii*.

Scripſit quoque alia opera praeter praedicta, quae Antonius Poſſevinus *in vol.* I. *App. Sacri. fol.* 600. recenſet, videlicet: *Paſſionem Sancti Lucii Papae. De converſione quorundam Salernitanorum verſus. In laudem Sancti Martini Carmen*. quae omnia habentur Manuſcripta litteris longobardis in membranis in Caſſinenſi Bibliotheca, in pluteo VIII.

GUlielmus Apulienſis ſcripſit heroico carmine *De rebus in Italia, & in Regno Neapolitano geſtis a Normannis, libros* v. *ad Rogerium Siciliae Regem* Roberti Guiſcardi Apuliae Ducis filium. Ad cujus, & Urbani II. Pontificis Maximi juſſum (ut ipſe ait) eos libros anno 1088. conſcripſit, excuſi ſunt autem *Rothomagi. apud Riccardum Petit, & Riccardum l'Allamant*. 1582. *in* 4. titulus vero ſic ſe habet: *Guillielmi Aquilienſis Rerum in Italia, ac Regno Neapolitano Normannicarum, lib.* v.

GUlielmus Sirletus Stilenſis, Calaber, dedit operam Neapoli philoſophiae, legali facultati, theologiae ſcholaſticae, hiſtoriis tum prophanis, tum Sacris, & linguarum cognitioni, Graece, ac Hebreae. Diſcipulus fuit in philoſophia Auguſtini Niphi Sueſſani, in theologia ſcholaſtica Fratris . . . . a Tagliacotio Ordinis Minorum Conventualium, in linguis vero erudititiſſimi cujuſdam viri ex Cretenſi Inſula, quem domi ſuae alebat patris juſſu. In quibus quidem omnibus diſciplinis, ac facultatibus non ſegniter incubuit; adeo ut aſſidue ſummis laboribus, & indefeſſo ſtudio eis incumbens, in iis doctiſſimus evaſerit. Romam dein profectus diu ibi inter familiares Marcelli Cervini Cardinalis receptus eſt Paulo IV. Rom. Pontif. gratiſ-

tiſſimus; cujus opera, ipſius Pontificis juſſu Alphonſus, atque Antonius Carrafa ejus nepotes in Sanctorum Graecorum Patrum libris in latinum transferendis uſi ſunt. A Pio IV. Pro-honorarius Apoſtolicus ex numero Participantium, dein Bibliothecarius, tandem S. R. E. Cardinalis creatus eſt anno 1565. Epiſcopus quoque fuit Santi Marci, dein Squillacenſis in Calabriis; quas quidem Eccleſias dein in manibus Pontificis reſignavit.

Breviarium, *Miſſale*, ac *Cathechiſmum ad Parochos Pio* IV. & V. *mandante*, cum aliis doctiſſimis viris reformavit. Anno vero 1572. a Gregorio XIII. cum aliis Cardinalibus, ac eruditis viris ad recognoſcendum, & declarandum Indicem librorum prohibitorum, & ad eoſdem expurgandos electus eſt. In tota enim fere Europa nullus erat liber, quem accurate is non legiſſet, ac relegiſſet; ut re ipſa expertum eſt in ea *Indicis Congregatione*, ubi pluries perſpectum eſt exemplo, ac prompte indicaſſe loca, in quibus auctores venenum expuerant, & cujuslibet libri defectum, & malignitatem, & ubi jacebat, & inerat, propalaſſe: quod non parvam admirationem omnibus praebuit.

Bibliothecam is habebat celeberrimam, ac libris refertiſſimam, tum Hebreis, tum Graecis, ac Latinis, aliiſque exteris linguis conſcriptis, nedum excuſis, ſed etiam manuſcriptis, quos ex univerſo orbe conquiſivit; e qua non pauci manuſcripti libri dein in lucem prodierunt. Ea Bibliotheca decem mille aureorum valorem excedere creditum eſt; & poſt ejus mortem ad Antonium Cardinalem Columnam pervenit. Cujus Bibliothecae Caeſar Card. Baronius pluribus in locis meminit, & praeſertim *in annotationibus ad Martyrolog. Rom.* die 17. Julii; ubi loquens de Ennodio Epiſcopo, Bibliothecam Cardinalis Sirleti appellat *nobiliſſimum antiquitatis promptuarium*. Et inter tot librorum millia ſuae hujus Bibliothecae ſciebat locum, in quo quiſque repoſitus erat, ac libri locum, in quo de quolibet ſubjecto agebatur. Cumque ejus domum viri quique doctiſſimi catervatim accederent, ut variarum quaeſtionum, ac dubiorum explanationem ab eo audirent, is repente ſe a ſede elevans ad atque Bibliothecam properans, propriis libris tum Hebraeis, tum Graecis, tum Latinis captis (in quibus propoſitae quaeſtiones tractarentur) illico repertis locis, ubi de iis agebatur, unicuique reſolutionem ejus, quod ad ſuae mentis claritatem ſcire exoptabat, tradebat. Quod officium is hilari animo exercebat; perpetuum enim habebat aliis communicandi ſtudium, atque eos docendi. Maximus quoque ad eum numerus Graecorum, Ultramontanorum, aliorumque exterorum ad viri eruditionem, ac varietatem experiendam aſſidue confluebat; atque expertam admirabantur.

Multa opera Sirletum conſcripſiſſe conſtans fama eſt, quae ad noſtras manus minime pervenerunt; verum ex tot operibus, de his dumtaxat mentionem reperimus.

Eruditiſſimum opus *Annotationum in Pſalterium*, *cum Apparatu in Sacram Bibliam*; quorum meminit Joannes Antonius Petramellarius in ſuo libro *de Cardinalibus* in *elogio* ejuſdem *Sirleti*.

De Situ, & *Antiquitate Calabriae libros* VI. latine, qui ſub nomine *Gabrielis Barrii Franciſcani* in lucem prodierunt; at revera Sirletum fuiſſe auctorem certa traditione comperimus; & Paulus Emilius Santorius id teſtatur in ſua *Hiſtoria Carbonenſis Monaſterii*, ut ſuperius in Barrio diximus.

In Graecorum libris transferendis diu operam navit, ac inſudavit. Cum enim adhuc in minoribus eſſet, familiaris amicus extitit Aloyſii Lipomani Veronenſis Epiſcopi, qui Romae ſummis laboribus, ac vigiliis Sanctorum Vitis colligendis, edendiſque vacabat; itaque Sirletus *Sanctorum Patrum Vitas* ex Graecorum ſcriptis tranſtulit; quae jam ſunt editae *inter* ejuſdem *Lipomani libros*. Imo idem Lipomanus in VII.

Digitized by Google

Tomo refert multas Sanctorum Vitas a Simeone Methaphraſte conſcriptas, quae in antiquo manuſcripto Codice habebantur in Coenobio Criptaeferratae Ordinis S. Baſilii, eas *a Gulielmo Sirleto* e Graeco in latinum translatas eſſe illumque vocat *virum doctiſſimum, & ipſius amantiſſimum*.

Graecorum item *Menelogium ex Sirleti Bibliotheca*, & *interpretatione* e Graeco in latinum verſum, habetur *in* II. *volum. Antiquae lectionis Henrici Caniſii Noviomagi*, excuſo *Ingloſtadii. in Officina Endertana. apud Andream Angermarium. anno*. 1602.

Duo nobiliſſima *Epigrammata* a Sirleto conſcripta unum Graece, aliud latine in Summum Pontificem Paulum IV., alterum in viventem Pontif. alterum vero in mortuum, reperta inter ſchedulas quaſdam recitat D. Antonius Caracciolus *in Collectaneis Vitae* ejuſdem *Pontificis*.

Ejus Vita profuſiſſime ſcripta habetur in latina *Oratione*, quae publice exhibita eſt Romae, in ejus funeribus, in Aede Divi Laurentii in Pane & Perna habita a Joanne Vaz Motta Luſitano U. J. D. impreſſa ibidem *apud Joannem Oſmarinum*. 1581. *in fol.* Item in alia *Oratione*, quam habuit Squillacii in Cathedrali, Italice, in ipſius funeribus die 26. Octobris 1585. Magiſter Lactantius Arturus Ordinis Minorum Convent. excuſa *Neapoli. anno*. 1586. *apud Horatium Salvianum. in* 4. Ipſius quoque *Elogium*, ſive potius *Vitam* ſcribit Joannes Antonius Petramellarius Bononienſis *in lib. de Cardinalibus*. Multa quoque de Sirleto Joannes Baptiſta de Tufo Acerrarum Epiſcopus *in Hiſtoria Religionis Clericorum Regularium. cap.* 70.

Tandem Sirleti hujus complures Scriptores faciunt mentionem, atque omnes ſummam ejus doctrinam, & eruditionem, morum candorem, & vitae integritatem uno ore commendant. Inter quos Joannes Antonius Gabutius, *lib.* v. *de vita, & rebus geſtis Pii* v. *Pontif. Max. cap.* 8. qui ait; *defuncto Pio* IV. *Rom. Pontif. anno* 1566. *parum abfuiſſe, quin Gulielmus Cardinalis Sirletus Summus Pontifex eligeretur; qui integerrima vita, caſtiſſimis moribus, ſumma pietate, ac multiplici eruditione praeditus erat. Linguarum autem praeſertim Haebraicae, Graecae, & Latinae cognitione omnium facile princeps, in Sacrarum Litterarum ſtudio verſatus. Quique ita omnibus doctrinae ſuae copiam fecerat, ut nemo ferme unus reperiretur, cui carus, & jucundus non eſſet; quem a ſtudiis ambitionis procul ſemper fuiſſe illud aperit, quod Pium* IV. *ne eum Cardinalem crearet, ſupplicem obſervaſſe certum eſt. At multis ex Cardinalibus, in Conclavi exiſtentibus, ejus electioni valide reſtitere; eo quod exiſtimarent eum, ut hominem novum in publicis, & Romanae Curiae negotiis, ac magnis rebus gerendis verſatum non eſſe; ſed libris dumtaxat, & ſcientiarum ſtudiis deditum, tantam majeſtatem, atque tantam auctoritatem capere non poſſe, aut ſubſtinere*.

Idem fere innuit Jacobus Auguſtus Thuanus *in Hiſtoria ſui temporis, lib.* XXXVII. *anno* 1566. atque *Gulielmum Cardinalem Sirletum excellenti eruditione, & vitae integritate commendari*, ait.

Extant Marci Antonii Flaminii viri celeberrimi verſus, quibus Gulielmum Hieronymo Cardinali Seripando enixe commendat; qui quidem verſus a Conſalvo Ponce Siviliano ſecreto Sixti v. Pontificis Cubiculario *in Operis S. Epiphanii* e Graeca in latinam linguam verſione inſerti ſunt; quos etiam refert Joannes Baptiſta de Tuſo *in Hiſtoria Relig. Cleric. Regul. cap.* 70. in quibus & doctrina, ac ſumma vitae integritas, caeteraeque animi dotes hujus Gulielmi commendantur.

Hieronymus Rubeus in libro *Hiſtor. Ravenn.* ipſius Gulielmi meminit.

Paulus Emilius Santorius *in Hiſt. Carbon. Monaſt.* vocat Gulielmum Sirletum *Cardinalem multae doctrinae, atque innocentiae*.

Antonius Angellius Acernenſis Epiſcopus *in Comment. ſuper Pſalmos, & in divini Officii Canticis*, in Epiſtola nuncupatoria ad Paulum v. Rom. Pontif. commendat Car-

Cardinalem Sirletum , *quem honoris cauſa nominat* , *maximis ejus beneficiis devinctus ; quo Duce ad Graecarum literarum cognitionem* pervenerit .

Thomas Boſius *de Signis Eccleſiae Dei lib.* IX. *cap.* 7. *ſigno* 36. *fol.* 375. meminit Bibliothecae Gulielmi Sirleti Cardinalis *omni doctrinarum genere excellentiſſimi , pietateque , ac religione praeſtantiſſimi ; quam poſt ejus obitum pari virtutum laude tunc florens Cardinalis Aſcanius Columna poſsidebat.*

Alphonſus Ciacconius *lib.* II. *de Vitis , ac geſtis Summ. Pontif.* , & *s. R. E. Cardinal.* in Celeſtino V. appellat Gulielmum Sirletum *e. R. E. Cardinalem* , *virum immenſae lectionis* , *& doctrinae* .

Frater Lucas Vuaddingus *in* III. *tomo Annal. Minorum* , ad annum 1318. *fol.* 233. n. 43. meminit hujus Cardinalis Sirleti , quem vocat *doctiſsimum* , *& clariſsimum de litteris* , *& re Eccleſiaſtica optime meritum* .

GVLIELMVS DE TOCCO Ordinis Praedicatorum ſcripſit latine ſimplici , puro, ac pio ſtilo , & fideliſſime *Vitam* , *& Miracula S. Thomae Aquinatis* , qui ipſum Sanctum Thomam in vita ſua vidit , & audivit docentem , & praedicantem ; in qua candor , & ſcientia integerrimae veritatis enitet . Habetur autem in vetuſtiſſimo volumine in membranis ſcripto , ut teſtatur Frater Thomas Malvendas *in Annalibus ſacri Ord. Predicat.* ad annum 1257. *cap.*31. *fol.* 564. quam quidem *S.Thomae Vitam* a Gulielmo conſcriptam idem Malvenda fere integram in iis Annalibus retulit, ac intexuit. Dum autem Gulielmus hic de Tocco dicitur , creditur illum fuiſſe ex oppido Tocco prope Beneventum , quod forte ejus patria fuit , & probabile videtur ; cum Religioſi viri tunc temporis ut plurimum de eorum patria cognominarentur .

HECTOR CAPICIVS LATRO Patricius Neapolitanus I. C. Cauſarum prius patronus inſignis , poſtea Regius Conſiliarius , ac tandem Regius Collateralis Conſiliarius, ac Regens regiam Cancellariam , edidit *Deciſiones noviſſimas Sacri regii Conſilii Neapolitani* , quae excuſae ſunt *Neapoli. anno* . 1640. *apud Jacobum Gaffarum . in fol.* Ex. Domino Philippo de Guzman Duci Medinae, de las Torres in Neapolitano Regno Proregi dicatas .

Item *Selectiorum Conſultationum juris in variis , ac frequentioribus facti contingentiis , una cum Deciſionibus , ſive reſolutionibus tribunalium , regii Collateralis , ſacrique Conſilii , ac regiae Camerae Summariae Regni Neapolitani* , quae excuſae *Neap. apud Jacobum Gaffarum* . 1643. *in fol.* Philippo IV. Hiſpaniarum Regi dicatae ſunt .

HECTOR DE GVIDO e Caſtrovillari in citeriori Calabria legum doctor , dioeceſis Caſſanenſis Generalis Viſitator , atque in Spiritualibus , & temporalibus Generali Vicario , & Antiſtiti Aſſeſſor fuit . Edidit tractatum *De viribus Confeſſionis judicialis, & extrajudicialis , tum in Criminalibus , quam in Civilibus* non ineleganti ſtylo , qui excuſus eſt *Neapoli. anno.* 1637. *apud Franciſcum Savium. in* 4. Ill. & Rev. Domino Paulo Palumbo Caſſanenſis Eccleſiae Epiſcopo dicatu .

Edidit quoque tractatum *De jure tertii* , qui praelo paratus eſt , ac cito prodibit in lucem .

HEGESIPPVS TARENTINVS poëta Comicus multa Graece ſcripſit , quae non extant . Ab antiquis vero auctoribus aliquot ejus Fabulae citantur . Athaeneus namque citat ipſius *Adelphous*, ideſt *Fratres. Oſpartytica*, ideſt, *de condimentis* , vel de *condendis obſoniis. Philetaeros* , ideſt *de placentis conficiendis* . Idem quoque Athenaeus *lib.* XIV. *cap.* 19. citat Hegeſippum , qui ſcri-

Digitized by Google

pſit *de Placentarum faciendarum ratione*.

Callimachus Cyrenenſis *in Tabula*, ſive *Indice* eorum omnium, qui in quavis diſciplina claruerunt, atque eorum, quae ſcripſerunt, meminit *Hegeſippum ſcripſiſſe librum de placentis conficiendis* & . . . *hoc eſt amicos*, & *neceſſarios*.

Hegeſippi *Palleniaca*, & *Miletiaca* citantur a Parthenio. Stephanus etiam in *Mecisberna* Hegeſippi meminit, qui *Palleniaca* ſcripſit.

Hegeſippi hujus Tarentini habentur *Teraſtica* tria in Maximi Planudis *Graecorum Florilegio*, quorum duo extant in *lib.* III. reliquum vero *lib.* VI.

Suidas tradidit hunc Crobilum eſſe cognominatum; & ſibi videri *Philippicam*, VII: quae Demoſtheni adſcribitur hujus Hegeſippi eſſe. Huic etiam tribuitur *Oratio pro Haloneſo*, quae Demoſteni inſcribitur. De Hegeſippo tandem Tarentino Geſnerus in ſua *Bibliotheca*, Gyraldus *de hiſtor. poetarum dial.* 8. Joannes Juvenis *lib.* III. *Hiſtor. Tarentin. cap.* 3.

HENRICVS ACCONCIAIOCVS de Ravello I. C. inſignis, & Regni Cauſarum appellationum Judex. De mandato Regiae Curiae compilavit *Ritus Magnae Curiae* ut tradit Marinus Freccia *in tract. de praeſentatione Inſtrumentorum. parte I. in princ. num.* 2. ubi appellat eum *ſubtilem doctorem*, & *Regni Cauſarum Auditorem*, *cujus quidem Ritus ab ejus aetate, ad haec uſque tempora uſui ſunt, ac pro lege ſervantur*.

Idem Freccia in lib. *de ſubfeudis cap. de antiquo ſtatu Regni num.* 33. vocat eum *doctorem celebrem*, & *acuti ingenii*. Quo autem tempore is vixerit habes ex Luca de Penna, qui eum commendat, & *dominum ſuum vocat in l. ſi apparitor. C. ſi de Cohartalibus. col.* §. *lib.* 12. his verbis: *Hanc opinionem tenebat ſubtilis ingenii Dominus meus Henricus Acconciajocus de Ravello*.

HENRICVS E S. BARTHOLOMAEO de Gaudio, Ordinis Praedicatorum, edidit Italice librum, cui titulus eſt, *Scaleo ſpirituale per le Menſe de' Religioſi, e degl' altri divoti, opera nuova miſta di medicina corporale, e ſpirituale di molto profitto a Padri, e Maeſtri dello ſpirito in guidare l'anime per via d' aſprezza, e penitenze diſcrete*, excuſ. *Neap. apud Secundinum Roncagliolum. in* 4. ill. & Ex. Domino Olympiae Aldobrandinae Burgheſiae Principi Roſſani dicatum.

HERACLIDES CVMANVS, qui *Perſica* quinque libris abſolvit, ut Diogenes Laërtius *lib.* v. *de vitis Philoſophorum*, in Heraclide Pontico, ait. Atheneus quoque *lib.* IV. *cap.* 6. citat Heraclidem Cumanum, qui *Perſicas res* ſcripſit.

Heraclides alter *Cumanus*, qui *Artes Rethoricas* ſcripſit, ut idem Laërtius ibidem affirmat. At duo hi Heraclides Cumani, an fuerint ex Cumarum Civitate in Campania prope Puteolos, an vero ex Cumis in Graecia, Laërtius non aperit, nec nos affirmamus.

HERACLIDES TARENTINVS, (qui quandoque *Heraclitus Tarentinus* a quibuſdam appellatur) Philoſophus, ac Medicus empiricus fuit; cujus meminit idem Laërtius loco citato *lib.* v. Mantiae inſignis medici diſcipulus *De pharmacis*, & quedam alia in Medicina ſcripſiſſe traditur, quae non extant; ſed a priſcis ſcriptoribus paſſim citantur. Scripſit namque librum ad Medicam facultatem pertinentem, *de Herbis*, *atque Arboribus*, *ſive ſimplicibus medicamentis*, quem Dioſcorides citat.

Galenus etiam ejus libri meminit *lib.* VI. *de ſimplic. Medic. facult.* ubi cum Pamphilum quendam, qui librum *de herbis* conſcripſerat, rejeciſſet, ſubdit haec verba: *At Dioſcorides Anazarbenſis quinque libris materiam omnem utilem abſolvit, non herba-*

barum tantum, ſed & arborum, & fructuum, & ſuccorum, & liquorum, memorans inſuper & metallica omnia, & partes animalium. Et mihi utique videtur omnium perfectiſſime tractatum de materia medicamentorum confeciſſe. Nam licet a majoribus multa de illis bene ſcripta extent; tamen a nemine omnium aeque de omnibus. Caeterum, quae ſcripta reliquit Heraclides Tarentinus, *& Cratevas, & Manteias, non in unum ordinem digeſta, nec in unum omnia collecta viſuntur, quaemadmodum ille, quae ſcripſit Dioſcorides.* Haec Galenus.

Teſtatur quoque Galenus Heraclidem ipſum *de Comptoria* ſcripſiſſe, quae deinde Crito coacervavit. Ejuſdem Heracliti Tarentini meminit idem Galenus *in Comment. Hippocr. lib.* III. *Epidemion. & lib.* IV. *de differentia pulſuum.*

Citatur quoque Heraclides Tarentinus *in Sympoſio* ab Athenaeo, qui paſſim ejus doctrinam refert in *lib.* II. *cap.* 25. & 30. & *lib.* III. *cap.* 3. & 20. qui quidem *Sympoſii liber*, ut ex iis, quae ibidem Atheneus ait, ad rem Medicam ſpectat. Idem Athenaeus ſaepius allegat Heraclidem Tarentinum; at non exprimit librum, ut *lib.* II. *cap.* LI. & *lib.* III. *cap.* 2. & alibi pluries.

Scripſit etiam *De Pharmacorum apparatu, & delectu*, ut Dioſcorides teſtatur. Citatur etiam a Plinio *lib.* XII. & XIII. quibus etiam libris Heraclides Medicus citatur alius, ab hoc; & *lib.* XXIII. & aliis in locis. Fuit enim alius *Heraclides Niceſius* Medicus, cujus meminit Laërtius loco citato.

Herax Cappadox Medicus a Galeno, Paulo Aegineta, & Aetio memorantur; & ab ipſo Galeno in *lib. de compoſit. ſecundum locos, & genera* citantur. Fuit diſcipulus Heraclidis Tarentini, ut ait idem Galenus.

De Heraclide tandem hoc noſtro Tarentino multa Conradus Geſnerus *in Bibliotheca*, Joannes Juvenis *in hiſt. Tarent. lib.* III. *cap.* 3. & Joannes Gregorius Schenkius *in Biblioth. Medica*. In libro qui inſcribitur *Veterum aliquot, ac recentiorum Medicorum, Philoſophorumque Icones, ex Bibliotheca Joannis Sambuci, cum ejuſdem ad ſingulas Elogiis, praemiſſo hac in editione vitae ſingulorum, & Scriptorum indiculo, additis ſub finem diverſorum de eiſdem Encomiis* impreſſ. 1603. *in Officina Plantiniana Raphelengii. in fol.* icon, & effigies hujus noſtri Heraclidis Tarentini conſpicitur *num.* 26. hoc addito elogio, quod referre placuit; cum vir tam inſignis Joannes Sambucus Tirnavienſis Pannonius praeclariſſimus Medicus, ac maximus Antiquarius in tam longinquis partibus poſitus, aliquot illuſtres hujus Regni viros celebrare curavit, quique ab humanis deceſſit anno 1584.

„ Heraclius Tarentinus (*reponendum* „ *exiſtimo* Heraclides Tarentinus) eo enim „ nomine Medicus quidam fuit Mantiae „ diſcipulus, quam poſtea Empiricorum „ ſectam elegiſſe ſcribit Laërtius. *De phar-* „ *macis*, & quaedam alia in Medicina „ ſcripſit. Teſtatur autem Galenus ipſum „ *de Comtoria* ſcripſiſſe, quae deinde Cri- „ to coacervavit. Scripſit etiam quaedam „ *de Medicamentis ſimplicibus*, teſte Dio- „ ſcoride, & *de pharmacorum apparatu*, „ *& delectu*. Citatur a Plinio *lib.* II. quo „ tamen & libro citatur alius Heraclides „ Medicus diverſus ab hoc, ut & XIII. „ & quatuor ſequentibus. Sed fortaſſe Ni- „ ceſium Heraclidem intellexit eo loco „ Plinius, de quo Laërtius. Athenaeus „ quoque lib. III. Heraclidis Tarentini „ *Sympoſium* citat, in quo libro (ut ap- „ paret ex eis, quae citat ibidem Athe- „ naeus) de re Medica egit. Quo aevo „ vixerit, incertum; ſaltem a Plinio, & „ Dioſcoride citatus illos aetate praeceſ- „ ſit.

He-

HERCULES CIOFANUS Sulmonenſis, vir Graeca, & latina lingua peritus, edidit in P. Ovidii Naſonis Metamorphoſes ex XVII. *antiquis libris* eruditas *Obſervationes, quibus loci quam plurimi & emendantur, & aliorum quoque tum Graecorum, tum latinorum poëtarum, aut ſimili, aut etiam varia doctrina illuſtrantur*. Liber quippe varia eruditione refertus, qui excuſus eſt *Venetiis*. *anno*. 1575. *apud Aldum*. *in* 8. Ill. Domino Jacobo Boncompagno arcis Santi Angeli Praefecto, ac S. R. E. Generali Gubernatori dicatus.

HEREMPERTUS ex illuſtri Longobardorum Principum proſapia, qui diu Benevento, ac Salerno, & finitimis regionibus dominati ſunt, Beneventanus Civis fuit; & Beneventi ipſe, ejuſque Majores commorati ſunt, ut ipſe de ſe teſtimonium perhibet. Scripſit autem latine inculto, incompto, ac barbaro fere ſermone (ut ea aetas ferebat) pergrandi volumine *Hiſtoriam Longobardorum Principum*, rerum nempe geſtarum a Beneventanis, ac Salernitanis Principibus Longobardis in iis locis, ac caeteris Apuliae, & adiacentibus regionibus, a temporibus Zachariae Papae auſpicatus, qui ſedit anno 741. & Rachis Italiae Regis, & Caroli Manni, Pipini Francorum Regis fratris in Italiam adventu, quod anno 747. contingit, uſque ad tempora Guidonis Marchiſii Beneventani Principis, & Kadelchis Principis ejus ſucceſſoris annum circiter 890. quo tempore Herempertus floruit.

Haec autem Hiſtoria manuſcripta in papyro, caractere Longobardo, Salerni in Archivio Majoris Eccleſiae aſſervabatur; ac Marcus Antonius Maſilius Columna Salernitanus Archiepiſcopus eam exinde eripuit, & inter libros inſignis ejus Bibliothecae repoſuit. Quo ab humanis ſublato in urbe Camerini, Legati Apoſtolici inibi vices gerente, ejus Bibliotheca in aliorum manus pervenit, ac multa inde deſcripta exemplaria habentur, Neapoli, Salerni, & Romae. Et praeſertim exemplaria, quod anno 1560. Marinus Freccia Regius Conſiliarius ſuis manibus ex proprio Salernitano authographo exſcripſit, ut ipſe ait *in tract. de ſubfeud. cap. . . de antiquo Regni Statu. n. . .* quod Neapoli apud ejus haeredes ſervatur.

Leo Oſtienſis *in Chron. Caſſin.* pluribus in locis eum auctorem citat, quem modo *Erchempertum*, modo *Herchempertum* appellat. Etenim libro 1. *cap.* 9. citat Domnum Herchempertum *in hiſtoria*, quam *de Longobardorum* gente, poſt Paulum Diaconum, ſcripſit; & *lib.* 1. *cap.* 19. citat Erchempertum in ejus *hiſtoria*.

Caeſar vero Cardinalis Baronius *tomo* X. *Annal. Eccleſ.* ad annum 871. citat Erempertum in *hiſtoria* manuſcripta Longobardorum Beneventanorum Principum; quam emendatiorem eſſe ait in Bibliotheca Cardinalis Columnae. Idem Baron. *in* IX. *vol. annal.* ad annum 787. vocat ipſum Erempertum, qui poſt Paulum Diaconum proſequutus eſt res Longobardorum, ejuſque ſcripta non in omnibus ab eo probari; quod & multa fabuloſa ab eo comminiſcebantur. At certe *Herempertus* in Authographo legitur.

At fortaſſe videtur is eſſe Herempertus Monachus Caſſinenſis, de quo Leo Oſtienſis *lib.* 1. *Chron. Caſſin. cap.* 46. loquitur. Ait enim *ſub Ioanne Papa* IV. *& Rogemprando Abbate Monaſterii Caſſinenſis, quod tunc Theani reſidebat, Angelarium quemdam virum nobilem obtuliſſe Caenobio Beati Benedicti apud Theanum, cum oblationibus,* Herchempertum *filium ſuum, docilis ingenii puerum. Cumque Graeci, ac Neapolitani Capuam tunc obſiderent, idem* Herchempertus, *cum aliis ſeptem Monachis e Theano Capuam tenderet, juxta Anglenam omnes e Graecis dejecti, & ſpoliati ſunt, & famuli eorum capti. Et famulis redemptis, & quinque equis recuperatis, ipſe ſolus, cum Magiſtro ſuo ad pedes remanſit, ſicque Capuam ingreſſus eſt, ut idem Herempertus de* *ſe*

Digitized by Google

ſe refert. Haec Leo Oſtienſis. Ejus libri *Epitomen* dumtaxat, quod ab eodem Heremperto conſcriptum fuiſſe creditur, typis traditum eſt, cum aliis *Chronicorum Scriptoribus*, ut ſuperius, in Antonio Caracciolo Clerico Regulari, diximus.

HIERONYMUS ANGERIANUS Neapolitanus poëta ſcripſit ad Joannem *Jacobum* Caſtilionaeum Mediolanenſem, Bari Archiepiſcopum, librum, qui nuncupatur . . . . . nempe *Eclogae de obitu Lidae. De vero poëta. De Parthenope*, qui impreſſus eſt *Neapoli*. *anno*. 1520. abſque nomine impreſſoris *in* 8. Prodiit quoque liber hic cum aliis ejuſdem generis libris, hoc titulo, *Poëtae tres elegantiſſimi, Michael Tarchaniota Marullus, Hieronymus Angerianus, & Joannes Secundus*. *Pariſiis*. 1582. *apud Dioniſium Duvallium*. *in* 16. & *Spirae* 1595. *apud Bernardum Albin*. *in* 8.

Habetur quoque liber is in primo *vol*. II. *Ital. poëtarum* Ranutii Gheri. Floruit autem Angerianus annum circiter 1520.

Ex ejus Epigrammate, ad Gaſparem Angerianum ejus patrem, elicimus eundem Gaſparem J. C. fuiſſe, & multos Magiſtratus in Regno fuiſſe functum, ejuſque Matrem ex Ariani urbe fuiſſe, ibique domos, ac fundos poſſidere.

Julius Caeſar Scaliger *lib*. VI. ſuae *Poëtices cap*. 4. taxat Angerianum, quod nempe *arguta multa ſcripſerit, ſed parum argute*.

HIERONYMUS BALDUINUS e Montearduo, oppido in Hydruntina provincia (quod *Monteſardum* vulgus appellat), philoſophus acutus, ac celeberrimus, ſcripſit, *Expoſitionem in libros* aliquot *Phyſicorum Ariſtotelis*, & *in Averrois ſuper eoſdem commentationem*, & *in Prologum Phyſicorum* ejuſdem *Averrois*; cui adjunctae ſunt *Quaeſtiones de forma corporeitatis*, & *de primo Cognito* doctiſſimae, ac ſubtiliſſimae.

Ejuſdem etiam Tractatus *De continuatione, intentione*, & *diviſione* VIII. *librorum Phyſicorum Ariſtotelis*. *Solutiones* quoque ejuſdem *decem contradictionum in quinque primis textibus primi libri Phyſicorum Ariſtotelis*, quae omnia ſimul impreſſa ſunt *Venetiis*. 1573. *apud* . . . . .

Poſt ejus mortem multa ipſius opera ad diverſorum manus pervenere; ſed in primis Frater Gometius Paganus Neapolitanus Ordin. Min. Theologus, accurate illa exquirens, ab interitu vindicavit; pleraque edidit in lucem; alia etiam edere pollicitus eſt. Prodita ſunt autem ab eodem Gometio *Quaeſita tum naturalia*, *tum logicalia*, *quae cum additionibus*, *ſcholiis*, *gloſſiſque marginalibus* ipſius *Gometii* excuſa ſunt *Neapoli*. *apud Matthiam Cancerem*. 1550. *in fol*. quae idem Gometius Marcello Pignono patritio Neapolitano, ac Caeſareae Majeſtatis Vicecancellario dicavit.

Pollicetur Gometius *in Nuncupat*. ejus libri *epiſtola*, ſe quamplurimas ejuſdem Auctoris elucubrationes typis tradere, & praeſertim aurean illam *Interpretationem*, ac maxime deſideratam *in magnam Commentationem Averrois libri Poſteriorum Analyticorum Ariſtotelis*.

Prodiit quoque Tractatus *De propoſitione ſingulari*, *an ingrediatur Syllogiſmum*, *adverſus Logicaſtrorum morologias*, quem Gometius dilucidavit, locupletavit, & in lucem edidit *Neapoli*. *apud Matthiam Cancerem*, & *Thomam Riccionum*. *anno*. 1556. *in fol*.

De regreſſu demonſtrativo Quaeſitum ab eodem Gometio dilucidatum, ac locupletatum recuſum eſt *anno*. 1557. *apud eundem Matthiam Cancerem*. *Neap. in fol*. & ab eodem excellenti Domino Joanni Jordano Arenari patritio Neapolitano dicatum.

Quaeſitum novum pulcherrimum, *ac optatiſſimum contra Scotum*, *ac communem viam*, *in quo enucleatur*, *an de ſubjecto praecognoſcatur*, *ſi eſt*, *aut de eodem aliqua demonſtrationis ſpecie inquiratur*: quod in

Digitized by Google

in luce prodiit Joannis Eliſii Neapolitani Artium, & Medicinae doctoris opera, cum ipſius Elyſii dilucidatione, ac locupletatione *Neapoli* . *ex Officina Raymundi Amati*. *anno* 1557. *in fol.*

Pollicetur Elyſius is in ejus libelli *epiſtola ad lectores*, multa Balduini opera mox in lucem tradere, & praeſertim uberrimam, ac concinnam *Expoſitionem ſuper libellum quinque vocum Porphyrii*, *atque Expoſitionem in prologum*, quem compoſuit *Averroes ſuper* 1. *Poſterior.* ab eodem Elyſio dilucidatum. Multa quoque quaeſita in logica, ac philoſophia extare ait ejuſdem Balduini in manuſcriptis.

Expoſitio quoque Balduini *in lib.* 1. *Poſter. Ariſtotelis cum Commentis Averroris*, *a Joanne Thoma Zancha Studii Neapolitani Rectore dilucidata*, & *cum additionibus*, & *annotationibus Joannis Vincentii Cottae Sarnenſis* prodiit; & *Venetiis* recuſa eſt 1563. *apud Hieronymum Scotum*. *in fol.*

Frater Conſtant. Sarnanus Ordinis minorum, qui deinde fuit S. R. E. Cardinalis *Expoſitiones quaeſtionum D. Joannis Duns Scoti in Univerſalia Porphirii*, ex variis locis collegit. Quibus adjecit Tractatum *de Syllogiſmis conficiendis*. Nec non *Solutiones argumentorum Hieronymi Balduini*, excuſ. *Venetiis* 1576. *in* 8.

HIERONYMVS BORGIVS, etſi in Siriſio Lucaniae Oppido, quae Magnae Graeciae pars eſt, natus; Neapoli tamen a pueritia verſatus, poëta fuit inſignis, & ex Pontani Academia: dein Maſſae lubrenſis Epiſcopus. Multa latino, atque optimo Carmine heroico, elego, ac lyrico ſcripſit.

Ex iis aliqua edita ſunt, alia vero M. S. remanent; quae omnia ſervat Joann. Baptiſta de Bella Legum doctor: ſunt autem haec:

Hieronymi Borgii electi Epiſcopi Maſſenſis Solatia noſtrae aetatis calamitoſae, ad Victoriam Columnam Heroinam illuſtrem.

Triumphus Pauli III. *Pontif. Max. Sapientiſque Principis de Chriſtiano Orbe divinitus pacato*, latino Carmine heroico, quem *Neapoli* . *nonis Auguſti*. *anno*. 1538. confecit, excuſus eſt autem *in* 4. abſque nomine, & loco impreſſoris, ac ſine die & conſule.

Incendium ad Avernum lacum horribile pridie Kal. Octobris 1538. *nocte intempeſta exortum* ad Paulum III. Pontif. Max. latino verſu heroico, quod conſcripſit *Neapoli idibus Octobris* 1538. impreſſ. *in* 4.

Urbis Romae renovatio ad Ill. Ducem Pyrrum Loyſium Farneſium, & Dominum Alexandrum Farneſium S. R. E. Cardinalem, heroico verſu, ac dialogo. *Oraculum* eodem verſu ad Lucam Gauricum Aſtronomum Clariſſimum. *Elegia* ad eumdem, quae ſimul excuſa ſunt *Romae*. 1542. *apud Antonium Bladum Aſulanum*. *in* 4.

Africanus Caroli V. *Caeſaris Roman. Imperatoris invicti Triumphus*, eodem verſu, & dialogo, quem abſolvit *Neapoli idibus Januarii* 1536. impreſſ. ſine die, & Conſule *in* 4.

Ad Carolum Caeſarem *Monarchia*, *de Capto Rege Gallorum*, *libellus* excuſus eſt in Italia, ut teſtatur Conradus Geſnerus in ejus *Bibliotheca*.

Epitalamion lepidum quidem, ac concinnum *in nuptias Joannis Alphonſi Herrici Neapolitani* equitis magnanimi, excuſ. *Romae* 1517. *apud Jacobum Mazocchium Romanae Accademiae Bibliopolam*. *in* 4. Hoc in lucem emiſit Janus Parrhaſius, & Hieronymo Carboni patritio Neapolitano nuncupavit, idemque Parrhaſius in epiſtola ad eumdem Carbonem, qua *Epitalamium* illud ad eum tranſmiſit, haec de Borgia ait: *Ecce tibi Hieronymus Borgia, quo praeter te, & Accium Syncerum, neminem video, qui divino Pontani ingenio, multiplicique eruditione propius accedat, Epitalamion affert, eleganter, docte, varieque, & ad Platonis etiam lucernam elucubratum*. Hoc quoque Epitalamium in nuptiis Ioannis Alphonſi Henrici equitis Neapolitani habe-

habetur excuſum in 1. *vol.* ejus libri, qui *Delitiae CC. Ital. poëtarum* nuncupatur, quem Ranutius Gherus collegit.

Conſcripſit etiam Borgia ad D. Petrum Toletanum, & Garcylaſſum viros inclitos & doctiſſimos, *Praeludium*, impreſſum *in* 4. ſine die, & Conſule, & loco impreſſionis.

Quae autem habentur in Manuſcriptis, haec ſunt: *Ecloga* I. Cynthius, Meletius, Meliſeus. *Ecl.* II. Meletius, Meliſeus, Cynthius. *Ecl.* III. Syrius, Damon. *Ecl.* IV. Felix. *Ecl.* V. Montanus, Chrommius. *Ecl.* VI. Meliſeus, Daphnus. *Ecl.* VII. Paliurus, Daphnis, Celta. *Ecl.* VII. Daphnis, Paliurus, Celta. *Ecl.* IX. Palaemon, Charopus, Menalcas, X. *Theogonia*. Galateus, Carbo.

Magica Epiphania ad Illuſtrem Principem D. Caeſarem Aragonium Federici Regis filium. II. *Elegia*, ut in aliis codicibus legitur, *Elegia Magorum*. III. *Fons Italiae malorum*. IV. *Alexander Iracundus*, ad Bartholomaeum Livianum Veneti exercitus Imp. V. *Satyrarum luſus*, Gynopus, Meliſeus. VI. *Deploratio Hymenaei malae nuptae Virginis*: VII. *Divae Conſtantiae Avalae Apotheoſis*, ad Thomam Cadamuſtum Laudenſem Medicum optimum apud Paulum Pontif. Max. VIII. *Panegyricus in laudem Joannis inclyti Luſitaniae Regis*. IX. *Joannis Baptiſtae Chryſonii* equitis nobiliſſimi *Epitalamium*. X. *De Salutifero Chriſti trophaeo*. XI. *De Ortu, & reparatione philoſophiae*, ad Magnanimum Trojanum Cabanilium Montellae Regulum.

In alio Manuſcripto Codice operum ejuſdem Hieronymi Borgii Poëmata, ac Elegiae nempe: I. *Romae excidium* a Carolo Borbonio Gallo rebelli, Germanorum, Hiſpanorum, Italorumque perditorum Duce, ibidem perempto, illatum, nonis Maii infauſtis, anno fatali 1527. *Elegia*. II. *Ad Urbem infelicem* a Tyberi ſuo inaudita vaſtitate inundatam poſt Lunae defectum nonis Octobris 1530. III. *Panegyricus de* inclita victoria Bartholomaei exercitus Imperatoris, contra Germanos. IV. *Apologia pro Illuſtri Barthol. Liviano* Veneti exercitus Imperatore, ad Petrum Bembum, apud Soracte Kal. Novemb. 1513. V. *De pugna Ravennate*, ad Trojanum Cabanilium Montellae Comitem. VI. *Panegyricus de laudibus inclitae Heroinae Iſabellae Aragoniae* Ducis Mediolani, ad Chriſoſtomum Columnam *Elegia*. VII. *Tragica Elegia* ad Italiam, & Galliam infelices. VIII. *Ecloga Gallicana* ad Joannem Meletum Gallum diſcipulum ſuum. IX. *Ecloga Daphe*, in qua Franciſcus Petrarcha, & Laurus manu ipſius apud tumulum in agro Patavino conſita praecipue canuntur, *Elegia*. Varia etiam epigrammata, Hymni, aliaque Carmina in iis Manuſcriptis libris habentur.

Ex aliquibus ipſius manuſcriptis operibus, & praeſertim ex eo poëmate, quod inſcribitur, *Fons Italiae malorum*, habes ejus temporis miſerias, ac calamitates, & quidquid boni, vel mali in Regno hoc, aliiſque Italiae locis citat. Is autem, ſub fictis Satyrorum, ac paſtorum nominibus, principes viros, nationes, alioſque recenſet, ac carpit.

Ipſius quoque Borgii elegans Epigramma in Auguſtini Niphi *de regnandi peritia* librum, cum eo libro excuſum eſt *anno* 1523. & aliud in libro ejuſdem Niphi *Dilucidario metaphyſicarum quaeſtionum*, excuſo *Neapoli anno* 1511. Item aliud quoque Epigramma habetur in Scipionis Capicii libri *de Vate maximo* editionis Neapolitanae *anni* 1535. *in* 4.

Conſcripſit etiam Borgius *Hiſtoriam* rerum geſtarum *ſui temporis*, quam XX. libris abſolvit, ut teſtatur Lucas Gauricus in libro *de vera nobilitate*, cujus verba mox recitabimus.

Joannes Pontanus *lib.* II. *Eridanorum*, Epigramma ſcribit ad Hieronymum Borgium, quem vocat *Poëtam elegantiſſimum*. In quo ejus familiam ex Hiſpania originem trahere, atque ejus avum Neapolim ob bellorum amorem devectum ait, cum que Hieronymum in Siriſio, Lucaniae oppido,

pido, prope flumen Sirim, natum, hunc in modum teſtatur:

Siriſium, Borgi, domus eſt tua, quam rigat amnis
Siris, in Herculeis advena littoribus
Hic conſedit avus, terra advectus Ibera,
Quem procul a patria matris abegit amor.
Te nec bella juvant, nec te juvat aereus enſis,
Parta nec hoſtili praeda cruore placet.
Otia Muſarum ſequeris, dulciſque receſſus,
Proque tuba colitur, tibia blanda tibi. &c.

Hoc etiam idem Borgius teſtatur in *Elegia ad Jacobum Jovium concivem, & conſanguineum ſuum*, quae in ejus operibus habetur, in qua ſe in Seriſio, celebri Lucaniae oppido, in magna Graecia poſito, quod Siris flumen alit, fuiſſe ortum ait. Item, quod *Borgia* familia, ac domus, ex Hiſpanicis bellis illuc advenerit; Romamque peragraſſe: demum Siriſium reverſam eſſe. Dein, quod ipſe virtutum, ac laudis deſiderio excitus varias urbes peragrarit, & in humanioribus litteris Joannem Flaminium virum doctiſſimum habuerit praeceptorem; deinde Neapolim veniſſe, ubi bonas litteras didicit, ac poëſi incubuit, & Pontani amicitia, ac diſciplina in litteris maxime creviſſet: tandemque per decem annos militaſſet, poſtquam Patavii a Marco Muſuro Cretenſi praeceptore Graecas litteras didiciſſet, & ab Auguſtino Nipho philoſopiam, atque Aſtrologiam audiviſſet.

De eo multa Lucas Gauricus in ſuo libro *de vera nobilitate*, quae hic inſerere placuit, ut praeclariſſimi hujus viri memoria ab interitu revocetur. „ Succeſ-
„ ſit poſtmodum Pontano in Academia
„ Neapolitana Hieronymus Borgius, ejus
„ inter praecipuos diſcipulos, Siriſii, quod
„ eſt oppidum Lucaniae celeberrimum, &
„ amoeniſſimum, ſanctis parentibus ortus.
„ Qui ab ineunte aetate Neapolim alteram
„ potiore judicio patriam ſibi delegit; ubi
„ ſub Federico Rege, & Pontano Prae-
„ ceptore diu floruit: poſtea vero pulſo
„ Rege, & Pontano vita functo, Bartho-
„ lomaeum Livianum Ducem fortiſſimum
„ ſecutus, inter crebra Italiae excidia do-
„ ctior, & clarior evaſit, duriſſima mili-
„ tia duodecim annos perfunctus. Denique
„ quinquaginta annos adverſiſſima fortuna
„ colluctatus, numquam ceſſit; ſed ſem-
„ per ad litteras aerumnarum arcem con-
„ fugiens, multa viro, digna forti, poëma-
„ ta heroico, elego, lyrico eleganti car-
„ mine conſcripſit; quae *Solatia* nuncupari
„ voluit, longos labores muſarum cantu
„ conſolatus. Condidit & interim ſui tem-
„ poris Hiſtoriam in xx. libros digeſtam;
„ quam, qui lectores (veluti ego expertus ſum)
„ omnino avida lectione haurient; proba-
„ bunt: utpote veritati ſacrificantem, lu-
„ cidam, ac brevem (& quod eſt pul-
„ cherrimum), nulli tyranno parcentem.
„ Borgius etiam noſter jure optimo nobi-
„ liſſimus cenſeri debet; qui virtute duce
„ invicta ad ſenectutem beatam pervenit;
„ cui ad ſummam gloriam hoc etiam nu-
„ per acceſſit; quod cum nihil tale pe-
„ tentem, nec ambigentem quidem, Pau-
„ lus III. Pontif. Max. uſquequaque do-
„ ctiſſimus, ſponte ad Pontificalem digni-
„ tatem evexit: & quod eſt jucundiſſi-
„ mum, patriae Syrenum amoeniſſimae
„ praefecit, & Maſſae, in Promontorio Mi-
„ nervae ſemper florenti, Sponſae conjun-
„ xit; ubi Romani veteres, & Tiberius
„ Caeſar ſenectam beatiſſimam egerunt.
„ Adde & illud, quod raro ulli unquam
„ contigit, laetiſſimus Pontifex, *oraculo*,
„ in Sacroſancto Cardinalium conſeſſu, epi-
„ ſcopali honore digniſſimum judicavit, ac
„ declaravit; egregiiſque laudibus ejus probos
„ mores, & eruditionem extulit. Continuo
„ permulti Cardinales *Muſae Borgianae*
„ ſtudioſi, electo Antiſtiti gratulantes prom-
„ pta liberalitate veſtibus eum purpureis,
„ doniſque aliis, huic dignitati conſentaneis,
„ adornarunt. “

Hos Hiſtoriarum libros a Borgio conſcriptos, qui a Gaurico memorantur, à nobis diu quaeſitos, reperire non contingit; at Conradus Geſnerus *in ſua Bibliotheca*

quae

quae anno 1548. in lucem prodiit, meminit poëmatis ipſius Borgii *de incendio ad Avernum Lacum*, ſubditque *nunc eum* (Borgium) *hiſtorias conſcribere*.

HIERONYMUS BRITONIUS, e Sicilianoppido, in citeriori Principatu, poëta, ſcripſit quaedam Carmine, tum latine, tum Italice, rudiuſculo tamen ſtylo, ut ea tempora ferebant, nempe:

Libellum latine, quod nuncupavit *Olyſbonae regiae Luſitaniae Civitatis Carmen*, ad Paulum III. Rom. Pontif. quod *Romae* excuſum eſt *anno*. 1546. *in* 4. abſque nomine impreſſoris.

Item *Sermonem* in latinum Carmen redactum *De diſceſſu Alexandri Farneſii Cardinalis, & Octavii Ducis fratrum, contra Lutheranos euntium*, & de hortatu Pauli III. Pontif. Max. ad eos, & ad reliquos duces, & de vaticinio miſeri exitus inimicorum; quem Auctor Joſepho Canzelmo Populi Duci dicavit: excuſus eſt autem ſine die, & conſule, & loco impreſſionis *in* 4.

Opuſculum latino Carmine *De quatuor lari is marmoreis repertis ante limina palatii Domini Nicolai Cardinalis Rodulphi*, quod eidem Cardinali dicavit, & *Romae prodiit ex Officina Valerii Dorici, & Ludovici fratrum Brixianorum*, abſque anno impreſſionis *in* 4.

Quae autem Italice Carmine ſcripſit, haec ſunt: *La geloſia del Sole*, nempe *Sonetti*, *Canzoni*, *Seſtine doppie*, *non doppie*, *Matrigali*, & dominae Victoriae Davalae Columnae Piſcariae Marchioni dicavit, quae omnia excuſa ſunt *Neapoli*. *anno*. 1519. *apud Sigiſmundum Mayr Alemanum*. *in* 4. ac deinde recuſa aliis in locis.

Dialogum paſtoralem, *maritimum*, & *Nymphalem* elegantem, ac concinnum Italico rithmo in gloriam Creationis Papae Pauli III. in quo interlocutores inducit Piſcatores, Paſtores, ac Nimphas maritimas, qui coram eodem Pontifice in Molae Adriani recitatus eſt, & excuſus *Romae*. *apud Antonium Bladum Auſulanum*, *anno*. 1535. *in* 4. Ill. equiti D. Franciſco de Toledo ab auctore dicatus.

Edidit etiam librum, quem nuncupavit, *Cantici, & i ragionamenti, e quelli del Pontefice in favore della Santiſſima Romana Chieſa* ad Alexandrum Cardinalem Farneſium ViceCancellarium impreſſ. *Venetiis*. 1549. *apud Baldaxarem Conſtantinum*. *in* 8.

A Lylio Gregorio Gyraldo in *hiſtoria poëtarum* in I. *dial. de poëtis noſtr. temp.* inter inconditos, ac malos poëtas latinos Britonius enumeratur; de quo Iambum illud Baptiſtae Sangae Romani poëtae clariſſimi ejus temporis in Britonium citat.

Praetor graveſcat: mittitur Britonius
Ardente ſub canicula &c.

Et quae ſecuntur. Eos Sangae verſus habes *in* II. *volum. Delit. CC. Ital. poët.* a Ranutio Gheto collect.

HIERONYMUS CAPHNUS Salernitanus inſignis Grammaticus edidit *Ciceronis Phraſes ad rectam latine loquendi materiam*, *ac normam apprime utiles*, & Domino Hypolito Cardinali Eſtenſi dicavit, excuſ. *Venetiis*. 1587. *apud Joannem Antonium Bertanum*. *in* 8.

Grammaticam, item *Metrum*, ac *Compendium de arte Metrica*, *Enchiridion de Orthographia*, *deque multiplici ratione variandae Orationis*, *atque conficiendarum Epiſtolarum*, & *de ſtructura Orationis* Carmine exametro. Item *Grammatices Epitome*, quae omnia ab auctore Paulo Manutio nuncupata ſunt. *Romae*. *apud heredes Melchioris Seſſae*. *in* 4. & alibi.

Edidit quoque *Elocutiones*, *atque Clauſulas e ſingulis M. Tul. Cic. Epiſtolis*, *atq. ex Orationibus pro lege Manilia*, *pro Archia*, & *Verrinis*, quas Italica lingua expoſuit. *Dialogum quoque de ratione interpretandi*. *de puro*, & *emendato ſermone*; *ac epitome*

Digitized by Google

Rhetorices impreſſ. *Venetiis* : 1527. *in* 8. *apud*.

Vixit autem Caphnus hic anno 1560.

HIERONYMUS COLUMNA, etſi genere Romanus, Neapoli tamen ortus, & educatus eſt. Patrem habuit Fabium Columnam Pompei Cardinalis Columnae pro Carolo v. Caeſare in Neapolitano Regno Proregis filium; matrem vero Catherinam Pellegrinam Hieronymi Pellegrini patritii Surrentini, ac Caprearum Comitis, Abellae, Pratae, aliorumque oppidorum reguli filiam. Vir Graece, ac latinae linguae peritiſſimus, profundae eruditionis, maximae, atque accuratae lectionis, & in antiquorum libris verſatus; & omnes illorum angulos exploratos habens. Cum ampliſſimam, ac inſtructiſſimam Bibliothecam, uſque ad oſtentationem haberet, *Ennii vetuſtiſſimi Poëtae Fragmenta omnia, quae extant* ex mille antiquorum libris collegit, atq: *doctis Commentariis* explicavit, direxitque ad Joannem Columnam filium, quae excuſa ſunt *Neapoli*. *anno*. 1599. *apud Jo. Jac. Carlinum*, & *Ant. Pacem*. *in* 4.

De Hieronymo, ejuſque libro hoc judicium facit Paulus Merula *in Q. Ennii Annalium Fragmentis* a ſe collectis, & illuſtratis *Lugduni Batavorum* editis *anno*. 1595. *in epiſtola ad lectorem*, atque ait, quod, cum ipſe Enii Poëtae Annalium libros xxv. qui apud varios auctores ſuperant, Fragmenta collecta componeret, ac illuſtraret, accidit, ut ait, his verbis: *Quem, quum ad umbilicum fere perduxiſſem, prodiit praeter ſpem, in omnia hujus Poëtae opera, Explicatio Hieronymi Columnae, viri (quod ſcripta teſtantur, quodque magni Scaligeri eſt judicium) litteratiſſimi, infinitae lectionis, cui in eruditorum, apud Italos, ſenatu primae merito tribuendae ſunt; Viri, quod ab aliorum mihi relata & ſcripta, generoſo Sanguine, & ſtatu nobiliſſimo: Viri denique, cujus indicium undique mihi candiſſimi, & cum humaniſſimis quibuſve ſua ſumma certantis humanitate. Tanti viri induſtria ita mihi placuit, ut rogatus a nonnullis ſententiam paucis dixerim, ipſam diligentiam non poſſe quid dare diligentius. Quam enim ſedulo omnia conquirit? quam dextre depravata emendat? in quam aptos ſingula redigit numeros? quam docto omnia illuſtrat Commentario? quanto cum fructu Graeca, quae laudari erat neceſſe, facit latina, alibi ſententiam exprimendo, alibi verba, alibi pari orationis tractu ingrediendo, alibi paucis multa, multis pauca exprimendo? &c.*

Antonius Poſſevin. *in* 11. *vol. Bibliot. Selectae lib.* XII. *cap.* 64. loquens de P. Ovidio poëta, Hyeronimi Columnae *in Fragmenta* Ennii *laborem eruditum* appellat.

Scripſit quoque Hieronymus Columna latine *Proverbiorum librum*, qui adhuc editus non eſt.

Obiit autem Neapoli anno 1586. & in Divae Annunciatae in familiae Sacello ſepultus eſt, in quo hoc cernitur epitaphium:

D. O. M.

HIERONYMO COLVMNAE ROMANO TANTO GENERE AC PATRIA DIGNISSIMO MAIORVM SVORVM GLORIAM SEQVVTO OCTAVIVS PELLEGRINVS EX MATRE FRATRI B. M. P. OBIIT DIE III. APRILIS M.D.L.XXXVI. AETATIS SVAE ANNO LIV.

HIERONYMUS COPPULA, Neapolitanus, Clericus regularis Theologus, edidit librum, quem inſcripſit *Maria coronata di privilegi*, *Diſcorſi*, qui excuſus eſt *Neapoli*: *apud Camillum Cavallum*. 1633. *in* 4. Ex. Domino Antonio Aloyſio de Leyva Aſculi Principi dicatus.

HIERONYMUS FASOLUS Neapolitanus e Societate Jeſu Philoſophus ſacrae Theologiae in Collegio Neapolitano profeſ-

feſſor, edidit *Commentaria in primam partem Summae San. Thomae*, quae tribus tomis continentur, quibus explicat *materiam De Deo Uno, et Trino, & de Creatione*. Quorum primus excuſus eſt *Lugduni. anno. 1623. apud Ludovicum Proſt haeredem Roville. in fol.* ingenioſiſſimis Theologiae auditoribus e Societate Jeſu ab auctore dicatus, a Ludovico vero Proſt Lugdunenſi dicatus Ill. & ampliſſimo Antonio Segnier Regi ab utroque conſilio in Curia Pariſienſi Praeſidi ſecundo, domino de Villiers, Taurqueuix.

Secundus vero tomus impreſſus eſt *ibidem. 1629. apud Andream Jacobum, & Matthaeum Proſt. in fol.* Ill. & Rev. Principi Franciſco Rupiſuſcaldio S. R. E. Cardinali.

Tertius autem tomus editus eſt *Lugduni. apud Jacobum, & Petrum Proſt. 1636. in fol.* Em. & Rev. Domino Franciſco Mariae S. R. E. Cardinali Brancatio dicatus.

Scripſit quoque Tomum unum *De gratia*, & alia, quae editionem expectant. Obiit autem Neapoli die 16. Februarii 1636.

HIERON. FONTANELLA Neapolitanus Clericus Saecularis elegans poëta Etruſcus, ſcripſit nonnulla Italo Carmine non fine lepore, ac venuſtate, nempe:

Ode conſecrata all' Immortalità dell' Ill. ed Ecc. Sig. Principeſſa di Stigliano, e Vice-regina nel regno di Neapoli, excuſae *Neapoli. anno. 1638. apud Robertum Mollum. in 12.*

Nove Cieli, dedicati all' Altezza Sereniſſima di Ferdinando II. Gran Duca di Toſcana, impreſſ. *ibidem. apud eundem. 1640.* eadem forma.

Elegie, dedicate all' Ill. ed Ecc. Signore D. Diomede Carrafa Duca di Madoloni &c. excuſae *ibidem. apud eundem. 1645.* eadem forma.

Obiit autem menſe Auguſti 1644. in Leucopetra, quae *Petralba* vulgo dicitur, ac Pagus eſt Neapolitanae Civitatis.

HIERONYMUS HENRICUS Neapolitanus Philoſophus, ac Medicus ſcripſit libellum *De attenuante victu Ecclida* ad Camillum Petrum Philoſophum, ac Medicum celeberrimum, & unum de Neapolitano Collegio, quem D. Joannes Uries in provinciis Capitanata, & Comitatus Moliſii Praeſidi dicavit, excuſ. *Neap. 1602. a Dominico Tabanella. in 4.*

HIERONYMUS MARAFIOTUS Poliſtinenſis Calaber Ordin. Min. obſervantium Theologus edidit Italice *Chronicum, & antiquitates Calabriae* ad Dominum Ectorem Pignatellum Montisleonis Ducem, quod *Neapoli. anno. 1596. ex Officina Stelliolae* prodiit *in 8.* Dein ab eodem auctore recognitum, & valde auctum *Patavii* recuſum eſt *apud Laurentinum Paſquatum. 1601. in 4.* Ill. Domino Baldaxari Milano Sancti Georgii Marchioni, & Poliſtinenſium domino dicatum.

Elucubravit quoque latine libellum *De arte reminiſcentiae per loca, & imagines, ac per notas, & figuras in manibus poſitas*, qui *Venetiis. anno. 1602.* excuſus eſt *apud Jo. Baptiſtam Bertonum. in 8.* eidem Marchioni dicatum. Dein in Italicam linguam translatus a D. Theſeo Manſueto Urbinate Canonico Regulari Sancti Salvatoris, prodiit *ibidem* eodem anno.

Edidit latine *Annotationes Evangelicas lucidiſſimas a Feria 4. Cinerum, uſque ad Feriam 3. Paſchatis incluſive*, in quibus nedum littera Evangelii poſita ad verborum ſonum explicatur, verum etiam ſenſus anagogici, ac tropologici elucidantur; multa etiam Sacra Scripturae loca explicantur: & Domino Baldaxari Milano Sancti Georgii Marchioni, ac Poliſtinenſium Domino nuncupavit. Excuſae autem ſunt *Neapoli. anno. 1608. in typogr. Jo. Bapti-*

Digitized by Google

puſtae Subtilis apud Scipionem Boninum. in 4.

Scripſit quoque librum *de Sacris numerorum Arcanis*.

HIERON. MONOPOLITANVS Apulus, ordinis Praedicatorum, Concionator illuſtris, Philoſophus, ac Theologus excellens, Patavii, & Neapoli magna auditorum frequentia, & plauſu Methaphiſicae Cathedram diu rexit. Scripſit autem librum *Enchiridion de neceſſitate bonorum operum, & de veritate Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiae adverſus Zuinglium*; quem poſt ejus mortem Alphonſus Caracciolus patricius Neapolitanus Burgentiae Regulus in lucem edi curavit, & Paulo III. Summo Pontifici dicavit. Excuſus eſt autem *Neapoli. apud Joannem Sultzbacchium Hagenovenſem Germanum. in 8. anno* 1539.

Item *Tractatum in Divi Athanaſii Symbolum. Commentaria in Ariſtotelis Methaphiſicam*, ut Antonius Poſſevin. *in* II. *vol. App. ſacri*.

Fuiſſe autem Hieronymum ex Familia de Hippolito, ac legiſſe Patavii, & Neapoli magna ſcholarium frequentia, & Archiepiſcopum Tarentinum fuiſſe electum, & Viterbii, antequam Eccleſiam ſuam viſeret, obiiſſe anno 1527. teſtatur Joannes Juvenis *in hiſtor. Tarentinorum lib.* VIII. *cap.* 3.

Michael Podius in 2. parte *de viris illuſtribus* ejus *Ordinis lib.* IV. *cap...* ait, *Hieronymum* hunc noſtrum *virum fuiſſe doctiſſimum philoſophum, ac theologum inſignem, Patavii, & Neapoli magno ſcholarium favore, atque attentione diutius legiſſe; Regni hujus provinciam aliquando moderatum, maximae authoritatis apud omnes; in converſando gratioſum; in dicendo facundum, & potentem; atque Venetiis in Eccleſia Sanctorum Joannis & Pauli ejus Ordinis hanc legi in ejus Sepulcro inciſam inſcriptionem*;

FRATER HIERONYMVS DE MONOPOLI ARCHIEPISCOPVS TARENTINVS INSIGNIS DOCTOR ORDINIS PRAEDICATORVM HVIVS CONVENTVS FILIVS OBIIT MDXXVII.

De Hieronymo hoc Monopolitano, ejus doctrina, ac libris, facundia in concionibus ad populum, ac fervore; lectura Patavii, ac Neapoli, & Tarentina Eccleſia adepta, & ejus morte Viterbii anno 1528. Leander Albertus *in Deſcriptione Italiae*. Antonius Senenſis *in Bibliotheca vir. illuſtr.* ejus Ordinis, & Frater Alphonſus Ferrandes *de Scriptor. Praedicat. famil.*

HIERONYMVS MORLINVS Neapolitanus legum doctor, ſcripſit latine, bono, ac nitido ſtilo *Novellarum librum*, quae ſunt LXXX. numero, facetae quidem, ac ſale reſperſae; *Fabulas* inſuper XX. ac *Comoedias latino carmine*: quae omnia excuſa ſunt *Neapoli. apud Jo. Paſquet de Sallo. anno.* 1520. *in* 4.

HIERON. NEAPOLITANVS Abbas Generalis Olivetani Ordinis, ſcripſit librum *de Profectu, ac defectu Monachorum*, ut teſtatur Ant. Poſſevin. *in* II. *vol. App. Sacri*.

HIERONYMVS DE NEAPOLI Ordinis Heremitarum Sancti Auguſtini Philoſophus, ac Theologus illuſtris, cujus meminit Ambroſius Coriolanus ejus Ordinis Generalis, qui in libro, quem inſcripſit *Defenſionum contra Canonicos regulares Congregationis Friſonariae*, & Sixto IV. Romano Pontifici obtulit, non obſcurum teſtimonium de ejus doctrina, ac ſcriptis perhibet, dum ſic ait: *Magiſter Hieronymus de Neapoli Philoſophiae, ac Theologiae ſuo tempore princeps, Nicolai* V. *Praeceptor, a quo Praeſul Calaber effectus in ſuo ſenio Graecas litteras didicit, in quibus ſic evaſit peritus, ut de* Grae-

Graeco in latinum, *ac etiam e contra de latino in Graecum multa memoratu digna traduxerit*; *in utraque compoſuit*.

Idem teſtatur Conradus Geſnerus in *Bibliotheca*. Idem quoque refert Fr. Thomas Gratianus in *Anaſtaſi Auguſt. de Scriptoribus Ord. Eremitarum*, qui ſuperaddidit eundem Hieronymum *ſcripſiſſe etiam Centurias ejus Ordinis*, & claruiſſe anno 1440.

HIERONYMVS ROCCVS Conſentinus ſcripſit Italice *Demetriam*. *Tragoediam*, quae excuſa eſt *Romae*. 1628. *apud Franciſcum Corbelletum*. *in* 12.

Relationem Funeralis Dominae Sitti Maanae Joeride de Valle, quod Romae celebratum eſt anno 1627. excuſam *Romae*. *eodem anno* 1627. *apud haeredes Bartholomaei Zannetti*.

Orationem funebrem in laudem Equitis Joannis Baptiſtae Marini, excuſam *Romae*.

Leo Allatius in ſuo libro *Apum Urbanarum*, ſive *de viris illuſtr.* meminit Auctorem hunc ſcripſiſſe haec etiam, quae editioni parabat: *Orazioni*, *e Diſcorſi fatti in diverſe occaſioni nell' Accademia del Signor Cardinal di Savoja*, *ed in quella delli Signori Umoriſti*, volumen; item *Liſimacho & Santa Barbara*, *Tragoedias*.

HIERON. SERIPANDVS patritius Neapolitanus, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, Congregationis Sancti Joannis ad Carbonariam de obſervantia, vir acutiſſimi, & acris ingenii fuit. Philoſophus inſignis, ac Theologus eminentiſſimus, & in ſacra pagina, & doctrinis Patrum, & in aliis litteris, ac diſciplinis eruditiſſimus, extitit ſacrae Theologiae Magiſter, concionator facundus, & illuſtris, praedicandi gratia apud Principes, & Populos ſuo ſaeculo celeberrimus. Praeter haec linguarum Graecae, & Latinae valde eruditus, ſcribendi elegantia tum latine, ac Italice, tum Graece praeſtans; vir nedum ſingularis doctrinae, ſed prudentiae etiam, ac vitae integritatis. Sui ordinis generalis Prior anno 1539. creatus eſt; quem per plures annos ſumma vigilantia, & prudentia rexit, ac multis laboribus, & itineribus omnia fere ſua Religionis loca viſitavit, per Italiam, Belgium, Germaniam, & Galliam. Tandem depoſito ſponte ſupremo eo Magiſtratu ob adverſam valetudinem, a Civitate Neapoli Orator ad Carolum v. Caeſarem pro gravibus rebus miſſus eſt, anno 1554. Dum autem ea legatione, Civitatis ſuae nomine, fungeretur, ab eodem Imperatore Archiepiſcopus Salernitanus deſignatus eſt, & a Julio III. Pontifice Max. confirmatus; dein ad Generale Concilium, quod Tridenti celebrabatur, profectus, cum per aliquod tempus ibi ſtrenue ſuam operam navaret, Romam a Pio IV. acceſſitus, ac Cardinalis creatus eſt die... retenta Salernitana Eccleſia, & ab eodem Pontifice ad idem Tridentinum Concilium Legatus a latere miſſus eſt; ubi poſtea ad caeleſtem vitam migravit die 13. Martii 1563. & ſepultus eſt in templo Sancti Marci ejus Ordinis, hac appoſita inſcriptione:

HIERONYMO SERIPANDO CARD. CONCIL. TRIDENT. LEGAT. CHRISTOPHORVS PATAVINVS SODALITII EREMIT. MAGISTER P. V. A. LXX. MDLXIII.

SI QVIS HONOS TVMVLI QVANTVM SOL LAMPADE LVSTRAT TERRARVM CAELIQVE TVVM EST SERIPANDE SEPVLCRVM.

Scripſit Seripandus docte, ac eleganter Commentaria *in omnes D. Pauli*, *ac ſeptem Canonicas epiſtolas Apoſtolorum*.

Item *Expoſitionem in Evangelia*, quae in Quadrageſima leguntur.

Quaeſtiones LXVII. *adverſus Haereſes hujus temporis*.

Libros III. *de hominis juſtificatione*.

Tractatum unum *de peccato Originali*.

Sermones, quos in Majoribus ſolemnitatibus *ad Fratres* habebat.

Li-

Libros IV. *diverſarum materiarum praedicabilium.*

De Juſtitia, & Libertate Chriſtiana.

De Gratia. Libero arbitrio, & Praedeſtinatione, ad Marcum Antonium Flaminium.

Conciones XIX. *ſuper Orationem Dominicam.*

Orationes ab eo, ut ferebat occaſio, habitae.

De libris Sacrae Scripturae. de Sacramentis in genere. De Baptiſmo. de Confirmatione, Collecta, & excerpta varia ex Divo Auguſtino, & aliis.

Farrago Concilii, de his, quae Tridenti, & Bononiae ſub Paulo III. tractata ſunt, ac Series Tridentinarum actionum anno 1545.

Acta ſuae *Legationis ad Carolum* V. *Imper. pro Neap. Civitate* latine, elegantiſſime ac profuſe ſcripta.

Incredibile fere videtur quanti, & indefeſſi laboris in litterariis ſtudiis is fuerit. Vidimus enim ſex pergrandia volumina, ejus propria manu ſcripta; quae is appellavit *in memoriae ſubſidium*; in quibus varia ad Philoſophica, Hiſtorialia, Platonica, Scripturalia, ac Theologica pertinentia adnotavit. Plures, libros e Graeco in Latinum, exercitationis gratia, ab eo translatos, propria manu ſcriptos, licet non abſolutos; ac etiam obſervavimus fere omnes ejus Bibliothecae libros annotationibus, correctionibus, gloſſis, ſcholiis, marginalibus, ac interlinearibus ſua propria manu ipſum concinnaſſe.

Haec autem adſervantur in Bibliotheca ejus Monaſterii Sancti Joannis de Carbonaria, quam ipſe extruxit, & innumeris libris optimis ex omnium ſcientiarum genere tum impreſſis, tumque manuſcriptis replevit.

De his autem omnibus Seripandi operibus haec dumtaxat in lucem edita ſunt, nempe *Commentarius in Epiſtolam Beati Pauli ad Galatas.* Ejuſdem *ad nonnullus Quaeſtiones ex textu Epiſtolae ad Galatas, quibus ad ſua confirmanda dogmata abutuntur Haeretici, Catholicae Reſponſiones.* excuſ. *Antuerpiae.* 1567. *in Offic. Chriſtophori Plantini.* in 8. & *Venetiis.* 1569. *apud Barthol. Rubinum. in ... & Neapoli*, 1601. *apud. Jo. Jac. Carlinum. in* 4.

Ejuſdem Seripandi Archiepiſcopi Salernitani *Oratio latine habita in funere Caroli* V. *Imperatoris Maximi* VI. *Kal. Martii* 1559. excuſ. *Neap. apud Matthiam Cancer.* 1559. *in* 4. ab eodem Seripando dicata Domino Placito de Sangro. Hanc autem Orationem, ut auctor ad eundem Placitum ſcribit, Cardinalis de Cuetia Prorex Neapolitanus optavit *Italica lingua, dici, latine autem imprimi*, & tamen utroque idiomate probatiſſima, ac laudatiſſima apud omnes fuit.

Conciones item XV. quas is cum Salernitanus eſſet Archiepiſcopus ad Populum habuit Italica lingua *ſuper Symbolum Apoſtolorum*, expoſitum, cum Symbolis Nyceni Concilii, & Sancti Athanaſii, excuſas poſt ejus mortem, Marcelli Seripandi ejus nepotis cura, *Venetiis.* 1569. *ſub ſigno Salamandrae.* in 4.

Hanc autem explicationem Symboli Apoſtolici *ſenſu quidem uberem, ac ſtylo preſſam* vocat Antonius Poſſevin. *in* II. *vol. Appar. Sacri, fol.* 36. ac Frater Salon *in Vita Sancti Thomae de Villanova* Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini *lib.* I. *cap.* 17. & Frater Antonius de Calancha *in Chronico Ordinis Sancti Auguſtini in Perù, lib.* I. *cap.* VI.

Ejus Vita diffuſe conſcripta eſt a Fratre Magiſtro Felice Milenſio e Laurino, ejus Ordinis, ac Congregationis Carbonariae Vicario Generali, quae praefixa eſt ipſius *Commentario in Epiſtolam Pauli ad Galatas* editionis *Neapolitanae*; *Conſtitutiones novas Ord. Eremitarum, cum Ordinario Eccleſiaſtico, & Commentario rerum Ordin. a Sancto Auguſtino, uſque ad ſua tempora.*

Item ipſius Elogium ſcripſerunt Joannes Antonius Petramellarius in ſuo libro *de Cardinalibus*, & Alphonſus Ciacconus *de Vitis, & geſtis Summorum Pontificum, & S. R. E. Cardinalium.*

HIERONYMVS A SORBO (quod eſt oppidum non longe ab Abellinenſi Civitate) Ordin. Sancti Franciſci Congregationis Capuccinorum, Theologus, ac Concionator, dein ejus Ordinis Generalis Miniſter fuit. *Compendium privilegiorum Fratrum min. & aliorum mendicantium, & non mendicantium, olim ab Alphonſo de Caſarubios Hiſpano, ſub Clemente VII. confectum,* reformavit, *juxta Sacroſanti Concilii Tridentini decreta, ac aliorum Summ. Pontif. qui a Clem. VII. uſque ad Clem. VIII. praefuere*, & Domino Julio Antonio Sanctorio S. R. E. Cardinali Sanctae Severinae ejuſdem Ordinis protectori nuncupavit. Excuſus eſt autem liber hic pluribus in locis; dein cum *Additionibus* locupletavit, & auxit, cum Generalis eſſet, & optimas quaſdam *Annotationes Fratris Antonii de Corduba* Ordinis Min. obſerv. adjecit: prodiit autem . . . . . iterum recuſum eſt *Venetiis*. 1609. *apud haeredes Petri Ricciardi. in* 4.

Frater Zaccharias Roverius Salutienſis Capuccinus *in* IV. *vol. Ann. Capuccinorum*, appellat *Hieronymum de Sorbo Neapolitanum virum prudentia, & virtute illuſtrem*, qui Generalis Miniſter ejus Ordinis creatus eſt anno 1596.

HIERONYMVS SVESSANVS, *Beatus*, artium, & medicinae doctor, ac Romani Pontificis Prothomedicus, qui relicto ſaeculo Camaldulenſium Ordinem ingreſſus eſt; ubi vitae ſanctitate claruit, ac celeber fuit. Scripſit, cum adhuc in ſaeculo eſſet, & medicam artem exerceret, volumen unum ad medicam facultatem pertinens, in quatuor libros diſtinctum.

Item in Religione exiſtens, ſcripſit tractatum *De ſtatu religionis*, quem *Decorum columbae* inſcripſit; liber quippe tum ob ſermonis elegantiam, tum materiae dignitatem concinnus; qui adhuc manuſcriptus apud Patres ejus Ordinis ſervatur.

Scripſiſſe quoque fertur adhuc juvenis alia opera in re medica. Floruit autem annum circiter 1540. Multa de ejus converſione, vitae ſanctitate, ac iis libris Lucas Eremita Hiſpanus *lib.* IV. ſuae *Eremiticae hiſtoriae Ord. Camald. cap.* 4. & 5. meminit quoque D. Arnoldus Uvion in ſuo *Ligno vitae*.

HIERONYMVS THOMASIVS Neapolitanus Philoſophus, ac Medicus, edidit latino heroico Carmine librum *De ſitu Paradyſi terreſtris*, qui cum *annotationibus Pauli Porturelli* excuſus eſt *Neapoli. anno*. 1584. *apud Horatium Salvianum. in* 4.

HILARIVS NICVESA Neapolitanus Ordinis Clericorum Regularium, qui Theatini vocantur, edidit Italice opera quaedam ſpiritualia; librum nempe cui titulus eſt: *Idea Crucis Domini, ſive reformatio noſtri hominis interioris, & exterioris, ad exemplum, & imitationem Crucifixi, ordinata ab auctore per viam diſcurſuum, & affectuum*, cujus pars prima prodiit *Neapoli. anno*. 1613. *ex Offic. Lazari Scorigii. in* 4. Jeſu Crucifixo ab eodem auctore dicata.

Item edidit Italice *Diſcurſus morales circa imitationem Sacri Corporis Crucifixi, mediantibus aliquibus praecipuis virtutibus animae; & de fuga vitiorum oppoſitorum, cum variis, ac piis affectibus per ſingulas ſuas plagas* excuſ. *Venetiis. apud Antonium Pinellum. anno*. 1623. *in* 4. Beatiſſimae Virgini Caelorum Reginae dicatos, quae ſub nomine Sanctae Mariae de Toro in Aquenſi Civitate colitur.

Edidit quoque latine *Exorciſmarium* in II. libros diſpoſitum, quorum alterum *Annuale*, alterum vero *Sanctuarium* dicitur *conjurationum*, quibus per totius anni Ferias Chriſti Domini, Sanctorumque ſolemnitatibus ex Sacrae Scripturae, & Sanctis Patres, appoſita materia ad Dei hoſtes a corporibus pellendos, Exorciſtae non deeſt.

Excuſ. *Venetiis*. 1639. *apud Juntas*. *in* 4. Divo Antonino Abbati Surrentinae Urbis Tutelari patrono, acerrimoque Daemonum profligatori ab auctore dicatum.

HIPPIAS RHEGINVS Calaber, philoſophus, hiſtoriographus, & orator celeberrimus, primus fuit, qui *Siculorum geſta* conſcripſit, & alia de quibus Suidas.

Hippias Rheginus hiſtoricus temporibus Perſicis, primus res Siculas deſcripſit, quas Poëta Myes in compendium redegit. Origines Italiae. Siculorum rerum libros v. *Annalium libros. Ocioſarum Orationum. Argolicarum rerum libros* III. Primus etiam ſcripſit *Parodiam*, & *Coliambam*, & alia.

Galenus in libro *de hiſt. philoſoph.* Hippiae hujus (quem *Hipponem Rheginum* appellat) doctrinam, ac ſententiam refert, *de materia, ſive de rerum natura. ignem quoque, & aquam eſſe; & utrum feminae ſemen effundant*.

Athenaeus *lib.* I. *cap.* 28. Hippiam Rheginum citat, *de vitibus quibuſdam ex Italia Siracuſas delatis* a Polide Siracuſarum Rege.

Meminit etiam hujus Hippiae Conſtantinus Laſcaris in ſuo libello *de ant. Phil.* aliiſque *viris illuſtr. Calabriae, & Siciliae*, in quo dicit Hippiam Rheginum, *Oratorem, & hiſtoricum fuiſſe, ac primum Italiae, & Siciliae rerum hiſtoriam ſcripſiſſe*. De eo etiam Marcus Antonius Politus *in hiſtor. Rhegin. lib.* II. & *Geſn. in Bibli. fol.* 358.

At Hippias ille Philoſophus ſophiſta, cui Plato duos dialogos dicavit, qui ab ejus nomine appellantur, quorum alter *Hippias major*, ſive *de Pulchro*, alter vero *Hippias minor*, ſive *de Mendacio* inſcribuntur, quique Athenis, & Lacedemoniis, in Sicilia, & alibi docuit, ac aliqua opera conſcripſit, alius eſt, & ab hoc noſtro longe diſtat; ille enim Elientis, ſive Eleates ex Elida in Graecia fuit, ut ex iis Platonis dialogis perſpicitur.

HONORATVS FASCITELLVS Neapolitanus, Monachus Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Caſſinenſis, dein Inſulanus Epiſcopus, a Julio III. Summo Pontifice creatus &c. Graecis, ac latinis litteris eruditus, ac poëta inſignis, latina lingua puro, ac candido ſcribendi ſtilo peritus fuit; ut, praeter antiquos illos Romanos, fere ceſſerit nemini: Etruſco autem non ſine lepore, & gratia. Vir fuit ſua tempeſtate celeberrimus, atque a Bembo, Caſa, & Flaminio, aliiſque doctis viris, qui iis temporibus floruerunt, commendatus. Ejus viri pauca extant, nempe *Poëma* illud inſigne *ad Heroinam Piſcariae Marchionem*, cujus meminit Geſnerus *in Bibliotheca*.

Habentur etiam aliquot ejus *poëmata in primo vol. Delitiarum Ital. poëtarum*, quas Ranutius Ghèrus collegit.

Multa extant Scipionis Capicii Carmina ad Faſcitellum ejus familiarem, quem *in* II. *vol. de princ. rerum*, ſuae *vitae unanimem ſocium* vocat, *comitemque laborum*. Obiit autem Romae in menſe Martii 1564.

Hunc credimus eſſe Honoratum illum Monachum Caenobii Sancti Pauli de Urbe, cujus Aſtrologicam genituram Lucas Gauricus ſcribit *in ſuo nativitatum libro. tract. 6. in 2. tomo* ejus operum, quem ortum fuiſſe ait, anno 1502. & *Oratorem facundum, Graecaſque litteras a Pomponio Gaurico* didiciſſe teſtatur, denique a Julio III. Summo Pontifice electum fuiſſe Epiſcopum.

HONORATVS DE ROBERTIS e Civitate Juvenatii, Apulus, Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini Congregationis Lateranenſis, philoſophus eruditus, ſcripſit *Commentarios in Logicam*, nempe *in Porphirii Iſagogen, & Ariſtotelis praedicamenta brevem expoſitionem, cum praeambulis quaeſtionibus*. Item tractatum *de Syllogiſmo collectum ex reliquis Logicae libris* impreſſ. *Cremonae*. 1589. *apud Chriſtopharum Draconium*. *in* 4. quos quidem libros Do-

Domino Camillo Becio Caſalenſi, ejuſdem Congregationis Generali nuncupavit.

Quaeſtionem de elemento ignis, utrum detur in concavo orbis Lunae, excuſ. *Venetiis* 1585. *apud Joannem Baptiſtam Somaſchum. in* 4. Domino Petro Franciſco de Ricis Veronenſi totius ejus Congregationis Generali dicatam.

Scripſit & alios libros in Philoſophiam Ariſtotelis, qui MSti oſſervantur. Obiit autem Patavii anno 1612. Epiſcopi Patavini Vicarius.

De eo Gabriel Pennottus *in generali Hiſtoria Clericorum Canon. lib.* III. *cap.* 37. §. 5. & *cap.* 55. §. 5.

HONORIUS THOTUS Cavenſis Monachus Ord. Sancti Benedicti, Congreg. Caſſin. in Caenobio Sanctiſſimae Trinitatis Cavae, artium, & Medicinae doctor in ſaeculo, dein Sacrae Theologiae profeſſor, ac in ejus religione lector edidit librum, cui titulus eſt:

Novi Ariſtotelis ſenſus reconditi periphraſis, explanatio, coordinatio, ſummique ejus artificii detectio in acromaticis auſcultatoriis, Tomi III. *quibus nil aliud in Magiſtro praetendi demonſtratur (per tot ſaecula nuſquam penetrata intentione) quam ſenſata, & artificioſa inventio principii, & finis, medii ſenſibilis, ſcilicet, evidenter oſtendere Deum eſſe, & animam eſſe immortalem*. Excuſi *Neap. apud Joannem Dominicum Montanarium*. 1636. *in* 4.

HORATIUS BARBATUS ex oppido Sancti Georgii Molariae II. doctor, ac Majoris ejus Eccleſiae Abbas, edidit librum *de Reſtitutorio interdicto, ac de revocanda poſſeſſione ad intellectum Regiae pragmaticae Regni Neapolitani incipientis*, Aſſiſtentiam, *ſub titulo de* aſſiſtentia praeſtanda, *in qua plene tractatur de obligatione bonorum, pacto de capiendo, conſtituto, excuſſione, ac hypothecaria* impreſſ. *Neapoli*. 1624. *apud haeredes Tarquinii Longi. in* 4. quem Domino Joanni Laurentio de Rogerio patritio Salernitano v. J. D. Comiti Palatino, in patrio quondam gymnaſio, tunc vero in Neapolitana Academia lecturae veſpertinae interpreti primario, magiſtro ſuo nuncupavit. At liber is valde auctus, & locupletatus recuſus eſt *Neapoli*. 1637. *apud Jacobum Gaffarum. in fol.*

Edidit quoque tractatum *De Diviſione fructuum inter plures, illoſque diverſos, in duas partes diviſum*, in quarum prima de fructibus agitur, ac de iis, quae aut in fructu ſunt, aut quoquo modo fructuum nomine continentur, & veniunt. In ſecunda vero, qualiter, & in quibus caſibus diverſimode fiet fructuum iſthaec diviſio inter plures, diverſoſque conſiderata. Excuſus eſt autem *Neapoli. anno*. 1638. *apud Jacobum Gaffarum. in fol.* Domino Franciſco Antonio Muſcettulae Regio Conſiliario dicatus.

Edidit quoque librum, qui inſcribitur *Modeſtinus elucidatus*, ſive *de fideicomiſſis majoratus, ac primogeniturae perſonalis, intuitu tamen, ac favore familiae inſtitutis*, ad intellectum Modeſtini reſponſi *in l. cum ita legatur* 33. §. *in fideicommiſſo ff. de legat.* 2. Acceſſit in calce ejuſdem *Propugnaculum veritatis adverſus Apologeticum reſponſum modernorum*, in quo ultra adaequatas ſolutiones erga oppoſita, explicatur ex. *in l. quoties C. de donation. quae ſub modo*; excuſ. *Neap.* 1643. *apud Jacobum Gaffarum. in fol.* Domino Hectori Capycio Latro Marchioni Torelli, olim Advocatorum Principi, poſtmodum Sacri Concilii Sanctae Clarae, nunc ſupremi a latere Conſiliarii, & Regiam Cancellariam Regenti dicatum.

HORATIUS CATANEUS Neapolitanus II. Doctor, ac poëta Italicus, edidit Poëma: quod inſcripſit: *Amor trionfante, Maſcherata, paſtorale, rappreſentata in una gioſtra in Napoli, il Carnevale del* 1608.

excuſ. *Neap.* 1608. *apud Jo. Jac. Carlinum, & Conſtant. Vitalem. in* 4.

Item edidit *Stantias*, quas inſcripſit, *Troſeo di Bellezze*, ad Ill. & Ex. Dominos Fabritium Pignatellum, & Violantem de Sangro Noyae Principes, excuſ. *Neap. apud Felicem Stelliolam*. 1604. *in* 4.

Canzonette, quas Domino Stellae Stellae dicavit, excuſ. *Neap. apud eoſdem* 1608. *in* 4.

HORATIUS COMICE Beneventanus politioribus litteris excultus, edidit Italice, *Roſſelia. Fabula Marinareſca*, impreſſam *Neap.* 1617. abſque nomine impreſſoris, Matthaeo Hieronymo Maſſae dicatam.

Rete amoroſa, *Tragicomedia peſcatoria*, ad eumdem Matthaeum Hieronymum Maſſam, excuſ. *Neap.* 16.... *apud Jo. Dominum Ronchaliolum. in* 12.

Rithmorum librum excuſum *Neapoli*. 1627. *apud Octavium Beltranum. in* 4. Joanni Franciſco de Juliis philoſophiae, & legum Doctori, Judici Magnae Regiae Curiae Siciliae dicatum.

HORATIUS FLACCUS, vide Q. *Horatium Flaccum*.

HORATIUS LUMBISANUS e Coriliano Calaber, in publico Neapolitano gymnaſio extraordinarius medicinae profeſſor edidit: *Conciliationes, & deciſiones Medicas ſuper finitiones actionis depravatae diminuti morbi, & ſymptomatum excretorum, & retentorum Antonii Santorelli, in quibus carpitur a Franciſco Roſſelio. Nec non deciſio illius caſus, Enixis a ſeptima die competere medicamen expurgans, ſi tamen febris, caeterique affectus aderunt, ſin minus &c.* excuſ. *Neap.* 1629. *apud Aegidium Longum. in* 4.

De Febribus lib. III. *de Peſte lib.* IV. *de Terremotu, prout peſtis cauſa eſt, Diſputationem* excuſ. *Neap. apud Matthaeum Nuccium*. 1629. *in* 4. Idem in epiſtola dedicatoria ait, *ſe primo edidiſſe de Febribus, Peſte, Terremotu, Potu frigido, & Manna ad Romanos*; quae duo ultima non adhuc vidi.

HORATIUS MONTANUS Neapolitanus J. C. edidit *Repetitionem legis Imperial. de proh. feudi alienat. per Frid.*, quae excuſa eſt *Neapoli*. 1628. *apud Joa. Dom. Roncaliolum. in fol.* Sereniſſimo Domino Philippo Auſtrio, utriuſque Siciliae Regi Catholico dicatam.

Scripſit quoque Tractatum *de Regalibus, in quo Magiſtratus, munera, officia ad Regiam collationem ſpectantia, illorumque natura, diſpoſitio, ſucceſſio, nominatio reſignatio, ac devolutio, nunc primum dilucidantur, ac pleniſſime pertractantur. Quibus acceſſerunt nonnullae quaeſtiones feudales, cum graviſſimis deciſionibus ſupremorum Tribunalium Civitatis Neapolis*. Prodiit autem *Neapoli*. 1634. *ex offic. Franc. Savii* eidem Regi Philippo dicatum.

Controverſias Forenſes ad Conſuetudines Neapolitanas, Feudales, ad jus Pontificium, & Caeſareum, in quibus obſtruſiores quaeſtiones paſſim occurrentes in Supremi Regni Senatibus, altiori indagine, ac Stylo dilucidantur. excuſ. *Neapoli*. 1643. *apud Robertum Mollum. in fol.* Philippo IV. Hiſpaniarum, ac utriuſque Siciliae Regi dicatas.

HORATIUS PERSIUS e Mathera, & patricius lectus Romanus, legum Doctor, ſcripſit Italo carmine *Tragoediam*, quam praetitulavit *Pompeum magnum* excuſam *Neapoli. apud Joannem Baptiſtam Subtilem*. 1603. *in* 12. ad Andream Salzarum Neapolitani Regni a ſecretis.

Item *Martyrii S. Dorotheae Repreſentationem*, eodem carmine ad Illuſtriſſimum Dominum Aloyſium de Caſtellet Marchionem Mon-

Montorii impreſſam *Neapoli* 1610. *apud. Jo. Dom. Roncaliolum. in* 16.

Intermedia Martiae, ad Illuſtriſſimum Dominum Joannem Baptiſtam de Aricia equitem Romanum, quae *Neapoli* prodierunt *apud eumd., eod. an. in* 16.

Edidit quoque *Conſiliorum*, ſive *Juris reſponſorum Criminalium, cum ſuis deciſionibus Judicum, tam Eccleſiaſticorum, quam Saecularium*, & *Delegatorum, in calce cujuslibet annotatis, Semicenturiam*, excuſam *Neap. apud Aegidium Longum. anno*. 1640. Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Joanni Dominico tituli S. Ceciliae Cardinali Spinolae dicatum.

HORATIVS SCOGLIO Catacenſis Calaber, legum Doctor, edidit latine *Hiſtoriam Sacram ab Eccleſiae primordio, uſque ad Gregorium* xv. *Rom. Pontif.*, duobus voluminibus ſectam; quorum prior pars continet *Chronologiam ab orbe condito, ad annum* 1621. quae prodiit *Romae* 1622. *in* 8. eidem Gregorio xv. Pontif. dicatam.

HORATIVS VISCONTVS Giſonenſis legum doctor edidit uberes, ac doctas *Additiones, ad Deciſiones Sacri Regii Conſilii Neapolitani a Vincentio de Franchis* ejuſdem Sacri Conſilii Praeſide collectas, quae prodierunt *Neapoli*. ex *typogr. Tarquinii Longhi* 1613. *in fol.* Domino Laurentio de Franchis in Regno Neapolitano Fiſci patrono, & ejuſdem Vincentii filio dicatas. Dein ab eo Regio jam Auditore in provincia Calabriae ulterioris pluſquam tertia parte auctae, recuſae ſunt *Neapoli. apud Aegidium Longum. anno*. 1625. *in fol.*

Scripſit quoque *Singulares*, & *deciſivas utriuſque juris Concluſiones Alphabetica Serie* ab eo *collectas*; in quibus veluti promptuario quodam quaeſtiones plures in forenſibus diſceptationibus frequentes, & plerumque Sacrorum Senatuum, praecipue hujus Regni Neapolitani deciſionibus roboratae, facile inveniuntur, excuſ. *Neap.* 1624. *apud Aegidium Longum. in fol.* Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo D. Antonio Alvarez de Toledo Albae Duci, & in hoc Regno Proregi dicatas.

Edidit etiam *Additiones ad Deciſiones Sacri Regii Conſilii Antonii Capicii*, quae excuſae ſunt poſt librum *Additionum*, *ſeu annot. Proſperi Petrae* ad ejuſdem Capicii Deciſiones, editionis ſecundae *anni*. 1628.

HYACINTHVS DE ALPHERIO Ilicetanus Calaber, Phyſicus, ac Medicus ſcripſit librum *De Peſte*, & *vera diſtinctione inter febrem peſtilentem*, & *malignam, non hactenus perſpecta*, cui accedit tractatus *de Variolis*, & *Morbillis*, excuſ. *Neap. apud Aegidium Longum*. 1628. *in* 4. Domino Alexandro Miroballo Bracilianenſium Marchioni dicatum.

Edidit etiam libellum *de Praeſervatione a calculis, atque cunctis fere morbis, atq. renalium medela, pro Domino Abb. D. Franc. Morra* Sacrae Theologiae Doctor impreſſ. *Neap.* 1632. *apud Aegidium Longum, in* 4. eidem Abbati dicatum.

HYPPOLITVS CARACCIOLVS Neapolitanus Ordinis Canonicorum Regularium Latheranenſium, concionator in univerſa Italia ſua tempeſtate illuſtris, & celeber fuit. Multa ſcripſit, e quibus prodiit in lucem Volumen *Concionum* ab eo habitarum in inſignioribus Italiae civitatibus, Italico ſermone, quae poſt ejus mortem *Vincentii Caraccioli ejus nepotis cura* editae ſunt *Venetiis*. 1599. *apud Jac. Ant. Somaſcum. in* 4., & in ſecunda editione *additis prohemiis*, quae deſiderabantur, & *aliis Concionibus* dein repertis & *Venetiis. anno*. 1603. *ap. eumd. Jac. Ant. Somaſcum* excuſae ſunt *in* 4. & Sereniſſimo Carolo Emanueli Sabaudiae Duci ab eodem Vincentio dicatae. Claruit autem anno 1580.

De eo Gabriel Pennottus *in* ejus *generali*

Digitized by Google

ſimus fuit, cum in ſupremis Neapolitani Regni foris, ac Romanae aulae verſatus, & patrocinandi munere functus eſt. Tum in Cathedris fuit aſſuetus; per multos enim annos tum privatim, tum publice in gymnaſio Neapolitano Juriſprudentiam eſt profeſſus; ac Beneventum in erectione novorum ſtudiorum amplo ſtipendio accerſitus publice ſummo plauſu, ac laude juris ſcientiam docuit; in Piſana dein Academia primarius fuit anteceſſor; poſtmodum in florentiſſimo Patavino gymnaſio primarius juris Civilis, ac Canonici lector; ac in Papienſi demum, & Mantuana univerſitatibus juris Civilis primarius profeſſor.

Edidit in lucem adhuc philoſophus, ac juris profeſſor *Opuſcula quaedam Simonis Portii*, quorum pars jam evulgata fuerat, pars vero adhuc in manuſcriptis latitabat nempe: *Diſputationem de Puella Germanica* jam prius editam in lucem. *De dolore*, librum antea excuſum. *Quaeſtionem, num datur ſenſus agens*. & Quaeſtionem *de ſpeciebus intelligibilibus* a Martha tunc primum ordinatam, & editam in lucem; quibus Martha de ſuo adjecit *Apologiam de Immotalitate animae* adverſus opuſculum *Simonis Portii de mente humana*, quam idem Martha Domino Alfonſo Salazar regio Collaterali Conſiliario dicavit. *Quaeſtionem* etiam ejuſdem Marthae *de creatione*. *& Digreſſionem utrum intellectus ſit unus, vel multiplicatus, contra Averroem:* quae omnia ſimul excuſa ſunt, cum aliquot ex iis opuſculis Simonis Portii. *Neapoli. anno.* 1578. *apud Horatium Salvianum. in fol.*

Elucubravit quoque *Propugnaculum Ariſtotelis adverſus principia Bernardini Teleſii* ſeptem diſputationibus contentum, nempe *de Principiis naturae; de Caelo, ejuſque partibus, & attributis;* de *elementis*; de *miſtione; de Principio effectivo; de calore; & de motu*. ad Illuſtriſſimum Dominum Fabium Urſinum excuſum *Romae. apud Bartholomaeum Bonfadium. anno.* 1587. *in* 4. Pollicetur ibi in fine ejus libri idem Martha, ſe *opuſcula ejuſdem Teleſii brevi impugnata dilucidare*.

Edidit Italice *De memoria locali* libellum ad per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Comitem Ludovicum Boſchetum Sixti v. Pontif. Max. a ſecretis cubiculis impreſſ. *Romae. anno.* 1587. *apud eundem Barth. Bonfadium. in* 12.

Repetitiones Rubricae, & l. primae ff. ſoluto matrimonio, & Rubr. ac l. p. ff. de operis novi nunciatione, quas Piſis ordinarie profitens interpretatus eſt anno 1598. & per quaeſtiones diviſit, prout diſputantur in circulis Piſanis. Editae autem ſunt *Florentiae. apud Georgium Mareſcottum.* 1599. *in fol.* Domino Carolo Antonio de Puteo S. R. E. Cardinali Piſano Archiepiſcopo dicatae. Deinde inter *Repetentium volumina in varios juris civilis libros*, inſertae ſunt, quae novem tomis contenta, & *Venetiis* excuſa ſunt *anno*. 1608. *ſub ſigno Aquilae renovantis. in fol.* Repetitio autem *Rubricae & l. primae ff. ſol. matr.*, in III. vol. habetur, Rubricae vero, & *l. primae ff. de operis novi nunc.* in v. vol.

Edidit inſuper ſua *Vota in deciſionibus noviſſimis almi collegii Piſani, cauſarum delegatarum, vel ad conſilium ſapientis tranſmiſſarum*, quae dum jus Caeſareum ibi de ſero profiteretur, cum aliis Excellentiſſimis Collegis decidendo preſtitit, impreſſ. *Venetiis* 1608. *apud Joa. Ant., & Jac. de Franciſcis. in fol.* Domino Franciſco Pegnae Sacrae Rotae Apoſtolicae Decano dicata.

Tractatum de juriſdictione inter Judicem Eccleſiaſticum, & ſaecularem exercenda in omni foro, & Principum Conciſtoriis verſantibus neceſſarium, in quo ſingulorum Principum juriſdictiones, & dominia tractantur, & quomodo in caſibus mixtae juriſdictionis procedendum ſit, atque mandata Principum exequenda, & de praeventionibus, atque inhibitionibus, ac excomunicationibus ferendis, ob ipſam juriſdictionem. Diſcutiuntur etiam omnes articuli legum imperialium, ſtatutorum, conſtitutionum, atque edictorum Principum ſaecularium, an comprehendant Eccle-

Eccleſiaſticos, & eorum bona, ac tractatur de omnibus caſibus judiciorum civilium, & criminalium, in quibus dubitatur, an ſaeculares judices procedant contra Eccleſiaſticos. Qui tractatus quidem duobus voluminibus continetur, quorum primum Sanctiſſimo Domino Paulo v. Summo Pontifici dicavit, ſecundum vero Domino Octavio Pallavicino s. r. e. Cardinali; excuſa autem ſunt *Moguntiae. anno.* 1609. *typis Joannis Albini. in fol.*

Notitiam compilationis digeſtorum noviſſimorum, ſive de nova digeſtorum compilatione facienda, ex omnibus deciſionibus Tribunalium totius orbis quae hucuſque extant impreſſae, prodiit autem *Venetiis. anno.* 1611. *ex Typogr. Franc. de Franciſcis. in* 4.

Compilationem totius juris controverſi ex omnibus deciſionibus univerſi orbis, quae hucuſque extant impreſſae, ad inſtar Digeſtorum Imperialium nova methodo compoſitam; quamobrem *Digeſta noviſſima juris controverſi* appellata ſunt, & ſex tomis diſtincta; quorum I. judiciorum civilium II. Criminalium. III. Contractuum. IV. Feudorum. V. ultimarum voluntatum. VI. *beneficiorum, & ſpiritualium* materias continent; & totam legalem ſcientiam complectuntur. In quibus quidquid a Juſtiniani compilatione digeſtorum uſque ad noſtra tempora vere judicatum eſt (praetermiſſis ſuperfluis, & contrariis) id totum in ſuo ordine collocatum facillime reperiri poteſt. impreſſ. *Venetiis.* 1620. *apud Juntas. in fol.* & Philippo III. Auſtrio Hiſpaniarum, Neapolis, ac Siciliae Regi ab auctore dicata.

Summam quoque totius ſucceſſionis legalis conſcripſit, IV. partibus complexam, quibus univerſa materia ultimarum voluntatum, teſtamentorum, legatorum, fideicommiſſorum, aliorumque ſucceſſionum ad formam juris communis, item feudalis, ac omnium ſtatutorum nova methodo copioſiſſime pertractatur. impreſſ. *Lugduni. anno.* 1623. *apud Jac. Cardon, & Petrum Cavellat. in fol.* Philippo IV. Hiſpaniarum, Neapolis, ac Siciliae Regi dicatam.

Tractatus de Clauſulis, de quibus in omnibus Tribunalibus hucuſq. diſputatum eſt, cum ſuis reſolutionibus, & deciſionibus, atque declarationibus, qui olim per manus curialium circumferebatur, nunc pluribus additionibus, declarationibus, atque ordine copioſior factus ab eodem Martha excuſus, prodiit *Venetiis. ex Officina Jac. de Franciſcis.* 1612. *in* 4. Em. Domino Scipioni Burgheſio s. r. e. Cardinali, & Pauli V. Pontificis nepoti dicatus.

Alius quoque fuit Jacobus Antonius Martha patria . . . e Societate Jeſu Theologus, qui ut Petrus Ribaden. *in Catalogo Script. Societ. Jeſu* affirmat, Orientalem Indiam ex obedientia miſſus, magno zelo, ac fructu multos annos in illarum gentium animis excolendis tranſegit; ubi quoque ab hac vita diſceſſit, ediditque librum *de quatuor Anni temporibus*, ut Antonius quoque Poſſevin. *in* 2. *vol. Apparatus ſacri.*

JACOBUS AQUINAS Ordinis Praedicatorum ſcripſit ſubtiliſſimum librum *adverſus Gulielmum de Sancto amore Burgundum*, qui invectivum librum ediderat, *adverſus Ordines, tum Fratrum Praedicatorum, quam Minorum conatus per ſcripturas oſtendere Eccleſiam non debuiſſe tales Ordines admittere.* Is vero Jacobus Gulielmi errorem validiſſime arguit, ac refellit, ut Henricus de Gandano in libro *de Viris illuſtribus Eccleſiae ſcriptoribus cap.* 45. affirmat. Vixit autem annum circiter 1261.

JACOBUS DE AYELLO, ſive ut alii dicunt *de Gello* Tranenſis, Jaſonis Magni Papienſis diſcipulus, ut Afflictus affirmat *deciſ.* 107. *n.* 2. & *deciſ.* 234. *n.* 2. Ferdinandi junioris Siciliae Regis a Conſiliis fuit in Sanctae Clarae Senatu anno

no 1496. deinde ſub Ludovico XII. Gallorum Rege, Neapolitani Regni tunc domino, Regiae Camerae Summariae Praeſidens anno 1501. Juriſconſultus inſignis ſcripſit aureum, ac celebrem libellum *de Jure adhoe relevii, atque ſubſidii*, qui excuſus eſt *Lugduni. anno* 1556. *apud haeredes Jacobi Junctae. in* 8. Cum gloſſis Bartholomaei de Capua, & aliorum ſuper Conſtitutionibus, Capitulis, & Pragmaticis Regni, ac Ritibus Magnae Curiae, aliiſque opuſculis; deinde cum tractatibus juris noviſſime editis *anno*. 1584. in XXIX. volumina comprehenſis: excuſus eſt in *tomo* XII. *fol.* 169.

Compendium quoque *Codicis* exaravit; quod penes ſe aſſervari ait Praeſidens Vincentius de Franchis *deciſ.* 20. *in fine*.

Multas etiam *Apoſtyllas, & additiones ad Conſtitutiones Regni, & Ritus Magnae Curiae* elucubravit, quae una cum textu, atque aliorum Doctorum Commentariis editae ſunt.

Meminit ipſius Afflictus *deciſ.* 163. *in princ.* vocans eum *maximum Conſiliarium*, & *de Trano*. & *deciſ.* 169. *n.* 4. & *deciſ.* 215. *in fine*, ubi pariter *de Trano* ipſum appellat, &. 263. *n.* 2. Thomas quoque Grammaticus *in conſ.* 68. ait *ſe conſuluiſſe de eo dubio antiquiores, & peritiſſimos viros, nempe Jacobum de Gello Praeſidentem Regiae Camerae, & Matthaeum de Afflicto doctorem conſummatiſſimum, & ſeptuagenarium, & Diomedem Maricondam.*

JAC. BENEVENTANUS Ord. Praedicatorum philoſophus, ac theologus illuſtris, ac ſacrae Theologiae magiſter fuit. Hunc Antonius Luſitanus in *Catal. vir. illuſtrium ejus Ordinis*, & Frater Michael Pius *in* 2. *part. Virorum illuſtr.* ejus *Ordinis lib.* III. Fr. Alphonſus Fernandez *de Script. Praedicat. famil. vocant omnium rerum ſcientia ornatum*, & floruiſſe ſub Bonifacio VIII. annum circiter....

Multa ſcripſit opuſcula, e quibus haec recenſentur: Opuſculum I. *de Articulis Fidei*. II. *De Oratione Dominica*. III. *De Sacramentis*. IV. *De X. Praeceptis*. V. *De VIII. Beatitudinibus*. VI. *De Dotibus*. VII. *De Fructibus*. VIII. *De Virtutibus*. IX *Sermones de tempore, & de Sanctis*.

De eo etiam Antonius Poſſevin. *in* 2. *vol. Appar. Sacri*. & Fr. Seraphinus Razzi in *Hiſtoria Virorum Ill. Ord. Praedicat.* qui ſuperaddit *librum Sermonum Dominicalium, & de Sanctis*, quem is auctor conſcripſit, *ſatis moralem, ac fructuoſum eſſe*.

Joannes de Turrecremata in ejus Tractatu *de veritate conceptionis B. Virginis*, quem exibuit Concilio Baſileae anno 1437. *in part.* 6. *cap.* 29. citat *Venerabilem Fratrem Jacobum de Benevento Ordinis Praedicatorum, in nobili, ac copioſo ſuo opere Sermonum de tempore, & Sanctis*.

Fr. Antonius de Cucharo Epiſcopus Acernenſis in ſuo Tractatu *de conceptione B. Virginis*, qui *Elucidarius Virginis* nuncupatur *fol.* 31. citat Magiſtrum Jacobum de Benevento *in Sermone Nativitatis Virginis*.

JACOBUS DE CAROLIS Aquilanus U. Doctor, edidit librum, cui titulus eſt *Gemmatus Pavo, coloribus, ſeu capitibus diſtinctus*. In quo variae juris Canonici, & Civilis materiae tanguntur per modum etymologiae, quaeſtionis, definitionis, declarationis, & diſtinctionis, in ſcholis praecipue pro terminorum cognitione, & civilium inſtitutionum enodatione; & in foro verſantibus, utiles, facili ſtylo, & compendioſo tractatu partitae per centum capita, quae *colores* appellat. Hunc librum Magiſtratui, ac Populo Aquilano dicavit, excuſum *Venetiis. apud Jo. Baptiſtam Ciottum. anno*. 1594. *in* 8.

Edidit item tomum II. *Gemmati pavonis*, cui titulum appoſuit *Praxis Juridicae caſuum quotidiae occurrentium, & in forenſi uſu maxime poſitorum, ex jure partim Pontificio, partim etiam Caeſareo, Methodo*, ac

Digitized by Google

ac ratione deprompuunt, impreſſ. *Venetiis . apud Joannem Baptiſtam Ciottum . in* 8. 1600.

JAcobus Ferdinandus Barenſis Philoſophus, ac Medicus inſignis, ad medicinae theoricam extraordinariam in Patavino gymnaſio publice explanandam anno 1534. accitus eſt; ut Antonius Riccobonus *lib.* 1. *Commentariorum de Gymnaſio Patavino . cap.* 15. teſtatur. Cumque per aliquod tempus eam Cathedram rexiſſet, a Sygiſmundo Poloniae Rege, & Magno Lithuaniae Duce, Poloniam evocatur, atque ejuſdem Regis Archiater fuit; & Cracoviae tandem obiit annum circiter 1545.

Scripſit libellum *De Regimine a peſte praeſervativo*, excuſum *Cracoviae. anno.* 1543. *in Officina Unglериana*, Domino Joanni Contici Tarnovienſis Caſtellano Cracovienſi dicatum. Ejus libri meminit Conradus Geſnerus, *in Bibliotheca*, & Joannes Georgius Schenkius *in* ſua *Bibl. Medica*.

Extat quoque Barii penes Notarium Nicolaum Antonium Cardaſſum Barenſem Senem ſeptuagenarium, liber ab eodem Jacobo Ferdinando Italice M. S. cui titulus eſt: *Ragionamenti contra Giudei, del Magnifico M. Jacomo Ferdinando da Bari Dottore dell' arti, & medicina, ove ſi dimoſtra, che il Meſſia promeſſo nell' antica legge dovea eſſere vero Figliuol di Dio, & vero Uomo*.

JAcobus Gagliardus Militenſis, Calaber, U. doctor, edidit Tractatum *De Delictis, tam mentalibus, quam actualibus*, in quo agitur, quid ſit delictum; quomodo committatur; & per quem Judicem procedatur; quae probationes requirantur ad condemnandum; quibus paenis puniantur delinquentes; & quomodo excuſari, & defendi poſſint; nec non & Tractatus *De juriſdictione omnium judicum in* XI. *praedicamenta diviſus*, ſcilicet *quis; cum quo; de quo; in quo; quomodo; & quando judices*; ubi de utriuſque fori judicibus breviter diſſeritur; & quid ſit merum; quid mixtum imperium; quid ſimplex juriſdictio; & quae delegari poſſunt; excuſ. *Romae. apud Jacobum Maſcardum. anno.* 1615. *in* 4. Domino Octavio Bandino S. R. E. Cardinali, a Franciſco Gagliardo I. C. & Praesbytero ejus filio dicatus.

JAcobus Gallus Neapolitanus I. C., qui per annos ultra quinquaginta Legalem facultatem eſt profeſſus, ac in Neapolitano, Meſſanenſi, ac Patavino gymnaſiis primarius veſpertinis horis interpres, ac comes Palatinus declaratus eſt. Et fuit quoque Eques auratus. Edidit *Conſilia, ſive juris reſponſa*, quae Alexander Gallus ejus filius (qui dein Maſſae Lubrenſis Epiſcopus fuit) poſt patris obitum in lucem edidit; ac Domino Hippolito Aldobrandino S. R. E. Cardinali dicavit, excuſa autem ſunt, *Neapoli . 1622. apud Domin. de Ferdinando Maccarano; in fol.*

Scripſit item *Clariores juris Caeſarei apices, in quibus germani ſelectarum legum intellectus, & difficiliora Prudentum Reſponſa maxima ingenii perſpicuitate enucleantur, ac copioſe in praecipuas leges Repetitiones exponuntur*; quos idem ejus filius in lucem emiſit *Neapoli . 1629. apud Octavium Beltranum . in* 4. Sanctiſſimo Domino Urbano Papae VIII. dicatos.

Obiit autem Patavii die 25. Martii 1618. cum annum ſuae aetatis ageret 74. Ejus *Vitam* profuſiſſime ſcriptam a Franciſco Antonio Purpura, ejus olim auditore, qui deinde fuit Montis Marani Epiſcopus, praefert ſuus *Conſiliorum* liber.

Poſt ejus obitum Alexander filius multa ejus *Lecturarum volumina*, quas in ſcholis edocuit, obtulit eidem Urbano Papae, Jacobi olim amico; qui illas in Vatic. Bibliot. apponi juſſit.

JA-

JAcobus de Graffiis Capuanus Monachus Caſſinenſis in Caenobio Sancti Severini hujus Civitatis, Il. Doctor., juris ſcientia, ac praeſertim Canonici, & caſuum conſcientiae noſtra aetate illuſtris fuit, ac Paenitentiarius major in hac Civitate Neapolis. Multos edidit libros, qui in maximo praetio a doctis viris habentur. Scripſit enim *Deciſionum caſuum conſcientiae* volumina II. ſive partes duas; primum nempe in IV. libris diſtinctum, impreſſum eſt *Venetiis*. 1591. *apud Damianum Zenarium. in* 4. Secundum vero ibidem cuſum. Quae deinde auctor & recognita iterum cudit, primum namque *Venetiis*. *anno*. 1593. & 1609. *apud haeredem Damiani Zenarii*; & Abbatibus Congregationis Caſſinenſis dicavit. *Lugduni* quoque impreſſum *apud Juntas*. *in* 4. & *Antuerpiae*. 1596. *in aedibus P. Belleri*. *in* 8.

Secundum vero volumen, ſive ſecunda pars in III. libros diviſum, quod Venetiis prius prodierat, ab auctore auctum, & emendatum, impreſſum eſt *Venetiis*. *anno*. 1600. *ex Officina* ejuſdem *Zenarii*, & eiſdem Abbatibus nuncupavit.

Appendicem etiam *tam primi*, *quam ſecundi tomi* edidit *Venetiis*. anno. 1601. *in officina* ejuſdem *Damiani*. *in* 4. & *Bononiae*. *apud Gaſparem Bindonem*.

Conſilia item, *& Reſponſa caſuum conſcientiae in* V. *libros juxta decretalium numerum*, *& ordinem diſtributa*, impreſſ. *Venetiis. anno*. 1604. *apud Joannem Guerrilium. in* 4. quae Ill. Domino Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinali, & Capuano Archiepiſcopo dicavit.

Conſiliorum, *& Reſponſorum caſuum conſcientiae in* alios *quinque libros juxta Decretalium numerum*, *& ordinem diſtributorum*, Tomum ſecundum. *Venetiis* 1610. *apud Joannem Guerilium in* 4. & Ill. Domino Alexandro Peretto S. R. E. Cardinali dicavit.

De arbitrariis Confeſſariorum, *quae attinent ad Caſus conſcientiae libros* III. *Confeſſariis*, *atque Poenitentibus cunctis ſumme utilibus*, *& maxime neceſſariis*, excuſ. *Neap. apud* . . . . . dein recuſos *Venetiis*. *apud Georgium Valerianum*. 1619. *in* 4. ſimul cum *Practica quinque caſuum*.

Practicam quinque Caſuum Summo Pontifici reſervatorum juxta Decretum Clementis VIII. *necnon aliorum omnium*, *Archiepiſcopis*, *& Epiſcopis etiam cenſuram habentium*, *qui totam fere Italiam juxta quorumcumque locorum*, *& dioeceſium conſuetudinem perquam utilem*, *& neceſſariam Poenitentibus*, *Confeſſariis*, *& Paenitentiariis*, *in qua omnis elucidatio*, *quae deſiderari poteſt*, *exacte continetur*. Cui etiam ſubſequitur *Compendioſa interpraetatio undecim Caſuum Regularibus Superioribus reſervatorum*, excuſ. *Neap. anno*. . . . *in* 8. *apud* . . . . . Sanctiſſimae Deiparae Virgini Mariae Angelorum, hominumque Reginae dicatam, quae recuſa eſt *Venetiis*. *apud Societatem Venetam*. 1609. *in* 4. item *Venetiis*. 1619. *apud Georgium Valentinum in* 4.

Sermones ſpirituales in Evangelia de Dominicis, *& Feſtis aliquot ſollemnioribus totius anni*, qui cum libello *Rethoricae Eccleſiaſticae Franciſci Panigarolae* Aſtenſis Epiſcopi, Ordinis Sancti Faancifci obſervantium, nunquam prius, edito impreſſi ſunt *Coloniae Agrippinae*. *apud Jo. Henthenium*. *anno*. 1605. *in* 16. Qui deinde *Sermones* recuſi ſunt ab auctore ſeorſum aucti; eoſque *totius anni* nuncupavit, ac in duas partes diviſit. *Venetiis*. 1614. *apud M. Ant. Zalterium*. *in* 4.

Obiit autem Neapoli die . . . in Caenobio SS. Severini, & Soſſii ejus Ordinis, cum magna Sanctitatis opinione, ibique ad veterem Eccleſiam ſepultus; ad cujus tumulum frequens eſt populi concurſus pro gratiis a Deo, ob ejus merita, obtinendis, ac praeſertim, qui a daemonibus vexantur.

JAcobus e Licio, ſive *Alethinus* Ordinis S. Benedicti Congregationis Caeleſtinorum, atque ejus Ordinis Generalis Abbas,

Paulo IV. Rom. Pontif. in primis carus fuit. Sacrae Theologiae Magiſter, magnae eruditionis, ac integritatis fama apud eumdem ornatus: & adverſus Romanae Eccleſiae hoſtes zelantiſſimus extitit. Edidit librum *De conſolatione Crucis*, & Librum *adverſus Lutheranos*, quem vocavit *Martinellum*.

Librum quoque Italice ſcripſit *De Caeremoniis ſui Ordinis Caeleſtinorum, cum vita S. Petri Caeleſtini* primi eorum Patris, ac Fundatoris. *Catalogum* etiam adjecit, ac numerum *Monaſteriorum* ejus *Congregationis, omnium Abbatum, Generalium ab eodem Caeleſtino auſpicatorum, uſque ad ſua tempora*. Eumque librum direxit univerſis ejus Ordinis Religioſis Monachis; qui quidem liber in Capitulo Generali ejus Ordinis, ab eo Neapoli celebrato in Caenobio Sancti Petri ad Majellam, anno 1547. publicatus eſt; excuſus eſt autem *Bononiae. apud Anſelmum Giacarellum*. 1549. *in* 8.

Multa quoque alia ſcripſit, quae adhuc in lucem non prodierunt.

JACOBVS E LVCERIA Apuliae Ordinis Praedicatorum, Theologiae, ac Metaphyſicae ſtudiis excultus, ſcripſit *Commentarios*, ac plures *Quaeſtiones in Metaphyſicam Ariſtotelis*.

Floruit autem anno 1560. de eo Fr. Antonius Senenſis Luſitanus, & Fr. Alphonſus Ferdinandez *De Scriptoribus Praedicatoriae Familiae*.

JACOBVS MANCINVS Neapolitanus Ordinis Clericorum regularium miniſtrantium infirmis, Sacrae Theologiae profeſſor, edidit latine *Practicam Viſitandi infirmos*, ad Eminentiſſimum Dominum Franciſcum S. R. E. Cardinalem Boncompagnum Archiepiſcopum Neapolitanum, quae excuſa eſt *Neapoli* . . . . dein ab auctore aucta, & locupletata, recuſa eſt *Neapoli*. 1635. *apud Joannem Dom. Montanarium*. *in* 8.

JACOBVS MAROTTA Marilianenſis, Praeſbyter ſaecularis Sacri Neapolitani Collegii Theologiae doctor, ac in publica Neapolitana Academia Methaphyſicae, ac Theologiae profeſſor, Scoti doctrinae acerrimus ſectator fuit, ac defenſor. Edidit *Librum in Porphyrii Iſagogen, ſive in quinque praedicabilia dilucidam expoſitionem, ex omni claſſe logicalibus, & philoſophicis terminis refertum*, in quo Graecorum, Arabum, & latinorum videlicet Thomiſtarum (praecipue Cajetani) & Scotiſtarum profunda doctrina facillime, ac ſubtiliter explicatur. Excuſ. eſt *Neap.* 1590. *apud Horatium Salvianum*. *in fol.* Ill. Domino Conſtantino Sarnano S. R. E. Cardinali dicatus.

Item *Expoſitionem una, cum quaeſtionibus in praedicamenta Ariſtotelis*, quam Philippo III. Hiſpaniarum, ac Neapolitanorum Regi nuncupavit; excuſ. *Neap.* 1590. *apud Steliolam*. *in fol.*

Diſcurſum quoque *De triplici intellectu*, videlicet *humano, Angelico, & Divino, ad mentem Ariſtotelis, & Averrois, & Thomiſtarum, ac Scotiſtarum* in quo praecipue Scoti profunda doctrina adverſus ejus calumniatores, potius quam oppugnatores defenditur, ad Clementem VIII. Pontif. Max. impreſ. *Neapoli*. *in Officina Horatii Salviani*. *apud Jo. Jac. Carlinum, & Ant. Pacem*. 1592. *in fol.*

Edidit etiam *Explanationem in libros Perihermenias, & in* I. *poſterior. Analiticorum librum* Ill. Domino Coſmo Pinello Acheruntinae Duci, Galatulae Marchioni, & in Regno Neapolitano Magno Cancellario dicatam, impreſſ. *Neap.* 1602. *apud Jo. Jac. Carlinum*. *in fol.*

JACOBVS MAVRVS ex oppido Maidae, Calaber tranſtulit e latina in Italicam linguam *Bartholomei Facii Janvenſis De rebus geſtis ab Alphonſo* I. *Neapolitanorum Rege Commentariorum libros* x. qui *Venetiis*. excuſi ſunt *anno*. 1579. *apud Jo. Paulum Iolitas Ferrarienſes Fratres*. *in* 4. Ferdinando

do Carrafae Suriani Comiti ab eodem Iacobo nuncupati.

Io. etiam *Ioviani Pontani de Bello Neapolitano libros* VI. in Italicam linguam convertit, qui excuſſi ſunt *anno*. 1590. *a Ioſepho Cacchio*. *in* 4. Ex. Domino Aloyſio Carrafae Hoſtiliani Principi dicati, quibus praefixit *brevem* ipſius *Pontani Vitam*.

Vertit quoque ex latina in Italicam linguam *Vitam B. Mariae Virginis Matris Chriſti a Cornelio Muſſo Bitontino Epiſcopo deſcriptam*, quae edita eſt. *Neap. anno*. 1592. *a Ioſepho Cacchio*. *in* 4. Ex. Dominae Iſabellae Gonſaghae Columnae Aragoniae, Hoſtiliani Principi, ac Sabloneti Duci dicatam.

E latina pariter in Italicam linguam tranſtulit *Diſcurſum Gulielmi Guillei Alemani ſuper geſtis Annibalis, in quo, oſtendendo illum in armorum virtute ſuperiorem fuiſſe omnibus aliis Ducibus, deſcribitur generaliter Officium perfecti Ducis*, excuſ. *Neap. in Offic. Stelliolae, apud Io. Thomam Tondinum.* 1593. *in* 4. Marino Caracciolo Marchioni Buclanici, & Serini Comiti ab eodem Mauro dicatum.

Edidit Italice *Diſcurſum*, in quo praeter notitiam de multis pulcris rebus hactenus non auditis, *Sacrae paginae* quoque *multorumque SS. virorum, & Iuriſconſultorum authoritate probatur, quam dignior ſit mulier homine, & quam illuſtriori nobilitate, & excellentia a natura donata*. Quem librum Dominae Corneliae Lanoyae Caſtri Sangri Duci, & Triventi comiti dicavit, excuſ. *Neapoli* 1593. *apud Ioannem Thomam Tondinum*. *in* 4.

JACOBUS MAZA e Rhegio Calaber Ord. Minor. Conventualium ſcripſit Italice, inſtante D. Raymundo de Cardona Neapolitani Regni Prorege, *Tractatum*, quem vocavit *Amatorio, atto ad ordinare l'amore humano allē debite virtù, e deviarlo da ogni illecito amore, in che ſolo conſiſte virtù*; quem eidem Domino Raymundo nuncupavit, excuſ. *Neap. anno* 1520. *in typogr. Dominae Catharinae de Silveſtro, uxoris quondam Sigiſmundi Mayr. in* 4. Quidquid in eo libro auctor dicit, ſacrae paginae prius, dein Canonum authoritate, prophanis hiſtoriis, & variis Sanctorum Patrum exemplis confirmat.

JACOBUS DE MELFICTO Apulus Ord. Sancti Franciſci Congregationis Capuccinorum Sacrae Theologiae profeſſor, edidit Italice concinnum *Libellum continentem praecepta ab Angelo Moyſi divinitus data, & per Verbum Incarnatum Jeſum Dei filium, apertiſſime declarata, & a Sancta Romana Eccleſia probata, ac confirmata, & ab eodem auctore, abſque aliqua humana opinione compilata, tum Praedicatoribus, tum quoque omnibus ratione capacibus utiliſſima*, ad Dominum Rodulphum Pium Cardinalem excuſ. prius . . . . dein recuſ. *Venetiis*. 1562. *apud Dominicum Nicolinum*; *in* 16.

Floruit autem anno 1543. Hic fortaſſe eſt idem, ac *Frater Jacobus Paniſcactus Melphitenſis* Ordinis Minorum obſervantium, de quo inferius ſuo loco dicemus, qui forte ex Minoribus obſervantibus ad Capuccinos tranſiit.

JACOBUS MELORUS Neapolitanus, Clericus Saecularis, Theologus, & Concionator edidit Italice *Conciones* VI. *Selectas*, quas variis in locis, ac temporibus recitavit nempe:

De SS. Trinitate, quam Neapoli in Cathedrali habuit, in ejus ſolemnitatis die 6. Junii 1574.

De Sanctis Angelis. Neapoli, ibidem dictam, in eorum feſto die 29. Septembris 1675.

De Septem Sacramentis, Neapoli ibidem recitatam, in Sancti Athanaſii Neapolitani Epiſcopi, & patroni ſollemniis die 15. Julii 1574. Marii Carrafae Archiepiſcopi juſſu, cum Sacrum Chriſma is

cum

cum aliis Epiſcopis eſſet celebraturus.

De Sancto Thoma Aquinate Romae in Sancti Laurentii in lucina dictam die 7. Martii 1589. XVI. S. R. E. Cardinalibus adſtantibus, ac praeſertim Aſcanio Cardinali Columna, quo inſtante, concionem habuit.

De Sancto Bonaventura Cardinali, Romae in Sancti Bonaventurae Patrum Capuccinorum Sacra Aede 14. Julii 1588. Sixti V. Pontif. Max. juſſu, compluribus Sanctae R. E. Cardinalibus, ac proceribus, & Domina Camilla ejuſdem Pontificis ſorore praeſentibus.

De Sancto Didaco de Alcalà in Sanctae Mariae Aſſumptionis templo, intus Caſtrum Novum, Neap. die 13. Novemb. 1588. habitam Ill. Domino Alvaro de Mendotia, ejus arcis praefecto, ac Collaterali Status Conſiliario Catholicae Majeſt. inſtante.

Eas conciones typis tradidit *anno*. 1596. *apud Io. Iac. Carlinum, & Ant. Pacem. in* 4.

JACOBUS PALUMBUS Neapolitanus inſignis Tabellio, & politioribus ſtudiis excultus, & ex Academia Incognitorum Neap. ſcripſit librum, cui titulus eſt: *Severo, Dialogo, nel quale ſi ragiona di quelle coſe, che veramente danno honore, o vergogna*, quem ad doctos, & dignos viros amicos Academiae Incognitorum direxit. Editus eſt autem liber *Neapoli. apud Joſephum Cacchium, & ſocios*. 1568. *in* 4.

JACOBUS PANISCOCTI Melphitenſis Apulus Ordin. Min. regularis obſervantiae, ſacrae paginae profeſſor, ſcripſit librum *De Sanctae fidei articulis dialogice* ad Dominum Raymundum de Perrellis Baronem Cerſignani, qui excuſus eſt *Venetiis. anno*. 1535. *apud Aurelium Pincium. in* 4.

Expoſitionem quoque *in pſalmum* XIV. qui incipit, *Domine, quis habitabit &c.* elucubravit dialogice, interlocutoribus *David, & Salomone*, hoc interrogante, illo vero reſpondente, ad Dominum Ferdinandum Gonzagam Melfictanum Principem. excuſum ibidem, & eiſdem anno & forma.

Edidit etiam *Librum in Decalogum*, qui impreſſus eſt *Venetiis. apud Cominum de Tridino. anno*. 1556.

Vixit autem anno 1535. De eo Fr. Franciſcus Gonzagha *in Chron. Sancti Franciſci prima parte*. Fr. Petrus Rodulphius Foſſinianus *lib.* III. *hiſtor. Seraphicae Religionis fol.* 322. & Poſſevin. *in* 2. *vol. App. Sac.*

JACOBUS DE PETRUTIIS Neapolitanus Ord. Minorum, & Larinenſis Epiſcopus, Antonelli de Petrutiis Ferdinandi Senioris Regis a Secretis, filius, ac Joannis Baptiſtae de Petrutiis, Tarentini Archiepiſcopi viri inſignis, (de quo inferius ſuo loco dicemus) germanus frater extitit. Philoſophus fuit ſuae aetate inſignis, & Auguſtini Nyphi Sueſſani diſcipulus; philoſophiam quoque Neapoli publice profeſſus, edidit libellum, cui titulus eſt *Kataſtreſis doctrinae Auguſtini Nyphi Sueſſani, Philoſophorum Monarchae, edita a Fratre Jacobo de Petrutiis Neapolitano Ord. minorum, ejuſdem Auguſtini diſcipulo, ac Epiſcopo Larinenſi, licet immerito, dedicataque Domino Heronymo Carboni patritio Neapolitano, ac communis patriae decori*. In eo libello Auctor Auguſtini Nyphi doctrinam ab objectis potiſſimum Thomae Caietani, tuetur. Prodiit autem libellus *Neapoli*, abſque anno, & nomine impreſſoris *in fol.* In epiſtola vero nuncupatoria vocat ſe ipſum *Jacobum Philoporum Petrucium Parthenopeum Ord. Minorum, & Larinenſem Epiſcopum*.

Ex Joanne Scoppa didicimus alia etiam opera ab hoc Epiſcopo fuiſſe conſcripta, quandoquidem in ejus *Epiſtola ad Joannem Baptiſtam Petrucium Tarentinum Archiepiſcopum*, quae Scoppae Grammaticae praefixa eſt,

Digitized by Google

eſt, *ſub datum anno* 1508. haec inter caetera ait: *Vellem tamen uti hortatu veſtro promiſſa emittere Capita tua numeroſa, ac priſcis aequanda, de univerſali Cometae judicio; Carmina, cum Sylvis: & Epiſcopus Larinenſis germanus tuus dialecticus praeacutus, philoſophus, ſubtilis Pomeridianas, nunc Maronianas, mox pro Scoto Collectanaea incunctanter ederetis*. Idem Scuppa in alia *Epiſtola anno* 1507. ad eundem Tarentinum Archiepiſcopum ſcripta, quae in ejus *Collectaneis* habetur, meminit itidem hujus Larinenſis Epiſcopi; quem vocat *dialecticum acutum, philoſophum ſubtilem, theologum ſublimem, & Eccleſiae cuncta rimantem*.

Extat quoque Auguſtini Nyphi, *Averrois de mixtione defenſio ad aetatis* (ut Nyphus ait) *noſtrae decus, Epiſcopum Larinenſem Jacobum de Petrutiis, Dei, ac naturae interpretem*, excuſ. *Venetiis. anno*. 1505. *apud haeredes Octaviani Scoti*. Idem Nyphus in nuncupatoria Epiſt. ad Aloyſium Cardinalem de Aragonia *in Commentariis ad libros Ariſtotelis de Caelo, & Mundo*, meminit *Fratris Jacobi de Petruciis Ordinis Min. Larinenſis Epiſcopi Dei, & naturae interpretis*.

JACOBVS PVDERICVS Conſentinus Philoſophus, ac Medicus, ſcripſit librum *De venenati corporis dignotione* ad Vincentium Maſtrillum regium Conſiliarium. Item *De lapide ferreo ab aere lapſo, de ejus generatione, & cauſa* ad Ex. Dominum Joannem a Zunica Mirandae Comitem, & in Neapolitano Regno Proregem, qui impreſſi ſunt ſimul *Neapoli. anno*. 1588. *apud Joſephum Cacchium. in* 8.

JACOBVS E TRANO, ſive *de Teranio*, Canonicus Aprutinus, dein Averſanae Eccleſiae Archidiaconus, J. C. praeclarus, edidit librum *de Monarchia Romani Pontificis*, qui *Monarchialis Papae* ab eo nuncupatur; quem improbati nominis Author gloſſae Pariſienſis, ut audivimus, non puduit *blaſphemum librum* vocare.

Dialogum inſuper *de Redemptione generis humani*, quem appellavit *Conſolationem peccatorum*. Edidit quoque *Librum in Clementinas*.

Vixit autem anno 1390. ut refert Gulielmus Eiſtrigrenius *in Catalogo teſtium veritatis*. *Poſſevin. in* 2. *vol. App. ſac.* Sanſovinus *in* 2. *vol. Chronici univerſalis*. *lib.* XIII.

Joannes Trithenius *in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis* vocat illum *Iacobum de Theramo Canonicum Aprutinum, & Archidiaconum Averſanum, Iuriſconſultum celeberrimum*; quem vixiſſe ait anno 1490.

JACOBVS SANNAZARIVS Neapolitanus, vide ſuperius *Actium Syncerum Sannazarium*. Is enim etſi *Iacobus* vere vocaretur, *Actius* tamen *Syncerus* dictus eſt, mutato nomine. Nominum enim mutationem Academicis ejus aetate uſui eſſe ex inſtituto Romanae Academiae jam eſt compertum, ex Platina in vita Pauli II.

JANVARIVS CARACCIOLVS Neapolitanus Clericus regularis Theatinus, Theologus, edidit latine *Commentaria Moralia in Evangelia Dominicarum totius anni*, impreſſa *Neapoli*. 1637. *apud Robertum Mollum. in* 4. Ex. Domino Emanueli de Fonzeca, & Zunica Comiti de Monterii, & Fuentes, in Neapolitano Regno Proregi dicata.

Obiit vero is Matriti die 13. Octobris 1642.

JANVS ANYSIVS Neapolitanus poëta multa conſcripſit, e quibus haec ad noſtram notitiam pervenerunt:

Va-

Variorum poëmatum, & *Satyrarum libros* IX. ad Pompeum Columnam Cardinalem, excuſos *Neap. apud Joannem Sultzbacchium Hagenovenſem Germanum*. *anno*. 1531. *in* 4.

Sententias morales ejuſdem Jani ſingulas ſingulis ſenariis abſolutas ad Inacum Mendozam Cardinalem *ibidem* editas.

Item *Variorum poëmatum* alios *libros* II. caeteris editis adnectendos, impreſſos *ibidem*. *apud eundem*. *anno*. 1536.

Variorum poëmatum librum III. impreſſum *ibidem*, ſine die, & Conſule.

Epiſtolas de *Religione*, & *Epigrammatum* alios *libros* II., quae omnia Fabritio Jeſualdo, & Antonio Oriae dicavit, excuſ. *Neap. apud eundem*. *anno*. 1538. *in* 4.

Prodiit quoque ejuſdem *Anyſii Protogonos*, *Tragoedia*. *Neapoli*. *apud eundem*. *anno*. 1536. in 4.

Commentarium, & *Apologiam* ejuſdem *Tragoediae Protogoni*, quae Janus Horatio Anyſio ejus ex fratre nepoti obiter interroganti reſpondit, & in Commentarium Horatius redegit; & cum ejuſdem *Jani Epiſtolis*, & *correctionibus*, ad eam Tragoediam, ſpectantibus, Ferdinando Franciſco Davalo Jani nomine dicavit, excuſ. *Neapoli*. abſque die, & Conſule, & nomine impreſſoris.

Alium etiam *Librum Poëmatum* edidit, qui cum operibus Coſmi Anyſii ejus fratris excuſus eſt *Neap. per Joannem Sultzbacchium*. 1533. *in* 4.

Lilius Gregorius Gyraldus *in hiſtor. poët. Dial.* II. *de poëtis noſt. temp.* ait: *Janus Anyſius poëta facilis, multa reliquit poëmata diverſorum argumentorum, quae longum eſſet recenſere. Hujus frater Coſmus imitatus veſtigia, & ipſe in poëtica profecit; quae cujus ordinis ſint facillime emunctae naris cenſor judicabit, ne vobis hic multa inculcem.*

Obiit autem Neapoli Janus Anyſius anno 15. . . & in S. Joannis Majoris ſacra aede ſepultus eſt, ubi haec in ejus ſepulcro marmoreo legitur inſcriptio:

D. S. S.

ONVSTVS AEVO IANVS HIC ANYSIVS QVAE RENS MELIVS ITER RELIQVIT SARCINAM QVA PRAEGRAVATO NVLLA CONCESSA EST QVIES TVM SI QVA FVLSIT CVM CAMOENIS HAEC STETIT QVAE MOX FACESSIVERE PLVS NEGOTII H. M. H. N. S. HOC DE SVO SVM PSIT. SACRVM EST NE TANGITO.

JANVS CAESAREVS Conſentinus poëta, vide *Joannes Caeſareus* Conſentinus.

JANVS LACINIVS Calaber Phyeroneus, Minorita, Theologus, edidit praetioſa, ac nobiliſſima *Artis chymicae Collectanea*, *de occultiſſimo*, *ac praetioſiſſimo Philoſophorum lapide*, quam *Margaritam Novellam* inſcripſit, Artis hujus divinae typum; ac methodum ab ipſo collectam, ex Arnoldo, Raymundo, Raſi, Alberto, & Michaele Scoto, excuſus eſt autem liber hic *Venetiis*. *anno*. 1546. *apud Aldum*. *in* 8. Item *Norimbergae*. *apud Gabrielem Hayn. Jo. Penegenerum*. *anno*. 1554. *in* 8. ab eodem Gabriele dicatus Joanni Jacobo, & Georgio de Fuggaris.

Hujus Jani, ac ejus libri meminerunt quoque F. Franciſcus Gonzaga, *in* I. *parte Chron.* S. *Franciſci*, & Fr. Petrus Rodulphius Foſſinianus *libr.* III. *Hiſtor. Seraph. Relig. fol.* 322. qui ſuperaddit eum *librum Chymiſticis utiliſſimum*, *non triviali indagine elaboratum*.

In ejus libri perfectione Janus hic pollicetur in lucem edere *Methodum in omnes libros Raymundi Lulli*.

JANVS PARRHASIVS Conſentinus vir undequaque doctiſſimus Graecae, ac Latinae linguae eruditiſſimus, praeſtanti vir ingenio, poëta, & orator, nulli ſecundus fuit. In compluribus, ac praecipuis Italiae urbibus humanas litteras floride nimis, ac ſcite privatim, ac publice, magno plauſu, eſt profeſſus; & praeſertim Neapoli, Mediolani, ac

ac Romae. De Mediolano autem inſpeximus originale privilegium in pergameno extans in Bibliotheca Caenobii S. Joannis ad Carbonariam, in quo continetur „ quod „ Gregorius de Ambaſia tituli S. Sixti „ praesbyter Card. Archiepiſcopus Rothomagenſis Comes Sartiranae, regius ultra „ montes Locumtenens Generalis Chriſtianiſſimi Regis, vacante loco publico le„ ſturae lectionis artis Oratoriae in inclyta „ Urbe Mediolani, per abſentiam Magiſtri „ Julii Novarienſis, egregius Janus Parrhaſius Neapolitanus petiit ſibi de illo loco „ provideri, quare is Cardinalis fretus do„ ctrina, moribus, & integritate ejuſdem „ Jani, illi annuit, & Magiſtrum Janum „ conſtituit ad publicam profeſſionem ip„ ſius artis Oratoriae in dicta Urbe Mediolani, ad beneplacitum Chriſtianiſſimi Regis noſtri, cum ſolito ſalario. Datum in „ Arce portae Jovis Mediolani die 14. Auguſti 1501.

De Romana quoque Cathedra habet Onufrius Panvinius *in vita Leonis* x. Romani Pontificis, quae poſt Platinae librum de *Rom. Pontif.* conſpicitur. Janum Parrhaſium humanarum litterarum illuſtrem profeſſorem ab eodem Leone Romam evocatum, ut ibidem humanariora ſtudia, & bonas litteras publice explanaret, atque edoceret; cum is Pontifex Urbis gymnaſia inſtauraret, & clariſſimis profeſſoribus illuſtraret. Ipſi quoque vidimus hac de re originales ipſius Leonis litteras, ac dyplomata, quae ſic ſe habent:

Dilecto filio Jano Parrhaſio.

LEO PP. X.

„ Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cupientes ut Romanum Gymnaſium optimis doctoribus „ abundet; quo ii, qui ſe bonis artibus dediderunt, ea ex re percipere fructus uberiores poſſent; de tua in ſtudiis „ mitioribus doctrina certiores facti, ad „ ea edocenda, profitendaq. Romae publice te elegimus; ſtatuimuſque ut ſingulis „ annis ducentos aureos haberes. Quamobrem hortamur te, ut ad Urbem quam „ primum te conferas; libenti enim, & „ paterno animo te videbimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum ſub annulo „ Piſcatoris, die XXVIII. Septembris M. D. „ X. in Pontif. noſtri anno ſecundo.

P. Bembus.

a tergo:

Dilecto filio Ioanni Parrhaſio Familiari noſtro.

LEO PP. X.

„ Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Jam inde a principio noſtrae ad ſummum Apoſtolatus „ apicem Divina favente Clementia aſ„ ſumptionis, pro noſtra ſingulari erga almam Urbem noſtram benevolentia, & „ paterno affectu, de rebus ad eam ſpectantibus praecipuam ſuſcepimus curam; „ & ad ipſius Urbis litterariam Univerſitatem illuſtrandam, inſignes doctrinae viros virtute, atque integritate praeditos „ undique conquireremus. Cumq. ipſi etiam „ antea in minoribus conſtituti, intellexerimus te egregie iis dotibus ornatum, „ quae ad bonos, & doctos viros efficiendos accommodatae ſunt; Te ad id una „ cum nonnullis aliis viris excellentibus „ vocavimus, locumq. congruum cum honeſto ſtipendio in ipſius Urbis gymnaſio „ aſſignavimus. Verum, ut hic doctrinae, „ qua liberaliſſime praeditus es, & ingenio, quo mirifice praeſtas, & aliud a „ nobis erga te paternae noſtrae caritatis, „ & benivolentiae indicium extet, idoneuſque pro tuae virtutis & dignitate, & „ praeſtantia honos habeatur, Te in noſtrum „ Familiarem continuum commenſalem harum ſerie recipimus, & aliorum commenſalium numero aggregamus. Datum „ Romae 29. Aprilis 1518. Pontificatus „ noſtri anno ſexto.

Ia. Sadoletus.

Scripſit ſcitiſſima *Commentaria in* opus *Cl. Claudiani de Raptu Proſerpinae, cum* ipſius *Claudiani vita*, per eumdem Parrhaſium edita, hortatu, & nomine C. Catuliani Cottae

tae patricii Mediolanenſis, ut ex ipſius *Epiſtola nuncupatoria*, ſub datum Mediolani 7. Kalen. Januarii 1500. in principio ejus libri excuſa. In eo libro praeter ipſius Parrhaſii in Claudianum expoſitionem, quamplurima ex aliis quoque auctoribus loca a caeteris interpretibus, vel non animadverſa hactenus, vel perperam intellecta, vel depravata, etiam quam diligentiſſime tractantur, explicantur, reſtituuntur, impreſſ. *Mediolani*. *anno*. 1501. At Parrhaſius opus illud Jafredo Carolo humani, divinique juris Conſultiſſimo, Delphinatus Praeſidi, ac Inſubrium Senatus Principi, dicavit, ut ex *Epiſtola* ſub datum Mediolani. Excuſum eſt autem *Baſileae*. *anno*. 1517., ubi etiam recuſum eſt 1539. *apud Robertum Winter*. *in* 4.

Scripſit quoque luculentiſſima *Commentaria in Q. Horatii Flacci Artem poëticam*, quae poſt ejus mortem Berrardini Martyrani Conſentini, regiis a Secretis in Neapolitano Regno, ejus concivis, ac diſcipuli cura, ac ſtudio in lucem edita ſunt *Neapoli*. *anno*. 1531. a *Joanne Sulzbacchio Hagen. Germ. in* 4. ab eodem Martyrano ampliſſimo Praeſuli Benedicto de Accoltis Cardinali Ravennati dicata.

Edidit *Compendium Rhetorices, ex optimis utriuſque linguae auctoribus exceptum*, quod excuſum eſt *Baſileae*. *anno*. 1539. *apud Robertum Winter*.

Annotationes in Metamorphoſes Ovidii, quae impreſſae ſunt . . . .

De rebus per Epiſtolam quaeſitis librum vere eruditum, excuſum *anno*. 1567. *ab Henrico Stephano*. *in* 8. qui etiam habetur *in* 1. *vol. Theſauri Critici* a Jano Grutero Collecti, editi *Francofurti*. *anno*. 1602.

Elegia, quoddam ipſius amatorium, lepidum quidem, atque amatorios affectus ſpirans, cum aliis quibuſdam Conſentinorum civium carminibus, excuſum eſt *Neapoli*. 1534. Pyrrhi Cicadae Conſentini cura, ut inferius in Pyrrho dicemus.

Parrhaſii elegans *Epiſtola ad Michaëlem Riccium*, in qua Michaëli de opere edendo conſulenti reſpondet, deſcripta eſt in principio operis ejuſdem Michaëlis.

Ejuſdem perelegans *Epiſtola* latine ſcripta *ad Aldum Manutium* habetur in libro qui *Epiſtolae Cl. virorum ſelectae* appellantur, impreſſ. *Coloniae Agrippinae*. *apud Jo. Gymnicum*. 1586. *in* 8.

Commentarios quoque *in Epiſtolas Ciceronis ad Atticum* conſcripſit, qui manuſcripti habebantur Neapoli in Biblioth. Cardinalis Seripandi in Caenobio S. Joannis ad Carbonariam Ord. Eremitarum S. Auguſtini.

Caſtigationes itidem ſcripſit *in Livium*, ut ipſe in *Epiſt. nunc.* operis *de Raptu Proſerpinae* ad Jafredum Carolum teſtatur, cum triennio jam Livii Macedonicum bellum frequenti profeſſus eſſet auditorio, ſingulis lectionibus emendavit, in quibus oſtendit, ut ipſe ait, certiſſimis argumentis ex ea Decade depravatum locis amplius mille.

At cum multa, ac fere innumerabilia opera Parrhaſius ſcripſiſſet, e quibus quaedam eo vivente fuerant in lucem edita, fuerunt pleraque ob ejus obitum occupata, ac furto ſubtracta. Quorum Parrhaſii operum jacturam multi ſunt ejus aetatis, qui deplorant; in primis Joannes Pierius Cyminus Conſentinus vir eruditus; ipſius Parrhaſii diſcipulus, ac auditor in *nunc. Epiſtola in Fl. Soſ. Chariſii Campani* vetuſtiſſimi Grammatici a ſe in lucem emiſſi, ad Corialanum Martyranum S. Mauri Epiſcopum, qui ait *ſummopere dolendum, quod aliquorum iniquitate Jani opera ob ejus mortem fuerunt intercepta, maximo litterarum incommodo, qui eruditiſſimis illis tanti viri vigiliis privari contigit, & utriuſque linguae irreparabili jactura, quam triſtis Iani interitus attulit*. Ac pollicetur propediem in lucem edere Parrhaſii Vitam, cum ejuſdem Jani *Rhetoricis quaeſtionibus*, ſicque de Parrhaſio inter alia ait: *Parrhaſius inquam noſter, qui doctiſſimi, atque optimi cujuſque judicio fulgentiſſimus quidam candidarum litterarum ſol exiſtimatur, nec ullus adeo invidiae facibus infeſtatur, adeo expers totius humanitatis eſt, quin aſſeveret neminem uſquam gentium eo*

tem-

Digitized by Google

tempore extitiſſe, qui abſolutam Rhetoris perſonam actione eloquentiſſima, & multiplici rerum cognitione felicius noſtro Iano ſuſtinuerit, propriumque latinae linguae candorem illum Romanum naturali quadam rerum verborum copia retulerit. Audivi hoc a teneris annis, ubicumque fui, & nunc in dies magis, magiſque audio doctiſſimos quoſque haec uno ore ingenue fateri, & praedicare &c.

Franciſcus Robertellus Utinenſis *lib.* 11. ſuarum *Annotationum ad varia loca, quae tam in Scriptoribus Graecis, quam in Latinis paſſim leguntur*, in fine ironice, & velatis verbis exprobat Andreae Alciato Mediolanenſi, viro eruditiſſimo, quod Jani Parrhaſii, ipſius Alciati Magiſtri, ſcriptis, ac laboribus uſus ſit, eaque in proprium uſum converterit, & in lucem ediderit, & ejuſdem Parrhaſii operum jacturam deplorat, dum ſic ait: „ Tibi vero gratulor Alciate, quod Janum Parrhaſium virum doctiſſimum a pueritia nactus fueris praeceptorem. Numquam enim tua ſcripta lego, quin mihi illius recordatio viri occurrat, adeo diligentis, ac perſpicacis in veterum locis emendandis, atque explanandis. Ac, utinam, illius ſcripta non interiiſſent, aut aliquo in loco compreſſa non laterent! Scio enim multa illum ſcripſiſſe, praeter ea, quae extant ad expurgandos, & illuſtrandos veteres auctores Graecos, ac Latinos. Nec ſane pauca mihi legenda tradidit familiaris quidam meus, qui idem affirmavit, Conſentiae apud multos haberi multo plura deſcripta; quae paulo poſt exibunt in lucem. Homines, qui ignorant talem praeceptorem tibi a pueritia contigiſſe, admirantur poſtea, quantum etiam in hoc ſtudiorum genere valeas. Ego, qui id ſcio, nec miror, & laetor; quia tui, tuaque gloria ſtudioſiſſimus ſum. Te igitur oratum velim, ut me in tuorum numerum amicorum libenter adſcribas, neque poſthac irrites, vel tecte, vel palam; ſed patiaris aequo animo, ut quae de litteris ſentio, proferam.

Gabriel Barrius Francicanus *lib.* 11. *de antiqu., & ſitu Calabriae. fol.* 115. ait Janum Parrhaſium Conſentinum praeſtanti ingenio, ac judicio virum, & flagranti ſtudio, ac doctrina longe praeditum Poëtam, eundemque Oratorem, latina, Graecaque lingua valde eruditum, nulli ſui ſaeculi ſecundum, Mediolani publice fuiſſe profeſſum magna facundia, ac doctrina; exinde vero a Leone x. Rom. Pontif. accitum in Urbem veniſſe, in qua publice bonas litteras eſt profeſſus: atque uxorem Demetrii Chalcondylis filiam duxiſſe, qua felici cognatione ſocerum, & generum utriuſque linguae imperium tenuiſſe.

Commentarios in Claudianum, & *in Ovidii Ibin* edidiſſe recondita eruditione refertiſſimos, & *in Poëticam Horatii*, & libellum *de arte dicendi*, & in *Epiſt. Cic. ad Atticum*, ac etiam *Fragmenta* quaedam, forte linguae latinae, aut grammaticae, quorum Aldus Manutius meminit *lib.* IV. *Inſtit. gram.* ſic enim ait: *In Fragmentis illis antiquis ſine nomine, quae Ianus Parrhaſius, homo utriuſque* linguae doctiſſimus, *cum Mediolani publice bonas litteras profiteretur, edidit.* Librum etiam de *rebus abſtruſis per Epiſtolam quaeſitis*. *Librum* quoque *ſuper Ovidii epiſtolas*. Multa ejus opera ab aliis occupata paucis immutatis ſub aliorum nomine prodiiſſe deplorat idem Barrius, & praeſertim *Comm. in Cic. Epiſt. ad Atticum*, quae in Seripandi manus, & inde ab eo in Pauli Manutii manus cum perveniſſent, ſub ipſius Manutii nomine prodierunt.

Bibliotheca, & ſcripta Jani Parrhaſii, poſt ejus mortem, ad Antonium Seripandum ejus diſcipulum, ac amicum pervenere; dein, Antonio ab humanis ſublato, ad Hyeronymum Seripandum S. R. E. Card. ejus fratrem; qui moriens ejus inſignem Bibliothecam Coenobio S. Joannis ad Carbonariam Ord. S. Auguſtini legavit. In qua quidem Bibliotheca, poſt ipſius Parrhaſii operum naufragium, atque deplorandam cladem, & ejus domus, ac Scriptorum pene direptionem, adhuc ſuperſunt omnes ſe

re antiquorum Scriptorum libri ab eo accurate perfecti, & emendati; & in margine gloſſemmatibus, & annotationibus ab eo illuſtrati; & in omnibus fere, albis paginis intermediis interjectis, quibus ſua manu annotationes ſcripſit. Infinita quoque ejus ſcripta habentur, ſunt autem haec:

Rhetoricae breviarium, quo Janus Parrhaſius utebatur ad perducendos adoleſcentes ad Eloquentiam, cum gloſſis, & cartulis Pharraſii, impreſſis *Vincentiae*. 1509. *Lactantii Firmiani Opera per Janum Parrhaſium accuratiſſime caſtigata, Graeco integro adjuncto, quod in aliis cum mancum, tum corruptum inveniebatur*, impreſſ. *Venetiis*. *anno* 15.... *in fol. Senecae opera, cum annotationibus Eraſmi*, emendata a Jano. *Macrobius*, *Quintilianus* a Jano emendatus, & cum ſuis gloſſematibus. *Georgii Trapezuntii Rethorica* cum Jani gloſſematibus. *Terentius* cum cartulis, & gloſſematibus Jani. *Virgilii Eneides*, & *juvenilia*, cum Jani gloſſematibus. *Virgilii cum Servii commentariis*, ac Jani gloſſematibus. *Horatii* cum cartulis, & gloſſematibus Parrhaſii. *Statius* cum gloſſematibus, & cartulis Parrhaſii. *Statius cum Placidi Lactantii commentariis*, ac gloſſis, & cartulis Parrhaſii. *Juvenalis cum comm. Jo. Britannici*, & gloſſematibus Parrhaſii. *Valerius Flaccus* cum Jani gloſſematibus. *Auſonius* cum Jani gloſſematibus. *Ovidii Metamorph. cum comm. Raphaelis Regii*, & annotationibus Jani. *Ovidii Epiſtolae cum comm. Ant. Volſci Ubertini, ac Omniboni, & Ibis cum Zaroti comm. ac Domitii*, & gloſſematibus Parrhaſii. *Diomedes*, & una *Phocas Donatus*, *Sergius*, *Servius*, *Agretius*, *Priſcianus*, *Caper* Grammatici veteres, qui emendati ſunt a Jano. Item *Nonius Marcellus* etiam ab ipſo emendatus.

Habentur quoque haec Jani Parrhaſii multa in quibus continentur ejuſdem *Annotationes in* III. *lib. Epiſt. ad Atticum*. *In lib.* I. *de Orat.* In *Paradoxa*. Tuſculanas, Officia, Epiſtolas ad Lentulum M. Tullii Ciceronis. Item Animadverſiones in ſequentes alios veteres Auctores, nimirum: in *Livium*. In *L. Florum Annotationes*. In *Caeſaris commentaria*. *Valerii Maximi*. *Statii Sylvas*. *Tibullum*. *Juvenalem*. *Perſium*. In *Cornelii Balbi lib.* III. In *Ovidii Epiſtolas*, ac *Ibin*, & in *lib.* I. *Carm. Horatii*; & *Artem poëticam*. In *Valerium Flaccum*. *De Sybari, & Crati, Thurioq.* Opuſculum ejuſdem Parrhaſii. In *Albaldum de Minutiis*. In *Pauſaniam*. *Q. Curtii de rebus geſtis Alexandri Magni* Regis Macedonum, cum emendationibus Jani. *Svetonius* emendatus a Jano. *Ammianus Marcellinus* emendatus a Jano. *Macrobius* correctus a Jano. *Praelectiones* in Auctores diverſos. Item liber *de Viris illuſtribus*, cujus ſit ... *Apologia in Furium Vallam* impreſſa. *Excerpta ad invectivas*. Jani Parrhaſii *Epiſtolae*. *Epiſtolae ad Janum Parrhaſium*. Jani Parrhaſii *Carmina*. *Carmina ad Janum Parrhaſium*. *Epiſtolarum faſciculi* III. quorum unus eſt Pontani manu. Item *Epiſtolarum faſciculi* XII. *Orationes*, & alia quaedam; & infinita alia propemodum ſcripta Parrhaſii excerpta ex variis auctoribus, & ipſius ſcripta in diverſos auctores, quae pluribus ſacculis continentur, & *Litterae regiae* ad Janum, & *Bullae* quaedam *Pontificiae*.

Prodierunt quoque in lucem *A. Jani Parrhaſii*, & *Clarii Leonardi Schipani* ejuſdem auditoris, ac diſcipuli, & *Auli Pyrrhi Cicadae* Conſentinorum *Elegiae*, & *alia poëmata*, quae idem Schipanus in lucem edidit, excuſae autem ſunt *Neapoli*. *anno* 1534. *apud Jo. Sulzbacchium Hagenov. Germ. in* 8.

Lucas Gauricus in ſuo libro *Nativitatum tract.* 4. qui habetur *in* 2. *vol.* ejus operum, geniturам aſtrologicam facit Jani Parrhaſii Calabri, quem facundiſſimum oratorem vocat, ac poëtam celeberrimum, & in litteris tum Graecis, tum latinis eminentiſſimum fuiſſe ait, & feliciſſimo tempore Leonis X. Romae in Scholis publice profeſſum, cum eleganti facundia, Sylvas Statii; & ad eum maximam auditorum catervam confluxiſſe natum anno 1470. atque

Digitized by Google

que audiviſſe ſe ait, Janum obiiſſe, cum annum ſuae aetatis ageret 63. qui eſſet annus 1533. in quo error verſatur, cum deſunctus comperiatur anno 1531.

In obitu A. Jani Parrhaſii concinnam cecinit Elegiam Nicolaus Salernus Conſentinus poëta *lib.* IV. ejus *Carminum*.

Antonius quoque Seripandus Hieronymi Card. frater Neapoli in Baſilica Divi Joannis ad Carbonariam Fratrum Eremit. Sancti Auguſtini prope ejus tumulum Jano Parrhaſio hanc marmoream inſcriptionem poſuit.

IANO PARRHASIO QVOD SIBI SOCIVS IN RE LITTERARIA FVISSET ANTONIVS SERIPANDVS TESTAMENTO F. IVSSIT.

JANUS PELUSIUS Crotoniata Calaber, Clericus ſaecularis, Graecae, ac latinae linguae peritus, magiſter fuit in humanis litteris Ranucii Farneſii Parmae, & Placentiae Principis, & Odoardi Farneſii, qui poſtea fuit S. R. E. Cardinalis in tenera eorum aetate. Multa edidit tum Carmine, tum ſoluta oratione. Quae autem Carmine edidit haec ſunt:

Scripſit *Luſuum libros* IV. ad Petrum Portocarerium Magiſtrum equitum, & Collateralem Conſiliarium in Neapolitano Regno, qui editi ſunt *Neapoli*. 1567. *apud Joannem de Boy in* 8.

Luſuum librum unum ad Fulvium Peluſium, ejus fratris filium, excuſ. *Parmae. apud Eraſmum Viottum*. 1581. *in* 8.

Epitalamion Sereniſſimorum Principum Vincentii Gonzaghae, & Margaritae Farneſiae, ad Gulielmum Gonſagam Mantuanorum, ac Salaſſiorum Ducem, Sereniſſimum, ejuſdem Vincentii patrem, impreſſum *Placentiae*. 1581. *apud Jo. Bazaschium, & Anthaeum Comitem. in* 8.

Poëmatum libros II. ad Joannem Andream Peluſium U.J. Doctorem, ejus fratris filium, impreſſ. *Parmae*. 1581. *apud Eraſmum Viottum. in* 8.

Epitalamii in Alexandri Pallavicini Curiae majoris Buxeti & Fidentiae Marchionis, & Laviniae Farneſiae Virginis Illuſtriſſimae, ac pulcherrimae, excuſ. *Placentiae*. 1585. *apud Io. Bazacchium. in* 8. eidem Alexandro dicati.

De Conceſſione Arcis Placentiae gratulatio edita *Placentiae. apud Jo. Bazacchium*. 1585. *in* 8. Alphonſo Eſtenſi Ferrariae Duci nuncupata.

Caroli Borromei Illuſtriſſimi, & optimi Cardinalis S. Praxedis Mediolanenſis Archiepiſcopi Epicedion ad Fratrem Franciſcum Panigarolam. *Placentiae*. 1585. *apud Io. Bazacchium. in* 8.

Caroli Emanuelis Sabaudiae Ducis, & Catharinae Auſtriacae Epitalamion, iiſdem Sereniſſimis Jugalibus dicatum, excuſ. *Placentiae*. 1585. *apud eumdem. in* 8.

De Nuptiis Caroli Emmanuelis, & Catherinae Auſtriacae Vaticinium Michaëli Bonello Cardinali Alexandrino dicatum, impreſſ. *Placentiae. apud eumdem*. 1585. *in* 8.

Luſuum farrago Xantho Peluſio fratri dicata, excuſ. *ibidem, eod. an.*, & forma *Gratulatio Sereniſſimo Odoardo Farneſio in Sacroſanctum Senatum Cardinalium allecto*, ad Camillum Cajetanum Patriarcham Alexandrinum, impreſſa *Parmae*. 1591. *apud Eraſmum Viottum. in* 8.

Aphioſchediaſmata ad Paulum Sfondratum S. R. E. Cardinalem edita *Parmae. apud eumdem*, eodem modo, & anno.

Naeniarum ad Marium Farneſium, excuſ. *Parmae*. 1591. apud eumdem in 8.

Hymnorum libros II., ad Clementem VIII. Rom. Pontif. excuſ. *Parmae*. 1592. *apud eumdem. in* 8.

Odarum libros II. ad Cardinalem Odoardum Farneſium ejus diſcipulum, ibidem & apud eumdem, & eodem modo excuſas.

Tryphiodori Egyptii Grammatici, ac poëtae Ilii Excidium, ex Graeco in latinum heroico, ac grandi Carmine tranſtulit, quod Ranuccio Farneſio Parmae, ac Placentiae Principi ejus diſcipulo dicatum, excuſum

eſt

Digitized by Google

eſt *Parmae*. apud eumdem 1592. *in* 8.

Naeniarum librum ad Clementem VIII. Pontif. Max. *Romae* . *ex typographia Gabiana* 1593. *in* 8.

Soluta vero oratione haec edidit . *Orationem habitam in nuptiis Illuſtriſſimi Comitis Renati Borromei* , *& Illuſtriſſimae Herſiliae Farneſiae* ; quam eidem Comiti dicavit. Annexus eſt etiam *Epitalamion* ejuſdem auctoris Carmine in ejuſdem nuptiis, cum aliis Carminibus , quae omnia cuſa ſunt *Parmae*. 1579. *per Set Viotium*. *in* 8.

Ad Proceres Chriſtianos Cohortationem , quam Gulielmo Cardinali Sirleto dicavit, excuſam *Neapoli*. 1567. *apud Joannem Boy. in* 8.

In funere Illuſtriſſimi Fabii Farneſii Orationem ad Gabrielem Paleotum S. R. E. Cardinalem, quae edita eſt *Parmae*. *apud Seth Viotium*. *in* 8. 1579.

Pro Militibus adverſus Iuriſconſultos Orationem ad proceres Gonzagam Mantuanorum Principem deſignatum , quae prodiit *Parmae*. 1586. *apud Eraſmum Vioth*. *in* 8.

In Placentiae Laudem ad *Placentinos Oratio* , quam eidem Illuſtriſſimae , ac nobili Civitati dicavit, & *Parmae* in lucem edidit *apud eumdem* 1581. *in* 8.

De dubiis Epiſtolam facetiſſimam ad Joannem Pontium Parmenſem, quae Xanto Peluſio fratri dicata , excuſa eſt *Placentiae*. 1582. *apud Io. Bazacchium* , & *Antheum Comitem* . *in* 8.

Apologeticam epiſtolam, & *criminatoriam, adverſus Ioannem Pontium in humanis litteris olim Magiſtrum* ejuſdem Ranuccii Farneſii, Jani Peluſii praedeceſſorem additis verſibus quibuſdam, impreſſ. *Parmae*. *anno*. 1583. *apud Eraſmum Viothum* in 8.

Volumen quoque *epiſtolarum* ſe ſcripſiſſe, in *epiſt. nunc.* in libris *Odarum* ipſe perhibet , ſicut etiam in *epiſt.* libri *Hymnorum* ad Clementem VIII. Rom. Pontif. ſcripſiſſe *Parodas in Odas* , *& Hepodos Horatii Flacci*, & nonnulla *Epigrammata Graecorum* auctorum , quae non ſine ſumma contentione aſſiduo ſtudio , & improbo labore latinitate donaſſe teſtatur.

Tandem Janus hic, cum Dux idem Parmae litterarum ſtudia reliquit, ab ejus aula diſceſſit , ac Romae commoratus eſt, ubi deceſſiſſe fertur.

JANUS THESEUS CASOPERUS Pſychroneus Calaber, edidit latine eleganter Carminum volumen unum , quod in juventute ſcripſiſſe teſtatur, dum Patavii juri operam daret, & Illuſtriſſimo Principi Galeoto Carrafae S. Severinae Comiti dicavit, Domino ſuo unico , ac patrono ; continet autem haec Carmina :

Sylvarum lib. II. *Elegiarum* , *& Epigrammatum lib.* IV. *Amorum lib.* IV. *ad Faſtiam*, quos Ferdinando Spinello Caſtrovillarum Duci nuncupavit . *Epiſtolarum* quoque *libros* II. quos illuſtris, & heroicae indolis puero Andreae Carrafae Galeoti Sanctae Severinae Comitis filio nuncupavit. Ea omnia ſimul excuſa ſunt *Venetiis. anno*. 1535. *apud Bernardinum de Vitalibus Venetum*. *in* 8.

IBYCUS RHEGINUS Calaber poëta Lyricus, Hiſtoricus, ac Muſicus excellens, Certandi Rhegini filius ; unus fuit ex novem Lyricis poëtis ex tota Graecia , ut Iſacius Tzetzes *in Comm. Graecis in Alexandra Lycophronis*.

Fuit is primus, qui inſtrumentum illud Muſicum triangulare, quod *Sambucam* veteres vocabant, adinvenit; quod inſtrumentum cordarum longitudine, & magnitudine inaequalium conſtat, atque *Harpa* hodie nuncupatur.

De eo Suidas ait, *Ibycum Rheginum Samum veniſſe* , *cum ibi imperaret Policrates tyranni pater* , *Craeſi temporibus* , *Olimpiade* LIV. *ac primum Sambucam inveniſſe* , *quae genus eſt triangularis citharae ; ac libros ejus eſſe ſeptem Dorica lingua ſcriptos*, *& dum a latronibus occideretur* , *grues in teſtimonium vocaſſe*.

Athe

Atheneus pluribus in locis Ibyci hujus meminit, & praeſertim *lib.* 11. *cap*: 17. ubi Ibycum citat *in libro* v. *Carminum*, & eodem *lib.* 11. *cap.* 32. citat *Ibycum Pythagoricum* loquentem *de Sambuca*, ac *lib.* IV. *cap.* 24. ait, *inſtrumentum illud Muſicum triangulare ab Ibyco poëta Rhegino fuiſſe inventum, ut teſtatur Neanthes Cyzicenus lib.* 1. *Horarum*. Idem Athenaeus *lib.* XIII. *cap.* 27. inter amatorios poëtas Ibycum Rheginum connumerat, eumque citat *de ſuis amoribus loquentem*.

Meminit quoque hujus noſtri Ibyci Cicero *Tuſcul. quaeſtion. lib.* IV. dicens eum *fuiſſe effrenatum philocaptum*.

Pauſanias *lib.* II. Ibycum citat, & Plutarchus *in collat. Numae, & Lycurgi*, & in *lib. de futili loquacitate*, de Ibyci morte loquitur; & dum a latronibus occideretur, *grues in teſtimonium vocaſſe* perhibet.

Extant tantummodo quaedam ejus *Carmina* Graeca, *ſeu Fragmenta* cum caeterorum veterum poëtarum Carminibus excuſa Graece, & latine ab Henrico Stephano *Coloniae Allobrogum. apud Petrum della Rovere* in lucem emiſſa *in fol.*

Item Graece ex Bibliotheca Fulvii Urſini primo prodierunt cum *Carminibus illuſtrium Faeminarum, ac Lyricorum, & Elegorum fragmentis*, cum ejuſdem Fulvii in omnium Fragmenta Scholiis Latinis. Impreſſ. *Antuerpiae. apud Chriſtopharum Placentinum. anno* 1568. *in* 8.

Volaterr. *lib.* XVI. *Antrhopol.* ait, *Ibycum patria Rheginum hiſtoricum vixiſſe apud Polycratem Samiorum tyrannum regnante Croeſo. Hic dicitur primus* Sambucam (*muſicum inſtrumentum*) *inveniſſe, genus videlicet Citharae triangularis. Feruntur ejus libri* VIII. *lingua Dorica*.

INNOCENTIUS LUCIUS e Metella oppido in ulteriore principatu, poëta, ſcripſit *Elegiam Melibaei, & Tytiri*, Virgilium imitatus, quae excuſa eſt *Neapoli. anno.* 1518. *apud Iacobum de Capellis Nuſcanum. in* 8. quae omnia Donati a Viridirola opera edita ſunt, ac D. Carolo Cabanilio patritio Neapolitano dicata.

Habetur quoque ejus Innocentii Lucii Montellani *Dialogus* latino metro ſcriptus *in libro* Fr. Franc. Lecheti Brixienſis Ordinis Minorum, *in Ioannem Duns Scotum ſuper primum Sententiarum*, qui *Neap.* excuſus eſt *anno*. 1512. in ejus libri Commendationem; in quo interlocutores inducit Divum Franciſcum, ac eumdem Scotum.

Hujus Franciſci meminit Scoppa in ſuis *Collectaneis*.

JOACHIMUS ABBAS Ordinis Divi Benedicti, ex oppido Gallico, & pago Celio, Calaber Florenſis Ordinis inſtitutor, Coratii Monaſterii in Calabria Abbas extitit. Theologus etiam fuit inſignis, in ſacrae paginae explanatione maximo intellectus acumine pollens; adeo ut prophetiae ſpiritu a multis crediturn ſit eum fuiſſe dotatum: ut Gulielmus Pariſienſis accerrimi judicii theologus, qui anno 1230. vixit in *libro de virtutibus*, de illo ſic ſcripſerit: *Debes ſcire, quia donum intellectus tanta claritatis eſt, & acuminis in quibuſdam, ut valde aſſimiletur ſpiritui prophetiae; qualem crediderunt nonnulli fuiſſe in Abbate Ioachimo. Et ipſemet de ſe ipſo dixiſſe dicitur, quia non erat ei datus ſpiritus prophetiae, ſed ſpiritus intelligentiae*.

Sed intelligentiae ſpiritu fuiſſe dotatum Joachimum noſcemus, ſi Commentaria ejus *in Apocalypſim*, & *Concordantiam veteris, ac novi Teſtamenti* perſpexerimus; Prophetiae autem dono inſignitum, ſi *Commentaria in Prophetas* perlegerimus, ejuſque *Vaticinia* obſervaverimus, cum multa praedixerit, quae rei exitus probavit. Graecam namque, ob perfidiam in Romanam Eccleſiam, gentibus dandam praedixit; & ſub arcu quodam ſupra fores veteris Sanctuarii Venetiis in Sancti

Digitized by Google

Santi Marci Aede (quae eſt ibi primaria , & ad inſtar templi Salomonis erecta) fieri curavit Santi Dominici , & Franciſci imagines , cum iiſdem , & veſtibus , ac colore , quas iidem Sancti geſtare debuiſſent , muſivo opere exprimi fecit . Ignoti tamen erant , & qui futuri eſſent ignorabatur , & paucos poſt annos , nempe cum ſuos Ordines inſtituerent D. Dominicus poſt tres annos , D. vero Franciſcus novem : imo Sanctum Franciſcum cum ſacris Stigmatibus pingi fecit , qui uſque in praeſentem diem videntur . In ejuſdem quoq. templi pavimento , ac parietibus , fornicibus , ac teſtudinibus alias imagines , atque effigies vermiculato , atque muſivo opere , quae futura continerent effingi curavit , quae in dies eventu probata ſunt .

Is quoque Joachimus *in Apocalypſi cap.* 14. expreſſum profert vaticinium de inſtitutione Ordinis Eremitarum Santi Auguſtini , quod optime obſervarunt Henricus de Urimaria *in tract. de Origine ejus Ordinis* , & Divus Antoninus Florentinus Archiepiſcopus in III. parte ejus *hiſtor. tit.* in quo *de Ord. Eremit.* agit , hunc in modum : *Surget ordo , qui videtur novus , & non eſt , indutus nigris veſtibus , & deſuper accinctus Zona pellicea . Hi creſcent , & fama eorum divulgabitur , & praedicabunt fidem , quam & defendent uſque ad Mundi conſumationem in Spiritu , & veritate Eliae . Qui erit ordo Eremitarum aemulantium vitam Angelorum . Quorum vita erit , quaſi ignis ardens in amore , & zelo ad comburendum ſpinas , & tribulos , hoc eſt ad conſumendum , & extinguendum pernicioſam vitam pravorum , ne mali amplius abutantur Dei patientia .*

At Caeſar Cardinalis Baronius *vol.* XII. *Annal. Eccleſ.* pluribus in locis meminit hujus Joachim , ſive Joachimi , Monachi Ciſtercienſis Abbatis de Curatio , ſive Florenſis , & male de illo ſenſit , *ex quo Petri Lombardi Sententiarum Magiſtri calumniator fuerit , & proinde damnatus in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio* III. , *& quod fuerit Pſeudopropheta , & falſa prophetizavit , Ricardo Anglorum Regi , & mendacia obtruderit pro veris , & pſeudopropheta concinnus fuerit .*

Edidit autem Joachimus *Librum in Hieremiam Prophetam* ad Henricum VI. Imperatorem , ac Siciliae Regem , ad cujus inſtantiam , ac praeces eum librum conſcripſit anno 1197. qui excuſus eſt *Venetiis . anno . 1516. apud Lazarum de Soardis . in 4.* & ibidem *anno . 1525. apud Bernardinum Renalium . in 4.* dein *Coloniae . 1577. per Ludovicum Alectorium . in 8.*

In Iſaiam , & in aliqua Capita Naum , Abacuch , Zachariae , & Malachiae , ad Fratrem Raynerium de Pontio , excuſ. *Venetiis 1517. apud Lazarum de Soardis . in 4.*

In Apocalypſim Beati Ioannis Evangeliſtae , quae juſſu , & hortatu Papae Lucii III. conſcribere aggreſſus eſt ; dein juſſu Urbani III. conſcripſit , ac Clemente III. hortante perfecit , excuſ. *Venetiis . 1527. apud Franc. Bindonum , & Maphcum Paſqui ſocios . in 4.*

Pſalterium decem cordarum , in quo agitur *de Summa Trinitate , atque ejus diſtinctione . De num. Pſalm. eorumque arcanis , & miſticis ſenſibus. De Pſalmodia . De modo , & uſu pſallendi ſimul , & pſallentium* , quod tribus libris diſtinxit ; quorum primum Deo Patri dicavit , II. Filio , III. Spiritui Sancto , quod in die Pentecoſtes , ut ipſe ait dicavit , excuſ. ſimul , cum libro *in Apocalypſim . Venetiis . anno . 1527. apud Franc. Bindonum , ac Maph. Paſqui* , alias Paſinum *in 4.*

Concordiam veteris , ac novi Teſtamenti exaravit , quam de mandato pariter , & hortatu Lucii Papae III. incepit dein Urbani III. conſcripſit , & Clemente III. Pontif. hortante perfecit , excuſam *Venetiis . 1519. apud Simonem de Luere . in 4.*

Scripſit item *Vaticinia de* XV. *Rom. Pontif. cum imaginibus ex aere expreſſis* , quae variis locis , ac temporibus excuſa ſunt ; dein

Digitized by Google

dein addita ſunt Anſelmi Epiſcopi Marſicani *Vaticinia* , ac impreſſa *Ferrariae*. *anno*. 1593. *apud Victorium Baldinum* ; dein *Venetiis cum notis* , *& iconibus in aere inciſis* . *ac notis Paſqualini Regiſlemi* . 1598. *apud* . . . . . . & ibidem , *anno*. 1600. *apud Io. Baptiſtam Bertonum* , *cum aliis notis Hieronymi Ioannini* . *in* 4. Prodierunt quoque e *Colonia* , *anno* . 1570. *ex Offic. Theodori Graminaei* . *in* 4. Tandem *Vaticinia*, *& Imagines Ioachim* , *& ejuſdem Anſelmi ſuper ſtatu Summ. Pontif. & Rom. Eccl. cum optima* , *ac indubitata explanat. Pauli Principis de la Scala* , *contra Falſarii cujuſdam pſeudomagicam expoſitionem* , *quae ſub nomine Theophraſti Paracelſi edita eſt in lucem* . Prodierunt etiam ea Joachimi Vaticinia , cum impiis notis Haereticorum , ea detorquentium adverſus Romanos Pontifices , atque ad eorum mores redarguendos ,

Scripſit etiam *Librum Theologicum adverſus Magiſtrum Sententiarum Petrum Lombardum De unitate* , *ſive eſſentia Trinitatis*. Docens eſſentiam Divinam , generare , & generari , ſpirare , & ſpirari ; cum recte Petrus Lombardus docuiſſet Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & naturam Divinam eis communem eſſe , quae nec generare , nec generetur , nec ſpiret , nec ſpiretur. At liber is ab Innocentio III. Rom. Pontif. generali approbante Lateranenſi Concilio damnatus fuit , ut *in C. damnamus ex. de Summa Trinitate* , *& fide Catholica*. De eo etiam Joachimi libro contra Petrum Lombardum vide Theologos Scolaſticos *in* I. *lib. Sent. diſt.* 5. & alibi , inter quos Rogerium Hovedonlum *in Annalibus Anglicis anno* 1190. qui eo tempore vixit . Sanctum Thomam de Aquino *in* 4. *ſentent. diſt.* 43. *quaeſt.* I. *art.* 3. *quaeſtiuncula* 2. *ad* 3. Vincentium Bellovacenſem *in Speculo hiſtoriali lib.* XXIX. *cap.* 24. & 30. Scotum *in* 4. *Sentent. diſt.* 5. *quaeſt. prima in fine* , qui excuſat Abbatem Joachimum de eo quod dixit , quod tres Perſonae non ſunt aliqua una res , quae non generat , nec generatur , nec ſpirat , nec ſpiratur ; quia non dicitur hoc pertinaciter defendiſſe , ſed omnes libros ſuos reliquiſſe ſecundum judicium Eccleſiae corrigendos . Videantur etiam Martinus Polonus *in Chron. ſub Eugenio* III. Sanctus Antoninus Florentinus Archiepiſcopus *in* 2. *parte hiſtor. tit.* 17. *cap.* I. §. 12. Joannes Trithomius *lib.* II. *de viris illuſtribus Ord. Santi Benedicti cap.* 117. *& in lib. de Scriptor. Eccl.* Paſqualinus Regiſlemus *in lib. de Scriptor. Eccl.* Alphonſus de Caſtro *libro primo adv. haereſes* . *in v. Apoſtoli*. Leonicus Calcondylas *lib.* VI. *Rerum Turcicarum* . Sixtus Senenſis *lib.* IV. ſuae *Bibliot. Sanctae*. Franciſcus Pegna *in C.* 2. *Directorii Inquiſitorum* . Fr. Thomas Malvenda *in Annal. Ordinis Praedic.* ad annum 1216. *cap.* 20. *fol.* 167. & alii . Meminit quoque Joachimi Hartamannus Schedel Noribergenſis *in Regiſtro Chronicarum de temporibus mundi* , in ſexta aetate, *fol.* 204. & Robertus Bellarminus *in lib. de Scriptor. Eccl. &c.*

At quod attinet ad librum hunc a Romana Eccleſia vetitum , ſcimus Joachimum Lucii III. dein Urbani III. ac Clementis III. Pontif. juſſo aliqua opera ſcripſiſſe , in quibus pluribus in locis profeſſus fuit , ſe eam tenere fidem , quam Romana tenet Eccleſia ; & quidquid ſcripſit , & ſcripturus eſſet ; ejuſdem Sanctae Eccleſiae judicio ſubiciendum voluit.

Habetur quoque in regiſtro Honorii III. Papa Epiſtola ad Epiſcopum Lucaniae adverſus eos, qui de Joachimo, atque Monacis ejus Caenobii acrius alloquebantur , eoſque de haereſi inſimulabant , ſub datum die 2. Decembris 1716. ſic autem ſe habet epiſtola : Ad audientiam noſtram no-
„ veritis perveniſſe , quod cum Abbatem,
„ & Monachos Ordinis Floris, de crimine
„ haereticae pravitatis infamas , & a tuis
„ permittis ſubditis infamari , ſumens oc-
„ caſionem ex eo , quod felicis memoriae
„ Innocentius Papa praedeceſſor noſter li-
„ bellum , ſive tractatum , quem Abbas

Digitized by Google

„ Joachimus ejuſdem Ordinis inſtitutor edi-
„ dit contra Magiſtrum Petrum Lombar-
„ dum *De unitate*, & *eſſentia Trinitatis*,
„ generali approbante Concilio damnavit.
„ Cum igitur idem praedeceſſor noſter in
„ ſententia praedictae damnationis expreſ-
„ ſerit, quod per hoc Florenſi Monaſterio
„ nolebat aliquatenus derogari; quoniam
„ & in eo regularis eſt inſtitutio, & ob-
„ ſervantia ſingularis; idemque Joachimus
„ omnia ſcripta ſua ipſi praedeceſſori no-
„ ſtro aſſignari mandavit Apoſtolicae Sedis
„ approbanda judicio, vel etiam corrigen-
„ da: dictans epiſtolam, cui propria manu
„ ſubſcripſit, in qua firmiter confitetur,
„ ſe illam fidem tenere, quam Romana
„ tenet Eccleſia, quae diſponente Deo
„ mater eſt cunctorum fidelium, & magi-
„ ſtra. Fraternitati tuae per Apoſtolica
„ ſcripta mandamus, atque praecipimus,
„ quatenus Fratres Ordinis ſupradicti ſuper
„ haereſeos crimine, nec ipſe infamare
„ preſumas, nec a ſubditis tuis permittas,
„ ſeu aliquatenus diſſimiles infamari. Da-
„ tum Romae apud Sanctum Petrum IV.
„ nonas Decembris, Pontificatus noſtri anno
„ primo.

Prodiit quoque Joachimi *Expoſitio in Librum Cyrilli de magnis tribulationibus & ſtatu* S. R. F. *ab iis temporibus*, *uſque ad finem ſaeculi*, quae Joachimo adſcribitur, excuſa *Venetiis*. 15. . . . . *in Offic. Bernardini Benalii*, additis quibuſdam aliis a Teleſphoro quodam Conſentino Calabro Eremita, ac presbytero collectis. Sed an Joachimi fuerint, & quo tempore Cyrillus ille floruerit, conſule quae Antonius Poſſevinus *in primo vol. App. ſacri*, in verbo *Cyrillus* diſſerit.

Joannes Trithemius in *lib. de Viris illuſtrib. Ord. Carmelitani*, & Petrus Lucius Belga in *Bibliotheca* ſua *Carmelit.* teſtantur Sanctum Cyrillum Graecum Carmelitarum Inſtituti, ejuſque Ordinis Priorem Generalem Sanctitate, ac prophetiae ſpiritu illuſtrem, qui ſub Henrico VI. Imperatore, & Innocentio Papa III. floruit, ſcripſiſſe ad Abbatem Joachimum, ejus amicum; oraculum quoddam Angelicum, cujus initium eſt *Tempore annorum Chriſti &c.*

Sed, quoad ejus opera pertinet, idem Joachim in *Epiſtola* ejus manu ſubſcripta in anno 1200. ait, ex mandato Lucii, & Urbani Romanorum Pontificum aliqua ſcribere juſſum fuiſſe, & a Domino Clemente III. illa perficere, & Apoſtolicae Sedi exhiberi. Jamque librum *Concordiae*. *Expoſitionem Apocalipſis*. *Pſalterium decem cordarum* perfeciſſe, de quibus, prae temporum anguſtia, huſque librum dumtaxat *Concordiae* praeſentavit Apoſtolico examine corrigendum. Et jam ſcripſiſſe alia, quae in parvis libellis continentur, ſeu contra Judaeos, ſeu contra Catholicae Fidei adverſarios; & jam ipſa opera, quam alia forte per eum conſcribenda, dum adhuc in corpore erit, Apoſtolico examini praeſentari juſſit, ejus judicio ſubjicienda.

Scripſit etiam, ut Gabriel Barrius Franciſcanus in ejus *Vita* ait. *In Evangelium Joannis*. *Contra Judaeos*. 2. *Super Merlinum*. 3. Librum *de flore* nuncupatum, *de Summis Pontificibus*. 5. *De conſolatione* librum. 6. *Sententiarum* volumen egregium. 7. *In Erithreum* Librum, Henrici VI. Caeſaris rogatu, anno Chriſti 1197. ſcriptum ad eumdem, qui fortaſſe idem eſt, ac ſuperior *in Hieremiam Prophetam*.

At praeter hos quos diximus libros, tam Joannes Trithemius in ſuperius citato loco, *de Scriptor. Eccl.* quam Conradus Geſnerus *in Bibliotheca* teſtantur Joachim alios quoque libros edidiſſe, nempe *in Danielem Prophetam lib.* I. *In Evangelium Joannis lib.* I. *ad Henricum* VI. *De ſeptem ſigillis. lib.* I. *De futuris temporibus lib.* I. *Contra Judeos*, *& alios fidei Catholicae adverſarios*.

Joachimi *Vitam* latine, ac fuſius ſcripſit Gabriel Barrius Franciſcanus, quae ejus libris *de Vaticiniis Rom. Pontif.* in quibuſdam editionibus prifixa eſt; qui etiam multa dicit de Joachimo in libro *de antiq. & ſitu Calabriae*.

De

Digitized by Google

De obitu Joachimi ſcio comperi in fine cujuſdam vetuſti manuſcripti Codicis ejus temporis: *anno* 1201. *penultimo Maii Ind.* IV. *Sabbato, ante Dominicam de Paſſione, hora quarta, obiit Abbas Joachim.*

JOANNES ABIOSUS e Balneolo in ulteriori Principatu, artium, & medicinae doctor, atque Aſtrologus ejus aetatis celeberrimus, in magno praetio habitus eſt. Scripſit ad Alphonſum II. Neapolitanorum Regem *Dialogum in Aſtrologiae definitionem, cum vaticinio a diluvio ad Chriſti annos* 1702. In quo quidem libro continentur demonſtrationes, quibus reprobantur argumentationes contra Aſtrologiam factas; atque Ptolomaeum, & Albuſamarem, ſuperſtitioſo ſophiſtae reſpondentes inducit: & in ejus libri calce proponit concluſiones, ſive quaeſtiones aliquot ex eo libro excerptas; & ſuper eis ad diſputandum provocat viros ex univerſo orbe, offerens viva voce eas defendere, juxta philoſophorum mores, temporibus, & locis decentibus, tam Venetiis, ubi vitam tunc degebat, quam etiam in qualibet Civitate, ubi cum eis opere comperiretur. Excuſus eſt autem liber hic *Venetiis. anno.* 1494. *apud Magiſtrum Franciſcum Lapicidam. in* 4.

Edidit quoque *De Cometis Vaticinium, quae anno* 1506. *apparuit, & revolutionem anni* 1507. *cum medicinae ſuperioris quintae eſſentiae commendatione, ac remediis contra peſtem tertianam, & lepram, ac intermediis Ratis defentionibus Aſtrologiae praeſtantiam demonſtrans*, impreſſ. eodem anno 1507. in 4. ſine die, & conſule.

Scripſit etiam opuſculum *De Regimine Sanitatis, ipſiuſq. adeptione Aſtrologice, ac medice*, cujus mentionem facit in epiſtola nuncupatoria ad eumdem Alphonſum Regem ejus dialogi *in Aſtrologiae defenſionem*.

Meminit inſuper in ea Epiſtola alterius libri a ſe conſcripti; videlit *Commentarii de Elementorum agitationibus, nempe eminentia, ventorumq. flatibus, nubium fracturis, tonitruis, fulgoribus, & eorum bipartitis cauſis, & novorum fluminum emerſionibus, putridis vaporibus, multiſque aliis elementorum portentis, & aurium preſagis vocibus, & multorum animalium alterationibus, quibus futuros eventus veterum philoſophorum autoritatibus* is author praeferri conſitetur. Tractatum etiam *De Pluviis, & reliquis elementorum agitationibus*, juxta ſuperiores tripartitas *aetiones*, ut vera futura dignoſcantur.

Andreas Tiraquellus in tract. *de nobilitate. cap.* 31. Joannem Abioſum Neapolitanum inter medicos recenſet, ejuſque opera quaedam ad Medicam facultatem pertinentia extare perhibet.

Lucas Gauricus in Oratione *de laudibus Aſtrologiae* a ſe habita in Ferrarienſi Academia anno 1507. dum Mathematicas diſciplinas publice profiteretur, inter alios recentiores, qui plurimum in Aſtronomia, tum ſcribendo, tum interpretando profecerunt, Joannem Abioſum recenſet.

Fortaſſe hic idem eſt ac Joannes Baptiſta de Balneolis, qui ſcripſit *De Radio Aſtronomico, ſive de Regulis Hipparchi*, cujus Geſnerus in ſua *Bibliot.* meminit.

Tandem non obſcurum teſtimonium de Joannis hujus, ſive Joannis Baptiſtae Abioſi eruditione, ac praeſertim in Mathematicis diſciplinis praeſtantia, perhibet Leo X. Pontifex Max. ex relatione doctiſſimorum virorum Curiae Romanae, his litteris ad Montellae Comitem in ejus commendationem ſcriptis:

Dilecto filio Trajano Comiti Montellae.
Leo PP. X.

„ Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam „ benedictionem. Etſi omnibus Chriſtifidelibus paſtoralem, qua tenemur, dilectionem facile exhibemus, illis tamen „ longe facilius, quos doctrina praeſtantes, „ etiam propriis peccatis aſſiduos, & ab „ opti-

„ optimis viris nobis commendatos eſſe „ videmus. Sane accepimus dilectum filium „ *Jo. Baptiſtam Abioſum de Balneolo* ſubdi„ tum tuum liberalibus diſciplinis maxime „ vero Mathematica eruditum; quoniam „ certos contra te famoſos libellos (quod „ vix in tali viro credimus) emiſerit, „ juſſu tuo jam longo tempore carceribus „ mancipatum eſſe. Moleſtum eſt nobis, „ dilecte fili, ſicut enim fuit tibi, ut iis, „ qui natura doctrina decoravit, eorum „ ingenia ad maledicendum exerceant. „ Vidimus tamen ſemper litteratos viros „ quandam ſibi licentiam vendicaſſe con„ tra Principes, & optimos, ac honeſtiſ„ ſimos viros libellos malos, pro peſſimis „ vero hominibus bonos expromendi. Qua „ licentia ſi Jo. Baptiſta contra te abuſus „ eſt, accedentibus commendationibus plu„ rimorum doctiſſimorum Curialium pro „ eo nobis quotidie ſupplicantium non „ potuimus non libenter te hortari, & „ paterno requirere affectu; ut tot clariſ„ ſimorum virorum praecibus, in manſue„ tudinem potius, quam rigorem, (qui „ nonnunquam temperandus eſt) in Jo. „ Baptiſtam noſtra interceſſione reflectaris; „ eundemque pie priſtinae libertati reſti„ tutum, aut ad nos mittas, qui colle„ gis Curialibus ſuis, cum dono dare poſ„ ſimus, aut tu ejus ingenio, & litteratu„ ra in rebus de te bene ſcribendis (quod „ deinceps facere promiſit) uti poteris. „ Res miſericordiae, & humanitatis tuae „ digna eſt. Qui noſti Salvatorem no„ ſtrum mortem non velle peccatoris, ſed „ ut convertatur, & vivat. Praeſertim ſi „ quid deliquit, longa carceris mora jam „ purgatum, & diſſolutum, ipſeq. conver„ ſus eſſe debet. Deus enim omnipotens, „ qui vindictam ſibi donari voluit, cui „ hoc acceptum erit, naturae tuae boni„ tati retribuet, dilecte fili; tuque nos, „ quibus gratum erit in deſideriis tuis li„ berales ſperare merito poteris. Datum „ Romae apud Sanctum Petrum ſub „ Annulo Piſcatoris die VIII. Aprilis „ M. D. XVIII. Pontificatus noſtri anno „ ſexto.

Evangeliſta.

Alius ſuperiori nobis ſaeculo fuit *Joannes de Balneolo* Aſtrologus excellens inſignium virorum praedictionibus illuſtris, qui annum circiter 1550. vixit, ejuſque fama adhuc viget; ſed is ex familia fuit de Ferrariis, & nihil ſcripſit, quod ſciamus.

JO. ACTALDUS AVERSANUS, ac Civis Neapolitanus, in publico Neapolitano gymnaſio philoſophiae profeſſor anno 1465. deinde Tranenſis Archiepiſcopus, philoſophus Peripateticus clariſſimus, multa conſcripſiſſe fertur. Ex his vidimus manuſcriptam penes Don Bartholomaeum Caracciolum de Aragonia *Quaeſtionem de argumentatione* per haec quaeſita diſtinctam, utrum argumentatio ſit motus. Numquid diminutio ſit motus. Quomodo argumentatio fiat. Utrum ſit potentia quidem, quanto, quod nullam habet actu quantitatem, & ex re omnino incorporea. Utrum aliqua generatio ſit argumentatio; & quomodo adveniente aliquo fiat argumentatio.

Item aliam quaeſtionem *De dolore*, nempe utrum dolor ſit actus, vel operatio ſenſus tactus. Utrum ſecundum alios ſenſus, quam per ſenſum tactus poſſit eſſe dolor. Utrum eodem ſenſu hoc ſentire ſenſibile poſſit, quam fertur ſenſibili, an alio.

Eumdem credimus eſſe Joannem Actaldum Averſanum, philoſophum Peripateticum, & Archiepiſcopum Tranenſem, cujus extabant *Commentarii* manuſcripti in Veteri Bibliotheca Caenobii Olivetani hujus Civitatis, *in* VIII. *libros Pyſicorum Ariſtotelis, in* III. *libros de anima, de generatione, & corruptione*. Item tractatus *De motu gravium, & levium*.

Vixit autem Joannes hic annum circiter 1480. & Nolae obiit, ubi ſepultus eſt, ut Ambroſius Leo *lib.* III. *Chron. Nolan. cap.*

cap. 6. ait hunc in modum : *Joannes Attaldus philoſophus praeſtantiſſimus , quanquam Archiepiſcopus Tranenſis erat , maximam tamen aetatis partem Nolae conſumpſit ; hic mortuus eſt ;" hic quoque opertus tumulo .*

Tandem de Joannis hujus Actaldi ſumma eruditione non obſcurum perhibet teſtimonium Joannes Pontanus *lib.* III. *de obedientia*, in principio, dum ſic ait: Quae„ rentem diu me , Roberte (*intelligit Ro-* „ *bertum Sanſeverinum Salerni Principem*) „ de philoſophiae conditione , quod pri„ mo a Graecis exculta, deinde a veteri„ bus Latinis honorata ; poſtea vero apud „ Gallos, Britannoſq. ac noſtrates quoſdam „ homines , tantum de veteri cultu , di„ gnitateque , perdidiſſet , conſolatur tan„ dem Joannes Actaldus nobilis Peripate„ ticus , magno vir ingenio , magnaque „ doctrina ; & judicio , vel inter pauciſſi„ mos exquiſito . Is enim Ariſtotelica „ omnia non contentus tam multis inter„ pretibus , quos & vidit adoleſcens , & „ didicit , alia ratione perſcrutatus , nec „ tam ſophiſticaneas has argutias , quam res „ ipſas quaerens , ſpem attulit fore jam , „ ut philoſophia clarior appareat , nec in „ tam varios , ac diverſos tracta ſenſus , „ litigandi magis , quam recte ſentiendi „ materiam ſtudioſis ſuis praebeat . Philo„ ſophos enim Graece loquentes ſua lin„ gua & audit , & intelligit ; veteres no„ ſtros authores tractat ; Graecis veteribus „ vetera latina comparat . Et quoniam „ Graecis , qui in Italia non didicerint, „ philoſophia parum nunc cognita eſt , „ ab illis tradita per ſidos , ac veteres, „ tum noſtros auctores noſcitat . Itaque „ dum nec ignorat graeca , nec veteres „ ſcriptores negligit , in nova iſta philoſo„ phia non acquieſcit, nec in errores paſ„ ſim multos incidit . Sed de ingenio, ju„ dicio , doctrinaq. ejus alias (*& paucis* „ *verbis omiſſis* , *ait*) Ab hoc ego nuper „ cum petiiſſem , ut quaeſtiones quaſdam „ graves , obſcuraſque aperiret , non ante „ impetrare id ab eo potui , quam &c.

JOANNES ALBINUS, Lucanus, ex oppido Caſtelluccio, Ferdinandi I., & Alphonſi junioris, ejus filii, Neapolitanorum Regum intimus familiaris, & a Conſiliis fuit . Et pro eis plurimis, & graviſſimis Legationibus functus, & doctrinae ejus, ac fidei ſingularis praeſtantia, apud eumdem Ferdinandum tantae auctoritatis extitit; ut Alphonſi ejus filii Calabriae Ducis (tunc adoleſcentis, qui poſtmodum Rex) primo Magiſter, deinde a Secretis fuerit.

Edidit latine eleganter quidem, ac perpolite *De Geſtis Regum Neapolitanorum* libros aliquot, ex quibus quatuor dumtaxat extant nempe: I. *De bello Etruſco*. II. *De bello Hydruntino*. III. *De bello inteſtino* . IV. *De bello Gallico* . *Orationem* quoque ab eo *habitam* , *quo die Alphonſus junior Aragoneus Neapolitani Regni diadema ſuſcepit* . Qui quidem libri Octavii Albini, ejus gentilis, opera editi ſunt, eoſque Excellentiſſimo Domino Joanni Hyeronimo Aquavivo Adriae Duci dicavit ; excuſi autem ſunt *Neapoli*. *anno*. 1589. *apud Joſephum Cacchium* . *in* 4.

At ſecundus, & tertius liber, in quibus *De bello Ferrarienſi*, ac *de foedere ab iis Regibus*, *cum totius Italiae Principibus* , *adverſus Venetos* , *inito*, agebatur, minime extant.

Scripſit quoque nonnulla Carmina, quae cum typis tradere paraſſet idem Octavius Albinus, priuſquam ederentur, obiit.

Joannem Albinum Commendat Pontanus *in ſuis Endecaſillabis*, & Sannazarius *in El. in Maledicos detractores* Albini eruditionem his verbis teſtatus eſt:

Et, *qui Pieriis reſonat non ultimus antris;*
Albinus referat Principis acta ſui.

JO-

JO. Aloysius Catalanus Neapolitanus J. C. in regiis prius provincialibus audientiis Auditor, deinde Judex Magnae Curiae in Civilibus, demum in Criminalibus, legali facultate praeſtans fuit. Edidit tractatum *De Amneſtia abolitione*, & *indultu*, qui excuſus eſt *Neapoli. anno.* 1603. *apud Tarquinium Longum. in fol.* Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Joanni a Stunica Mirandae Comiti, apud invictiſſimum Philippum III. Hiſpaniarum Regem in Supremo Regali Conſilio Praeſidi nuncupatus.

JO. Aloysius Mormilis Neapolitanus J. C. Judex Magnae Curiae, prius in Civilibus, deinde in Criminalibus, demum Regiae Camerae Summariae Praeſidens, edidit *Paradoxicam diſputationem ad verum intellectum Cap.* ſi quis inveſtitus, *qui ſucceſſores teneantur; & Cap.* moribus, *ſi de Feudo defuncti militis, controverſia fuerit; ac Singularia in ejuſdem Regni conſtitutiones, & Capitula*. Quae omnia nuncupavit Excellentiſſimo Domino Petro de Caſtro de Lemos, & de Andrada in Regno Neapolitano Proregi Locumtenenti, & Capitaneo Generali; edita autem ſunt *in typographia Dominici Roncalioli.* 1613. *in fol.*

JO. Aloysius Riccius, ſive *Aloyſius Riccius*, patricius Neapolitanus J. C. Canonicus prius majoris Neapolitanae Eccleſiae, dein unus ex conſultoribus Curiae Archiepiſcopalis Neapolitanae, demum vici Aequenſis Epiſcopus fuit. Vir quippe legali facultate eruditus, ac in Eccleſiaſticis foris verſatus multa ſcripſit, nempe libellum, qui ſic inſcribitur: *Gloſſae, ſeu annotationes quaedam ad tria juris civilis Reſponſa*; in quorum primo tota fere bonorum poſſeſſionis tractatio explicatur. Quae autem in eo opuſculo continentur haec ſunt: *Lex* 3. *ff. de bonorum poſſeſſ.* §. *Invito*. §. *Aquirere*. §. *Si cauſa cognita*. *Lex in multis ff. de ſtatu hominum*. Lex ea *quae delegato ff. de lega* II. Excuſus eſt autem libellus hic *Neap. anno.* 1596. *apud Jo. Jac. Carlinum*, & *Ant. Pacem in* 8. Illuſtriſſimo & Ampliſſimo Domino Petro Aldobrandino S. R. E. Cardinali dicatus.

Item librum, cui titulus eſt, *Sedes materiarum, & locorum ſingularium juris Canonici, ex Panormitani, aliorumque doctrina collectae, una cum Summario legum deciſarum, & practicabilium per varias Rotas Italiae, & aliorum locorum*, qui prodiit *Neapoli* Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Octavio Cardinali Aquavivae ab Aragonia Neapolitano Archiepiſcopo dicatus, qui pluries recuſus eſt, demum *Neapoli.* 1606. *apud Jo. Jac. Carlinum. in* 8.

Edidit etiam *Collectanea deciſionum*, ſive *omnes fere caſus in Tribunalium Italiae, praeſertim Sacri Conſilii Neapolitani, Hiſpaniae, Galliae, Germaniae, Poloniae, ac praecipue Rotae Romanae, ac Curiae Archiepiſcopalis Neapolitanae deciſos, ac controverſos, in qua ſub diverſis utriuſque juris ſedibus, locis Sacri Concilii Tridentini, Bullis Pontificibus, Regulis Cancellariae Apoſtolicae, Conſtitutionibus, Pragmaticis, Conſuetudinibus, Capitulis, & Ritibus Regni Neap. ac Statutis Urbis collocantur*. Ea collectanea in VIII. partes diviſa ſeparatim variis formis, locis, ac temporibus, excuſa ſunt Neapoli, Romae, Venetiis, & Coloniae Allobrogum, ſive Genuae.

Praxim quotidianam rerum Canonicarum, Civilium, ac Criminalium Fori Eccleſiaſtici, complectentem varias utriuſque juris reſolutiones, in qua quidquid in variis Eccleſiaſticis, ac *Saecularibus Foris, frequentius occurrere ſolet, continetur*. Eamque praxim IV. partibus, totidemque voluminibus abſolvit, quae excuſa ſunt ſeorſim variis temporibus, ac formis, Neapoli, Venetiis, ac Genuae. Tandem prima, II. ac III. pars recuſae ſunt *Venetiis. apud Juntas.* 1623. *in fol.*, & V. pars *Neapoli. apud Vincentium de Franco.* 1631. *in fol.* quarum prima dicata eſt ab Auctore Domino Decio Car-

Cardinali Carraſae II. Domino Petro Cardinali Camporeo III. Sanctiſſimo Domino Gregorio XV. Papae, deinde Cardinali Lucio Sanſeverino Archiepiſcopo Salernitano IV. Regenti Carolo Tapiae Marchioni Belmonti.

Deciſiones Curiae Archiepiſcopalis Neapolitanae, in quibus *Praxis rerum civilium, Criminalium, & Eccleſiaſticarum in eadem Curia tractatarum*, cum is unus ex conſultoribus ejuſdem Curiae eſſet, quas in IV. partes, ac volumina ſecuit. Quarum prior pars excuſa eſt *Neapoli*. 1619. *apud Tarquinium Longum. in fol.* eidem Domino Cardinali Camporeo dicata, & recuſa *ibidem*. 1622. *apud Dom. de Ferdinando Maccarano. in fol.* II. vero pars *Neapoli*. 1629. *apud Scipionem Boninum. in fol.* eidem Cardinali Camporeo nuncupata, & recuſa *ibidem. apud Lazarum Scorigium*. 1623. *in fol.* III. *Neap.* 1623. *apud haeredes Tarquinii Longi. in fol.* Domino Lucio Sanſeverino S. R. E. Cardinali Archiepiſcopo Salernitano dicata. IV. autem pars impreſſa eſt *Neap.* 1625. *apud Dom. Maccaranum. in fol.* eidem Cardinali Camporeo dicata.

Praxim quotidianam noviſſimae probationis juris patronatus, ejuſdemq. exiſtentiae, & pertinentiae, juxta Sacri Concilii Tridentini Seriem, Romanaeque Curiae, aliorumque Eccleſiaſticorum Tribunalium, inveteratum ſtylum, atque ritum quae prodiit *Neap.* 1631. *ex officina Dominici Maccarani*, in 4. Urbano Papae VIII. & Eminentiſſimo Domino Franciſco Card. Barberino Urbani VIII. Summi Pontificis Nepoti dicata.

Prodierunt quoque ipſius *Additiones ad Ritus Archiepiſcopales Curiae Neapolitanae*, quae una cum textu ipſorum Rituum, ac cum Ritibus Magnae Curiae, & Proſperi Caravitae Commentariis ad eoſdem Magnae Curiae Ritus, excuſae ſunt *Neap.* 1620. *a Scipione Bonino. in fol.*

Scripſit inſuper *Additiones ad Sempronii Aſciae Barenſis*, in Barenſi olim Archiepiſcopatu Auditoris Generalis, librum, cui titulus eſt: *Determinationes in utroque jure, praecipue contractuum, ultimarumque voluntatum, juris patronatus. & criminalem materiam complectentes*, quae cum eo libro excuſae ſunt *Neap. apud haeredes Tarquinii Longi*. 1621. *in fol.*

Additiones etiam, *& lucubrationes ad Jaſonis Mayni Lecturas*, quae cum ejuſdem Jaſonis libris in fine cujuslibet tomi habentur, excuſae *Venetiis. apud Juntas. anno*. 1622. *in fol.*

Additiones ad Joſephi Maſcardi Juriſconſulti Sarzanenſis Concluſiones omnium probationum, quae in utroque foro quotidie verſantur, quaeque cum ejuſdem Maſcardi Operibus in fine III. tomi habentur impreſſae *Auguſtae Taurinorum*. 1624. *apud haeredes Jo. Dominici Tarini. in fol.*

Additiones item *ad deciſiones Neapolitanas Vincentii de Franchis*, quae excuſae ſunt ſimul, cum iiſdem Deciſionibus *Venetiis. apud Juntas. in fol.* Item recuſae *Auguſtae Taurinorum*. 1628. *apud haeredes Joannis Dominici Tarini. in fol.*

Additiones ad Andreae Tiraquelli Tractatum de Privilegiis piae cauſae, quae cum ejuſdem Tiraquelli libro, atque aliorum Additionibus *Neapoli* excuſae ſunt 1630. *apud Dom. Maccaranum. in fol.*

Uberes etiam *Additiones, & adnotationes ad Joannis Pauli Lancellotti Peruſini Inſtitutiones Canonicas*, quae ſimul, cum iiſdem Inſtitutionibus impreſſae ſunt *Venetiis*. 1630. *apud Juntas. in fol.*

Obiit autem Neapoli die 8. Januarii 1643. & ſepultus eſt in Templo S. Mariae de Stella, quae a Fratribus Minimis Ordinis S. Franciſci de Paula incolitur, ubi haec legitur inſcriptio:

IO. ALOYSIO RICCIO EQVESTRIS ORDINIS PARTHENOPEO EPISCOPO AEQVENSI VITAE INTEGRITATE DOCRINAE PRAESTANTIA PRAECELLENTI. PRAECLARISSIMOSQVE MAIORES MICHAELEM ALPHONSI I. CONSILIARIVM VICES PROTHON. LOCVMQ. MAGNAE CAMERAE TENENTEM ROMANOS A PVD

Digitized by Google

PVD PONTIFICES GERMANOS AD CAESARES PRO PACE LEGATVM PERLOYSIVM POTESTATE INCLYTVM NOTHOS AD IVS LEGITIME PROLIS ASSERENDI ANTONIVM REGII ARCHIEPISCOPVM ITEMQ. MICHAELEM GALLIS REGIBVS CONVENTICI BVRGVNDIENS PRAESIDEM VICEPROTHONOTAR. LEGATVM Q. AD SVMMOS REGES INSIGNI FAMA NOMINIS PRAETERVECTO

PATRVO BENEMERITISSIM. OCTAVIVS RICCIVS POSVIT ANNO SALVT. HVM. M. D. C. XXXXI.

JO. Aloysivs Vopiscvs Neap. vide ſuperius *Aloyſium Vopiſcum*.

Joannes ab Altomari Neapolitanus Philoſophus, ac Medicus Donati Antonii ab Altomari filius, ac diſcipulus, edidit libellum *ad Salvum Sclanum Philoſophum, ac Medicum; Quod ea quae Donatus Antonius ab Altomari* ejus pater, *de artis Medicae diviſione, indicationis deſcriptione, circutuum cauſis, Anaxioni hiſtorica, &* de *materia turgente conſcripſerit, veriſſima ſunt omnia, nec aliter in Galeni, Hippocratiſq. doctrina interpretari, conſiderarive poſſunt*, excuſum *Neap. apud Jo. Bapt. Cappellum*, 1583. *in* 4.

Adverſum quem librum Salvus Apologiam edidit, ut in Salvo diceemus.

Jo. de Amicis *e Venafro*, civis Neapolitanus, legum Doctor, & cauſarum patronus, edidit *Conſilia legalia*, quae excuſa ſunt *Neap. apud Antonium de Frizis Corinaldenſem. anno* 1524. *in* 4. Domino Henrico Pandono de Aragonia Venafri Comiti, ab eodem auctore dicata. Floruit autem is anno 1520. recuſa ſunt quoque *Venetiis*. 1577. *in fol.* item *ibidem*. 1579.

Jo. Andreas Georgivs ex oppido Caſtiglionis, ex pago vero Noceriae Calaber, Baro Oppidorum Podariae, & Montillani, in citeriori Principatu, publicus juris feudorum fuit interpres in Regio Neapolitano gymnaſio. J. C. prius cauſarum patronus inſignis, deinde regius Conſiliarius, edidit librum *Allegationum juris*, quas is in cauſis in foro patrocinandis, ac conſulendis conſcripſit; & Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Joanni Alphonſo Pimintelio Benaventi Duci, ac Comiti, hujus Regni Proregi dicavit, excuſum *Neapoli. anno.* 1605. *apud. Jo. Jac. Carlinum. in fol.*

Repetitionum item *feudalium part.* 1. eorum, quae in Cathedra docuit, & eidem Benaventi Duci, ac Comiti, & in Supremo Italiae Conſilio Praeſidi nuncupavit, excuſam *Neapoli. anno.* 1620. *apud Dom. Roncaliolum in fol.*

Edidit quoque ſecundam partem *Repetionum feudalium*, quae adhuc typis excuſa non eſt, ob ejus obitum. Mortuus eſt autem Neapoli die 15. Auguſti 1625. & in aede Fratrum excalciatorum Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini ſepultus eſt.

Jo. Andreas Gesvaldvs e Traetto legum doctor Clericus Saecularis, prius ſcripſit, Italice, *librum De quatuor noviſſimis*, qui excuſus eſt *Neapoli. anno.* 1577. *apud Joſephum Cacchium. in* 4. Ill. & Ex. Antonio Carrafae Oſtiliani Principi dicatum.

Commentarium quoque, ſive *Expoſitionem* illam celeberrimam, Italice, edidit *ſuper Petrarcam*, quae ſimul *cum textu* ipſius *Petrarchae* excuſa eſt *Venetiis. anno.* 1574. & 1581. *apud Alexandrum Griphium*, quam is Illuſtriſſimae Heroinae Paludis Marchioni dicavit.

At quoniam opera veris auctoribus adſcribere bona fides cogit, & ut verum fatear; libri hujus *ſuper Petrarcham* auctor fuit

ſuit *Antonius Sebaſtianus Minturnus* Ugentinus Epiſcopus, quamvis prodierit ſub nomine Joannis Andreae Geſualdi, qui erat affinitate, ac maxima familiaritate conjunctus cum Minturno, ut ex Minturni ipſius litteris perſpicitur. Minturnus vero, de quo ſuperius ſuo loco diximus, fuit vir certe eruditiſſimus, ac vere doctus, qui ut vir religioſus, ac Epiſcopus ad majora aſpirans, noluit aliis ſignificare illi ſtudio incubuiſſe, etſi antequam Epiſcopatum adeptus eſſet, id conſcripſerit; proinde ſub alterius nomine eum librum prodire voluit. Haec, nedum ex firma traditione inter viros eruditos hujus Civitatis Neapolis didicimus; ſed ex teſtimonio quoque Thomae Coſti, nobis tradito, comperimus. Nam is ab Angelo Conſtantio, & a Ferdinando Carrafa S. Lucidi Marchione viris doctis id audiviſſe perhibet, in cujus quidem Marchionis domo Minturnus ipſe, aliquando in privata fortuna exiſtens, majorem ejus Commentarii partem confecit. Praeterea poterit unuſquiſque ſtylum, ac phraſim ejus Commentarii, ac operis Joannis Andreae *De quatuor noviſſimis* conferre, & quantum inter ſe differant obſervare; facillime enim cognoſcet non eſſe ejuſdemmet auctoris. Quod idem Minturnus videtur innuere in ſuis *litteris* ad *Ferdinandum Comum* e Meſſana anno 1534. ſcriptis, quae habentur *lib.* II. ſuarum *Epiſtolarum*, in *epiſtol.* 20. dum ſic loquitur: *Che la ſpoſitione del Geſualdo mia ſia reputata, la migliore di quante ſe ne ſono ſcritte ſopra le Rime del Petrarcha, forte me ne rallegro, parendomi, che queſto giudizio agguagli la mia ſperanza.*

JO. Andreas Nolas Crotoniata, edidit librum, quod *Sedimentum ſanorum, aegrorumque corporum non ſit ejuſdem ſpeciei adverſus Ferdinandum Caſſarium, & alios contrarium ſentientes. Quod ſedimentum in aegris non ſit ſemper pars humoris putridi, nec in eo omnes humores contineantur. Quod intermittentibus febribus humor inter vaſa non putreſcat. Quod temere Arabes, praeſertim Avicennam, de cauſa conjuncta redarguant. Quod de continenti, ſeu contentura cauſa cum Galeno prave ſentiant.* Excuſ. *Venetiis.* 1562.

Ex Joanne Georgio Schenkio *in Bibliotecha Medica.*

JO. Andreas Phylantes e Taberna Calaber J. C. ſcripſit *Commentaria in Inſtitutiones Imperiales, ubi quid de jure communi, & quid de jure Regni, ac conſuetudinario Neapolitanorum eſt correctum, non omittitur;* impreſſa *Neapoli* 1602. *apud Joannem Jacobum Carlinum in* 4. Illuſtriſſimo Silveſtro Aldobrandino Clementis VIII, Pontificis Max. nepoti dicata.

JO. Andreas Sgambatus Neapolitanus Philoſophus, ac Medicus ſcripſit opuſculum *De peſtilente faucium affectu, Neapoli ſaeviente,* impreſſum *Neapoli.* 1620. *apud Tarquinium Longum. in* 4. ad Ill. Dominum Franciſcum Pignatellum Biſaciarum Ducem, & Montiſagani Comitem.

JO. Andreas de Vaccariis, alias *de Ariano,* Neapolitanus, edidit bonam *Repetitionem ad C.* . . . . . ff. *& harum* ff. *de verbor. obligat.* quae prodiit *Neapoli. ex officina Ant. Friziae Corinaldenſis. anno.* 1521. *in* 4.

JO. Angelus de Contecillis Aquilanus, Aprutiorum Prothomedicus, edidit tractatum *De differentiis*, & *curationi Febrium, & de ſanguinis emiſſione* ad Sixtum V. Pontif. Max. qui excuſus eſt *Venetiis. anno.* 1583. *in* 8.

Dein ſcripſit *Practicam rationalem de medendis morbis per cauſas, & ſigna* III, *libris* diſtinctam, quae ſimul cum tractatu *de differentiis, & cur. febr. ac de ſangu. emiſſ.* edita eſt *Romae. anno.* 1590. *apud Jacobum Tornericum. in* 8.

JO. ANGELVS PISANELLVS Neapolitanus J. C. acri ingenio, doctrina, & eloquentia, ac dicendi felicitate, ſua tempeſtate, inſignis, ad Clementem VII. Pontif. Max. ab ejus patria pro gravibus rebus legatus eſt. Praeſidens primum regiae Camerae adhuc adoleſcens annorum viginti trium creatus, dein ob Regni procellas, ac bellorum turbines alterius factionis partes ſecutus, magiſtratum functus patrocinandi munus magna omnium admiratione egit. Multa ſcripſit, inter quae:

Commentarium in Regiam Pragmaticam Ferdinandi Hiſpaniarum, & Neapolitanorum Regis Catholici, editam *Thori*, *ſub tit. de poſſeſſoribus non turbandis*, excuſ. *Neap. anno. 1590. apud Horatium Salvianum. in fol.* & excuſam cum aliorum Doctorum Commentariis ad Regias Pragmaticas.

Item *Commentarium ad Pragmaticam*, *quae incipit*, teſtem falſum, *ſub tit. de falſis*, & aliam *pragmaticam ſub tit. de Salario Vaſſallorum*, quod in aliis ſcriptorum elucubrationibus ad Regias Pragmaticas editum eſt.

Additiones ad Conſuetudines Neapolitanas, *Conſtitutiones*, *ac Pragmaticas Regni*, quae cum ſuis quibuſq. textibus excuſae ſunt. *Additiones quoque ad Matthaei Afflicti Deciſiones.*

Ipſius quoque doctiſſimum *Conſilium feudale* habetur in fine Operis Joannis Antonii Cannetii Siculi, in *Extravagantes Regni Siciliae ultra pharum* excuſ. *Venetiis* 1579. *in fol. apud Franc. Franciſcum Senenſem.* At opera quaedam Piſanellum ad Feudorum materiam pertinentia elucubraſſe conſtans fama eſt, & ſenum quoque teſtimonio comperimus, quae eo ab humanis ſublato, necdum edita, Thomas Anelius Salernitanus Regiae Camerae Praeſidens, ab ejus haerede expiſcatus eſt, & in lucem edere pollicitus eſt. Quae dein amplius viſa non ſunt, nec edita; ſed perquirenda, ut edantur tanti viri lucubrationes.

Thomas Grammaticus *deciſ.* 76. *n.* 22. vocat Joannem Angelum Piſanellum *Advocatum non mediocris authoritatis.*

Joannes Vincentius de Anna *in allegatione* 8. *num.* 2. vocat Joannem Angelum Piſanellum *Magiſtrum*, & *Advocatorum principem*; Vincentius de Franchis *deciſ.* 411. *num.* 2. & *deciſ.* 621. *num.* 6. dicit Joannem Angelum Piſanellum *fuiſſe doctiſſimum*, & *laborioſiſſimum*.

Joannem Angelum Piſanellum *illius tempeſtatis nemini ſecundum reputari jure*, inquit, Camerarius, *in ejus reſponſo poſt Cannetii opus*.

Camillus Salernus in *nunc. Epiſt. ad Conſuet. Neapolitanas* ait, Joannem Angelum Piſanellum, *inter advocatos*, *quotquot Neapolis habuerit*, *celebratiſſimum nomen fuiſſe conſecutum*.

Obiit autem Neapoli anno 1569. & in aede S. Laurentii majoris apud Fratres minores, in ejus Sacello, ſepultus eſt, in marmoreo ſepulcro, in quo haec legitur inſcriptio:

IOANNI ANGELO COGNOMENTO PISANEL
LO EX VETVSTA AC ILLVSTRI LONGOBAR
DORVM FAMILIA QVAE PISIS LATE OLIM
FLORVIT VIRO ET IVRECONSVLTO SIN
GVLARI PATRIAE ET AMICIS NON SIBI
NATO QVI VIXIT ANN. LXXVII. MAGNA
CVM CIVIVM ET PRINCIPVM OMNIVM CE
LEBRITATE ET ADMIRATIONE PORTIA CAR
RAFA CONIVGI DVLCISSIMO ET CLAVDIVS
ET ANDRAEAS FILII PARENTI OPTIMO
M. D. L. XVIII.

JO. ANTONIVS BOCZAVOTRA Neapolitanus Philoſophus, ac Medicus perplures annos in Neapolitano gymnaſio Philoſophiam, ac Medicinam publice profeſſus eſt. Multa conſcripſit, de quibus haec edita ſunt: *Quaeſitum de Calido nativo*, impreſſ. *Neap.* 1542. *apud Matthaeum Cancer Bionenſem. in* 4.

Opus *De venae ſectione in uterum gerentis adverſus negantes hujuſmodi auxilium pro cautione abortus*, quod prodiit *Romae. anno.* 1545. *apud Valerium Doricum*, & *Ludovicum*

Digitized by Google

cum fratres Brixianos. *in* 4.

Item *Apologiam de ſectione venae in gravida muliere pro cautione abortus, ut illa ſubinde mala dicendi occaſio malevolis nulla reliqua eſſe poſſit*, excuſ. *Romae*. 1545. *apud eoſdem Brixianos fratres*. *in* 4.

Tractatus quindecim Methodi Medendi, ex *Galeno*, Domino Nicolao Mariae Caracciolo Cataniae Epiſcopo dicati, excuſi *Neap. apud Jo. Paulum Suganappum*. *anno*. 1549. *in* 8.

Obiit autem Neap. anno 1557. & in aede divi Auguſtini Fratrum Eremitarum ſepultus eſt, hac poſita inſcriptione:

DVM SOPHIA CLARVS MEDICAQ. ANTONIVS ARTE IMPERIO MORTIS ERIPVISSE POTEST AC PENE EXTINCTOS CAELI REVOCARE SVB AVRAS INSIDIAS IN HVNC MORS SVA ET ARMA TVLIT. QVIN POTIVS TVLIT ARMA (LICET SI VERA FATERI) IN PHAEBVM SOPHIAM ET MEDICAE ARTIS OPEM. ILLE ETENIM SVPEROS QVAESITAQVE MENTE PETIVIT TECTA GRAVEM LIQVIT SARCINAM IN HOC TVMVLO.

JOANNI ANTONIO BOCZAVOTRAE NEAPOLITANO LIBRIS QVOS EDIDIT CLARO ET DISCIPVLIS QVOS VIGINTI ANNIS ARTES OMNES IN STVDIO NEAP. EDOCVIT INSIGNI FILII OB DEBITAM PIETATEM POSVERE OBIIT XII. IANVARI KAL. ANNO M. D. L. VII.

JO. ANTONIVS CAGIANVS Neapolitanus, Clericus regularis, edidit librum quem inſcripſit:

Succeſſi maravaglioſi della veneratione del B. Andrea Avellino Chierico regolare, patrone, & protettore della Città di Napoli di Palermo, ed altre molte, da lui raccolti, e impreſſi. *Neapoli*. 1622. *apud Aegidium Longum in* 4. Illuſtriſſimae Dominae Portiae Gentili dicati.

JO. ANTONIVS CAMPANVS ex Clavello, pago non longe a *Gallucio* Capuani agri oppido, quamobrem ſe Campanum nuncupavit; ex cuſtode ovium vir inſignis evaſit. Nam & Laurentii Vallae eo tempore, quo Neapoli publice profitebatur, auditor fuit, dein philoſophiam, mathematicam, ac legalem facultatem didicit. Graeca quoque, latinaq. linqua eruditus fuit, & orator vehementiſſimus, ac poëta clariſſimus evaſit; ac toto orbe, & in Italia praeſertim celeberrimus adeo fuit, ut ejus aetate nec ſoluta oratione, nec carmine aliquis eum ſuperaverit. Romanorum Pontificum Pii II. Pauli II. & Sixti IV. familiaris fuit, ac Epiſcopus Crotoniata in Calabria, dein Interamnenſis in Aprutinis, quae *Termularum Civitas* vulgo appellatur. Pluribus etiam pro Romana Eccleſia Civitatibus praefectus. Multa latine ſcripſit nempe:

De ingratitudine fugienda libros III. ad Pandulfum Balionium. 2. *De regendo Magiſtratu*, *lib.* I. ad Franciſcum Lutium Equitem Senenſem Praetorem Romanum. 3. *De dignitate Matrimonii* ad Franciſcum Maximum Civem Romanum. 4. *De Thraſimeni Lacus praeſtantia* ad Pandulfum Balionum. 5. *De Fratris obitu* ad Cardinalem Papienſem. 6. *In varios auctores Cenſurae*.

Orationes variae nempe, *Oratio cineritia* 2. Item *de Spiritu Sancto*. 3. *Circumſione*. 4. *de Sancto Stephano*. 5. *de Sancto Thoma Aquinate*. 6. Oratio *in Conventu Ratisbonenſi* habita *ad exhortandos Principes Germanorum contra Turcas, & laudibus eorum*. 7. *Peruſinorum* ad Pium II. *in obedientia Oratio*.

Orationes funebres, nempe *in fun. Pii* II. Pontif. Max. Senis habita 2. *Oratio* Peruſii habita *in fun. Nelli de Balionibus*. Item 3. *in funere* Parentis Domini *Joannis Beneventani* Archiepiſcopi, tunc Peruſiae Gubernatoris. 4. *In fun.* quoque Domini *Alexandri Olivae* Saxoferratenſis Cardinalis

Sanctae Suſannae. 5. *Et in funere Urbinatis Ducis*.

Scripſit etiam *Epiſtolarum ad diverſos libros* IX. *Pii* II. *Pontif. Max. vitam*. *De vita, & geſtis Bracchii Peruſini Italicae olim militiae Imperatoris fortiſſimi, ac ſtrenuiſſimi libros* XI. *Elegiarum, & Epigramatum libros* VIII. Haec omnia *Romae*. *ab Eucherio Selber, alias Frank*. *anno*. 1495. Michaelis Ferni Mediolanenſis viri eruditiſſimi ejus amici cura, atque expenſis. Qui Campani opera per totam Italiam diſperſa, ſummo ſtudio, ſummiſq. impenſis conquiſita collegit, & in unum corpus redegit, ac in lucem emiſit; quibus *Campani vitam* ab eodem Michaele exacte conſcriptam iis operibus praefixit, dein *Baſileae*, recuſa ſunt *apud Brilingerum*. *anno*. 1545. *in fol.*

At Bracchii *Peruſini hiſtoria*, *ac vita* a Joanne Antonio Campano conſcripta *Baſileae* edita eſt *anno* 1545. *in* 4. *apud Oporinum*. *& ibidem*, *apud Nicolaum Brilingerum*. 1545. Item ex latina in Italicam linguam translata a Pompeo Pellino Peruſino, & pluries variis in locis excuſa eſt.

Campani quoque *Poëmata*, excuſa ſunt nuper *in primo volume Delitiarum CC. Italorum poëtarum*.

Hiſtoriam etiam *Urbinatem* ipſe ſcripſit, cui ſupremam jam manum impoſuit, ut Michael Fernus *in* ejus *Vita* teſtatur.

Orationes inſuper *funebres in morte Calixti* III. Rom. Pontif. & *in Cardinalis Cotronenſis*, quas Geſnerus *in Bibliotheca*, & Poſſevin. *in* 2. *vol. Apparatus ſacri fol.* 107. aſſerunt, in noſtro libro Venetae editionis *anni*. 1595. non habemus.

Caeterum ea aetate nil illuſtrius Campano fuit. Ejus operum judicium plerique faciunt ferme conſimile; nam ſi Lilium Gregorium Giraldum *in hiſtor. poëtar. dial. primo de poëtis noſtri temp. fol.* 786. perſpiciamus, is Antonium Campanum celebrat multa laude dignum; *neque enim* (ut ipſe ait) *ſoluta oratione ſuorum temporum cuiquam ceſſit, ut ex ſuorum voluminum lectione cognoſcitur, nec vero carmine minus praeſtitit*.

Si Jacobum Antiquarium, virum ea aetate doctiſſimum, ac celebrem, qui Mediolanenſium Duci a ſecretis fuit, in ea Epiſtola ad Michaelem Fernum, quae Campani operibus praefixa eſt, attendamus, ait ille: Campanus in Epigrammatibus nemini
„ ceſſit, & ſic ſcripſit Braccianam hiſtoriam
„ ſine partium ſtudio, in qua etſi rerum
„ geſtarum aeſtimatio fortaſſe non caret
„ invidia, nuda tamen veritas ab obtre-
„ ctatoribus eum liberat. Campanus in ejus
„ oratione fluit potius, quam ambulat,
„ nec niſi pleno ſemper alveo, ac ſubinde
„ aliquantum progreſſus ſe in gyrum ver-
„ tit certaminis, & ſpiculorum plenus,
„ nec unquam quicquid praetermittit,
„ quod ad delectationis aucupium pertine-
„ re ſentiat. Varius, & niteſcens ubiq. Qua-
„ lem natura protuliſſe videtur, ne Ro-
„ mana illa dicendi majeſtate caruiſſe dole-
„ remus copia, atq. feliciſſima ingenii uber-
„ tate. Magna ejus in ornamentis rerum ſup-
„ pellex, & verborum natura excellens, ars
„ teres, & exacta. Qui Carmen ejus heroi-
„ cum, qui Elegias, & Epigrammata, qui
„ Hiſtoriam, qui Orationes, & Epiſtolas, qui
„ ſcriptorum omne genus in ſumma laude
„ ponendum non duxerit; is in Caelo ſo-
„ lem, cum medius eſt dies, imprudenter
„ audebit inficiari.

Michael Fernus in Epiſtola ad Jacobum antiquarium, quae in eo libro habetur excuſa, de Campano ait: Et cum multi varia
„ ingenii commendatione ampliſſima, cum
„ veterum ſcriptorum, tum noſtrorum tem-
„ porum in lucem ediderint, unus hic
„ non tam mihi, quam eruditiſſimo cui-
„ que, & aequaſſe omnes, te quaque vi-
„ detur ſuperaſſe. Oratione amplior, nemo
„ hiſtoria illuſtrior. In Philoſophia, & di-
„ ſputationibus uberior, diſtinctior, expreſ-
„ ſior nemo. In epiſtolis concinnior, ſuavior.
„ In Carmine ſonantior heroico. Elegia
„ gracilior, Epigrammate ſolidior, neque
„ ver-

„ verborum licentia ſubſtulet, aut pueri-
„ libus laſciviat ſententiolis per ſingula,
„ ut, quaeque depoſcit res, uber, & ma-
„ gnificus, gravis, & venuſtus, pleno
„ fluens alveo, non tenui excurrens rivo.

Idem Michael in Epiſtola ad B. Cardinalem, quae Orationes Campani praecedit. Campanum Ciceroni comparat, & parallellos facit, inter ipſum, & Ciceronem, quae digna ſunt, ut legantur: eam tamen ne prolixior ſim, omitto. Et in Epiſtola ad lectores ait; In Campano
„ tanta fluit ſolutae orationis majeſtas, &
„ elegantia, ut carminis nitorem vix in ea
„ potuerimus ſperare. Quod ſi ſecus pro-
„ ſpici contingat neceſſe eſt, ut ingenti
„ in ipſo rerum omnium calce affecti ſtu-
„ pore relinquamur.

Jo. Baptiſta Fulgoſius *lib.* II. *dictorum, & factorum memorabilium. cap.* 4. multa de Joanne Antonio Campano habet, vocatque eum *omni ſcriptorum genere nulli aetate noſtra ſecundum; ut pote, qui priſcorum in dicendo laudem, ſi non ſuperavit, eis minime pudendus aquare ſaltem viſus eſt.*

Raphael Volaterranus *lib.*XXI. ejus *Commentariorum in Anthropol.* ait: *Joannem Antonium Campanum in Orationibus facilitate, ac extemporalitate parem non habuiſſe.*

Frater Zinobius Acciajolus *in Oratione*, quam habuit Neapoli *de laudibus Civitatis ac Regni Neapolis* anno 1515. dum de viris illuſtribus in litteris agit, ſic ait de Joanne Antonio Campano: *Neque vero Campanus Antiſtes candoris, ac latinitatis nomine, haud maxime laudandus. Dignus ſane homo, quem Gallucii proceres e ditionis ſuae locis protulerunt.*

Joannes Bertachinus Firmanus celeber J. C. in tractatu *de Epiſcopo lib.* II. *quaeſt.* 47. Campanum vocat *virum ea aetate doctiſſimum*,

JO. ANT. *ſeu* JOH. CARRAFA, patritius Neapolitanus, I. C. eminentiſſimus, Alphonſi Senioris, ac Ferdinandi Neapolitanorum Regum a Conſiliis in ſupremo Sanctae Clarae Senatu, legalis quoque Philoſophiae, tum Civilis, tum Pontificii juris in publico Neapolitano gymnaſio per multos annos primarius profeſſor fuit. Cum adhuc regius Conſiliarius eſſet, ordinarius etiam Neapolitani Collegii Doctor fuit; in quo pariter Jacobi Caraccioli Comitis Burgentiae Regni Cancellarii vices gerebat. Edidit *Tractatum de Simonia*, qui excuſus eſt *Romae. anno.* 1556. *apud Vincentium Luchinum. in* 8. in gratiam Pauli IX. Romani Pontif. ejus gentilis; quique inter *Tractatus juris*, *Venetiis* editos *anno.* 1584. *in vol.* XV. *in parte* 2. habetur. Tractatum hunc Joannis Antonii Carrafae *de Simonia* citat Afflic. *deciſ.* 348. *num.* 3. Idemq. Afflic. *in Conſtit. quamplurimum. in tit. de adjutoriis exigendis. num.* 32. allegat Tractatum hunc *de Simonia*, *quem fecit Joannes Antonius Carrafa in ſenectute.*

Scripſit quoque *Tractatum De ambitu*; cujus ipſe meminit in eodem tractatu *de Simonia*, *num.* 23.

Edidit item *Tractatum de Jubileo*, quem Afflic. *in C. primo quae ſint regalia. in verbo vectigalia. num.* 4. quae ſint regalia, citat.

Idem quoque Afflict. *in deciſ.* 346, *num.* 12. citat Joannem Antonium Carrafam *in Recollectis ſuis in l. properandum. C. de judiciis.* Idemque Afflic. *in tit. de feudo dato in vicem legis Commiſſoriae. num.* 15. *& in* §. *filia vero de Succeſſione Feudi. num.* 6. *& in tit. de Feudo guardiae. num.* 32. *& in tit. de his, qui feudum dare poſſunt. num.* 37. & Sigiſmundus Loffredus *Conſil.* 14. *num.* 262. citant Joannem Antonium Carrafam *in Repetitione in l. fin. C. de pactis.*

Idem etiam Joannes Antonius in dicto tractatu *de Simonia*, *num.* 82. remittit ſe

Digitized by Google

ſe ad ea quae dixit *in C. finali de Simonia*.

Fuit autem Joannes Antonius vir magnae memoriae ultra alios ſuo tempore, ut ſequentes ſcriptores teſtantur. Meminit ipſius Afflic. paſſim in ejus libris, *quem ſocerum, patrem, & dominum ſuum* appellat, ac modo Johannem Carrafam vocat; eumque legiſſe, ait, in Neapolitana Cathedra legalem facultatem, ejuſq. doctrinam refert, ac citat, & ſummis laudibus effert. *Magnus Juriſta* appellatur ab eodem *in Conſtit. mulier, quae dotarium num.* 32. *ſub. tit. de dotariis. Maximus doctor, in Conſtit. hac luce. num. 6. Doctor famoſus, praeditus magna ſcientia* in Conſtit. *quamplurimum. num.* 32. *ſub tit. de adjutoriis exigal. Doctor antiquus, & reputatus, in tit. de his, qui feudum dare poſſunt* §. *& quia num.* 12. *Maximus doctor, & multum reputatus in ſcientiae utriuſque cenſura. deciſ.* 291. *num.* 3. *Inſignis Advocatus, in C. primo de natura ſucceſſionis Feudi. num.* 10. *Qui habuit memoriam, ultra alios, ſuo tempore. in tit. de feudo guardiae. num.* 5.

A Sigiſmundo quoque Loffredo *in Conſilio* 14. *num.* 26. appellatur *doctor ſuae aetatis magnae auctoritatis & eminentis ſcientiae*. Idemque Goffredus in ſuis *paraphr. in C. primo* § *ſeu verſ. quaeſitum eſt de Capitaneo qui curiam vendidit* ait Joannem Antonium Carrafam, *quem non vidi, audio fuiſſe virum magnae memoriae*.

Laurentius Valla *in Antidoto Pogii lib.* IV. ait *Joannes Antonius Carrafa* I. c. *pari nobilitate vir, & ſcientia proximus, Princeps Juriſconſultorum*.

Obiit autem Joannes Antonius Neapoli in Majoris Eccleſiae palatio ſubita morte praeventus die Lunae 25. Decembri 1488. qui illuxit dies natalis Domini, & ſepultus eſt in eadem Baſilica, ut refert Julianus Paſſer *in Diurnalibus Mſſtis rerum Neapolitanarum*.

JO. ANTONIVS CASALENVS e Francavilla Hydruntinae provinciae oppido, Philoſophiae, ac Medicinae doctor, ac Francavillae privato gymnaſio Logicam, ac Philoſophiam aſſidue profitens, edidit *Diſputationem de ſecanda vena in pleuritide, revulſionis gratia adverſus Medicos Francavillenſes*. Opuſculum ſane non contemnendum, quia ſatis doctum, & probatum, quod excuſum eſt *Venetiis*. 1605. *apud Joannem Baptiſtam Ciotum Senenſem. in* 4. Lutio Scarano Philoſopho, ac Medico excellentiſſimo Venetiis Sereniſſimi Senatus ſtipendio Philoſophiam publice profitenti dicatum.

JO. ANTONIVS FOGLIA Geoſonenſis; Philoſophus, ac Medicus Neapolitanus, in regio gymnaſio theoricae medicinae profeſſor primarius, edidit libellum ad rem medicam pertinentem, cui titulus eſt: *De anginoſa paſſione cruſtoſis, malignisq. tonſillarum, & faucium ulceribus per inclytam hanc Civitatem Neapolis, multaq. Regni loca vagantibus*, impreſſ. *Neap. anno*. 1620. *apud Tarquinium Longum. in* 4.

Edidit quoque Italice *Diſcurſum hiſtoricum de magno terraemotu, qui contigit in Regno Neapolitano in Provincia Capitanatae Apuliae anno* 1627. *die* 30. *Julii hora* 16. qui eodem anno excuſus eſt *Neap. apud Lazarum Scorigium. in* 4. Ex. Albae Duci, in Regno Neapolitano Proregi, dicatus.

JO. ANTONIVS LANARIVS Neapolitanus I. C. ac cauſarum patronus inſignis, feudorum interpres in publico Neapolitano gymnaſio, regius interconſiliarius; deinde in ſupremo Italiae Conſilio apud Catholicam Majeſtatem Philippi II. Hiſpaniarum Regis Regens; demum Sacri Conſilii Capuanae Praeſidens, ac Comes Sacchi fuit. Vir in legali facultate, & Magiſtratibus gerendis praeſtantiſſimus, ſcripſit librum *Conſiliorum, ſeu juris reſponſorum*, in quo innumerae quaeſtiones, praefer-

Digitized by Google

ſertim feudales doctiſſime enucleantur. Qui quidem liber, poſt ejus mortem, in lucem editus eſt, cura, & ſtudio Octavii Lanarii legum doctoris ejus filii; qui illum Ex. Domino Henrico Guſman Olivarenſium Comiti Regni Proregi dicavit, impreſſ. *Venetiis. anno. 1598. apud Franciſcum de Franciſcis Senenſem. in fol.*

Edidit quoque *Repetitiones Feudales*, quas legendo edocuit, eaſque in lucem emiſit dominus Fulvius Lanarius I. C. Advocatus primarius ejus nepos, *cum additionibus ſupremorum Tribunalium*, excuſas *Neapoli. 1630. apud Lazarum Scorigium. in fol.* Ex. Proregi Alcanorum Duci ab eodem Fulvio dicatas.

Scripſit etiam alios libros, ad legalem facultatem pertinentes, qui non adhuc in lucem prodiderunt, ſed manuſcripti aſſervantur apud Neapolitanos J. C. ac in magno praetio ab eis habiti, nempe: Liber pergrandis *de Juriſdictione* alphabetico Ordine. Item alius liber, qui inſcribitur *Catena Aurea*, in quo de materia Regiae Juriſdictionis controverſae perdocte agitur.

Praeterea alius liber, duobus voluminibus diſtinctus, quem vocavit *Abecedarium*, ſive *Repertorium*, & in eo de legali materia alphabetico item ordine pertractatur.

Obiit autem in Civitate Januae die ultimo Auguſti 1590. cum ex Hiſpania Neapolim reverteretur, Praeſidis Sacri Conſilii decoratus dignitate. Ejus corpus Neapolim translatum eſt, & in aedem divae Mariae de Nova Fratrum Sancti Franciſci Obſervantium in proprium Sacellum illatum.

JO. ANT. A LEO DE FORTIATIS de Caſtellucia, Lucanus, legum peritus, ſcripſit *Repetionem, ſive*, (ut ipſe vocat) *ſollemne examen ad l. quod te ff. de rebus creditis* ad theoricam, ac praxim, tum juris communis, tum Regni Conſtitutionum, ac Rituum, Reſponſa nonnulla enucleantem, caſuum deciſionem habentem diuturno eventui ſubjectorum. Dicavit autem illam author Ill. Domino Hectori Pignatello Duci Montisleonis, ac Burrelli Comiti, impreſſam *Neapoli. anno. 1549. apud Joannem Paulum Suganappum. in 4.*

JO. ANT. DE NIGRIS de Civitate Campaniae in Picentinis, J. C. ſcripſit *Commentaria*, ſive *Apparatum ad Capitula hujus Siciliae Regni* ac recollegit *Commentaria, & additiones ſuper dictis Capitulis, veterum quorundam Regni inſignium Juriſconſultorum*, quae integra adhuc edita minime fuerant, & manuſcriptis latitabant, nempe *Johannis Archamoni, Bartholomaei de Capua, Neapodani Sebaſtiani, Lucae de Penna, & Nicolai de Neapoli.* Atq. ad commune Legalem facultatem profitentium commodum, ea omnia unico volumine contenta, ac cum textu ipſorum Capitulorum, & ſuis lucubrationibus, in lucem tradidit. Excuſa ſunt in Civitate *Campaniae. anno. 1546. apud Franciſcum de Fabris Corinaldenſem in Picenorum, ſeu de Marchia Anconitana. in fol.*

Scripſit quoque *Apparatum, ſive Commentaria ad Clementis VII. Rom. Pontif. extravagantem Conſtitutionem contra Clericos non incedentes in habitu, & tonſura*, & Domino Cherubino e Cajeta Campanienſi Epiſcopo dicavit; quae pariter impreſſa fuit in civitate *Campaniae. anno. 1545. in typographia ejuſdem Franciſci de Fabris. in fol.* dein recuſa ſunt *ibidem anno 1546. apud eumdem. in fol.* & eidem Epiſcopo dicata, additis ejuſdem auctoris aliquibus interpretationibus *in materia Spoliorum, & renunciatione Beneficiorum.* Habentur quoque in VI. volumine *Repetitionum in jure Canonico*, veluti ac ſi Repetitio eſſet in extravaganti unica *De vita, & honeſtate Clericorum.*

Hujus autem auctoris opera pluries variis in locis excuſa ſunt, & demum anno 1596. omnia ſimul juncta prodierunt *cum novis ejus auctoris additionibus Venetiis. ex typographia haeredum Joannis Variſci. in fol.*

Scri-

Digitized by Google

Conſentini Calabri Epiſcopi Litterenſis a Paulo III. creati, in tres partes ſive tomos diſtincta, quae Caeſar Pantuſa ejus nepos in lucem edi curavit *Venetiis*. *anno*. 1596. *apud Damianum Zenarium*. *in* 4. & Domino Marco Antonio Columnae S. R. E. Cardinali nuncupavit. In primo autem tomo Opuſcula haec continentur:

De Viſibili Eccleſia Chriſti, contra manifeſtam Sinagogam Sathanae. 2. *De Primatu Petri*. 3. *De Sacrificiis veterum*. 4. *De Sacrificio Miſſae*. 5. *De Merito Chriſti*. 6. *De meritis Sanctorum*.

Item ſecundo tomo. *De libero arbitrio*. 2. *De contingentia rerum*. 3. *De divina providentia*. 4. *De originali peccato*. 5. *De Juſtificatione*.

In III. tomo. *De lege, & fide*. 2. *An gratia fidei major ſit gratia ſacramentali*. 3. *Cur in Sacramento poenitentiae imponantur opera ſatisfactoria*. 4. *De ſpe*. 5. *De paternitate ſpirituali*. 6. *De connexione virtutum moralium*. 7. *De ſpecifica virtute prudentiae*. 8. *An triſtitia in voluntate ſit paſſio*. 9. *An primus actus intellectus habeat cauſam extrinſecam*. 10. *Cur virtutes morales acquiſitae non praemiantur vita aeterna, & defectus puniuntur poena aeterna*. 11. *Quis actus deliberatus dicatur*. 12. *An malitia prius ſit in actu exteriori, quam in interiori actu voluntatis*. 13. *An peccato, & malitiae certa ſit annexa ignorantia*. 14. *De miſericordia*. 15. *De delectatione*. 16. *De humilitate* 17. *De valore orationis*. 18. *Finis ultimus omnium rerum*. 19. *Commentaria in epiſtolam ad Romanos*.

Meminit quoque Gabriel Barrius *lib.* II. *de antiqu. & ſitu Calabriae* ipſius Joannis Antonii Pantuſae Conſentini, quem dicit fuiſſe Campaniae Epiſcopum, ac ſcripſiſſe *de praedeſtinatione, & gratia, de arbitrio, & operibus, de vera Chriſti Carne, & Sanguine, & de Coena Domini*. Interfuit autem is Tridentinae Synodo, ubi ab hac luce migravit die 27. Octobris 1562.

JO. ANT. PERECTUS Tarentinus, Sacerdos, edidit latine heroicum carmen, quod inſcripſit *Sixti V. Pontif. Max. Creatio* ad Alexandrum Peretum Cardinalem Montaltum S. R. E. Vicecancellarium, excuſum *Romae apud Jacobum Ruffinellum*. *anno*. 1585. *in* 4.

JO. ANT. PIPERO Conturſinus Lucanus, J.C. edidit latine eleganti ſtilo *De omni vero officio libros* VII. *omnibus aeque, ac aer ad vitam, quo ſine ſpirat nemo, ad bene, beateque vivendum neceſſarios*, ad Fabium Sertorium, & Marium Camillum binos ejus filios, atque caeteros ad divinam adoptionem aſpirantes: qui excuſi ſunt *Neapoli*. *anno*. 1534. *a Jo. Sulzbachio Hagenovenſe Germ. in* 4.

Fuit autem hic Joannes Antonius prius Regius Auditor in Provinciis Principatus Citerioris, & Baſilicatae anno 1514. deinde bis Judex Magnae Curiae anno 1534. & 1537. Vocabatur autem variis modis, nunc enim *Antonius Pepe*, modo *Joannes Antonius Pipe*, modo vero *Joannes Antonius Pipero*. Imo idem ipſe lib. VIII. *de omni vero officio*. *fol.* 186. teſtatur ſe liquiſſe Conturſium patriam, *& Piperones* ſuos, & *Pepiam*, (quam aliter vocant *Proſapiam*) & amore uxoris in terram Bellovedere, in Calabria poſitam, illius patriam ſeceſſiſſe.

Obiit autem in eodem Bellovedere oppido, annum circiter 1548. & in Divae Mariae Annunziatae in familiae Sacello ſepultus eſt.

JO. ANT. SUMMONTIUS Neapolitanus ſcripſit Italice *Hiſtoriam Civitatis, ac Regni Neapolit.* IV. voluminibus contentam, quorum primum complectitur *a Civitatis Neapolis aedificatione, uſque ad Rogerium Siciliae Comitem*, quod prodiit *Neapoli*. *anno*. 1601. *ex typographia Joannis Jacobi Carlini*. *in* 4. fol. Nobiliſſimae, ac fideliſ-

ſimae Civitati Neapolis, ejuſq. Dominis Electis dicatum. Secundum vero continet *ab eodem Rogerio Siciliae effecto Rege, uſque ad Alphonſum I. de Aragonia Regem*, excuſum *ibidem. apud eundem, eadem forma*, Domino Joanni Franciſco de Ponte Morconi Marchioni e Supremo Italiae Conſilio ſuae Catholicae Majeſtatis, & Collaterali Conſiliario in eodem Neapolitano Regno dicatum. Tertium autem continet *vitas, & geſta Regum ab Aragonia a Rege Alphonſo I. anno* 1442. *uſque ad annum* 1501. excuſum *Neapoli. anno*. 1640. *apud Franciſcum Savium. in* 4. Et quartum continet *geſta a Ferdinando Rege Catholico, Carolo V. & Philippo II. Regibus* impreſſum *Neapoli*. 1643. *apud Jacobum Gaffarum. in* 4.

JOANNES AQVILANVS Aprutinus, Ordinis Praedicatorum de Obſervantia, Concionator ſuae aetatis celeberrimus, edidit latine *Sermones quadrageſimales*, quos *Vitiorum Limam* praetitulavit; qui excuſi ſunt prius *Venetiis. anno*. 1497. ab Angelo Britannico, dein additis etiam ſimul *Danielis Vicentini* ejuſdem Ordinis, ac divini verbi accerrimi item declamatoris, *Sermonibus*, ſimul recuſis *apud Jacobum Peruinum* de *Leucho*. 1522. *in* 8. demum *Aquilani* dumtaxat *Sermones* editi ſunt. *Venetiis. anno*. 1570. *in* 8.

Eum celebrat Frater Leander Albertus *in deſcript. Ital.*, aitque *magum nomen Aquilae ſua aetate dediſſe Joannem Aquilanum Ord. Praedicat. excellentem Theologum, ac concionatorem facundiſſimum, ſicut ex ejus Sermonibus, qui extant, dignoſci poteſt*.

Franciſcus quoque Sanſovinus in libro quem vocavit, *Riſtretto delle più nobili, e famoſe Città d' Italia*, Joannis hujus Aquilani meminit, atque *praeſtantem concionatorem* appellat, quem varios tractatus conſcripſiſſe ait.

Frater Seraphinus Razzi *in hiſt. viror. illuſtr. Ord. S. Dominici* ait *Joannem* hunc *Aquilanum ſua aetate fuiſſe alterum Paulum Apoſtolum*, & *quadrageſimale conſcripſiſſe, atque Ferrariae obiiſſe anno*. 1479.

JOANNES AQVILANVS Philoſophus, ac Medicus praeſtantiſſimus Patavii Medicinae cathedram publice rexit. Scripſit *De ſanguinis miſſione in pleuritide*, ut Tiraquellus in tract. *de nobilitate. Cap.* 31. his verbis affirmat: *Joannes Aquilanus Patavinus, qui de ſanguinis miſſione in pleuritide ſcripſit*. Joannes etiam Schenk *in Bibliotheca Medica* idem teſtatur.

Celebrat illum Antonius Corſetus in tractatu *de poteſtate, & excellentia juris. quaeſt.* 74. hunc in modum: *Acceſſit etiam ſummi, & celeberrimi facile principis Domini Magiſtri Joannis Aquilanenſis ſententia, qui tanquam alter Aeſculapius a cunctis mortalibus tempeſtate noſtra colitur, & obſervatur. &c.*

Lucas quoque Gauricus Joannem hunc celebrat *lib.* I. de *diebus decretoriis* hunc in modum: *Hujuſmodi vero dierum criticorum rationes in caeleſtes cauſas aſſignaverunt Aſclepiades, Eraſiſtratus, Pliſtonius, Themiſon, Apollonius, Archigenes, Meſue, Dioſcorides, Raſes, Paulus Aegineta, Serapus, Avicenna, Galenus, Cornelius Celſus, Scribonius, Sargius. Q. Serenus Samonicus, Plinius, Petrus Apponenſis, Claudius Ptolomeus, Aales Rodoam, Almanſor, Averroes, Avenzoharus, Hali Abbas, Philo Medicus, Gentilis, Nicolaus Florentinus, Nicolaus Leonicenus, Joannes Aquilanus Medicorum omnium noſtrae aetatis facile princeps. Zerbus quoque Veronenſis, & plerique Neoterici, quos foret hic magnus connumerare labor*.

Scripſit quoq. *Annotationes, & correctiones ſuper Conciliatorem Petri Apponenis* ut tradit Hieronymus Picus Funiculanus, *in deſcript.* VII. *illuſtr. Ital. Civitatum*.

Bernardinus Cyrillus viro huic celeberrimo ſequens ſcripſit honorarium Epitaphium; ut Salvator Maſſonius *de Rebus Aquilanis*.

Hunc quem vides titulum, bone hoſpes, erexit Cyrillus docto viro Joanni cognomento

de

de Aquila, *qui diſciplinarum omnium inſtructus praeſidiis*, *doctrina gravitate*, *& ingenii praeſtantia clariſſimus*, *in Italia ſuggeſtis philoſophorum* , *medicorumque dogmata erudita facundia interpres* , *uſque adeo ſe ſumma nominis auctoritate celebrem reddidit* , *ut apud maximos Italiae proceres inter ſui temporis Medicos primarios ſit relatus* . *Prodijere ex ejus gymnaſio* Auguſtinus Niphus , Marcus Antonius Zimara, Hieronymus Accorombonus , Joannes Laurentius Sentinas , *& alii quamplurimi ea aetate florentes viri* , *nunquam celebritate nominis interituri* . *Extant exacte ejus doctrinae monumenta* , *quae in ſui admirationem doctos viros convertunt* . *Obiit fere ſeptuagenarius* , *dum publice Patavii profiteretur* . *Ejus praeclaro nomini debent plurimum cives* , *& patria* .

Floruit autem annum circiter 1480.

JOANNES Archidiaconus BARRENSIS. Vide *Joannem Barrenſem* Archidiaconum.

JOANNES ARGOLUS e Taliacotio inſigni oppido in Aprutio citeriori , Andreae Argoli celebris Aſtrologi , de quo ſuperius egimus , filius , poëta Etruſcus , fuit. Edidit Italice *Endimionem* , *Poëma*. *Intermanae*, *in Piceno* , impreſſum *anno* . *1626. apud Thomam Guerrerium*. in 4. Domino Philippo Columnae Puliani , & Taliacotii Duci, & hujus Regni Magno Conteſtabulo dicatum .

Della Bambace, *e Seta Idilio*, *transformationi paſtorali* , ad Mauritium Cardinalem de Sabaudia . 1624. in 2.

Edidit quoque latine *Epithalamium in nuptiis D. D. Thaddei Barberini* , *& Annae Columnae* . *Romae* . *apud impreſſores Cameralis* . *1629. in 8.*

JOANNES DE ARNONO de Sancto Angelo Faſanella J, C. , qui decem annis jus, & praeſertim Pontificium in florentiſſimo Salernitano gymnaſio publice profeſſus eſt , edidit multa ad jus Civile , & Canonicum pertinentia , nempe: *Singularia* centum *Cautelas* centum , quae excuſa ſunt ſimul *Ven. anno* . 1540. *apud Melchiorem Seſſam*. in 8.

Dein edidit quoque *Soliloquia* c. *Epitomata* . c. *Dialogos*. c. *Commentarios* . cc. *Practicam judiciariam*.. *Differentias inter jus commune utrumque* , *& jus Regni* . *Topicam* ex *Divino* , & *Humano jure excerptam*. Quae omnia ſimul prodierunt *Venetiis* . *anno* . 1542. *ex Typographia Melchioris Seſſae*. *in* 8. Demum ea praedicta omnia edita ſunt *Venetiis* . *anno* . 1571. *a Guerreis fratribus*. *in* 8. Dicata Fabritio Geſualdo Compſanorum Comiti , ac Camillo Geſualdo ejus fratri Compſano Archiepiſcopo .

Porro ejus *Singularia* habentur in opere magno *Singularium diverſorum Doctorum in utroque jure*, quae duobus Voluminibus continentur .

JOANNES AZZOLINUS Meſſapienſis Salentinus Clericus Regularis Theologus edidit italice , *Orazioni ſacre* , *compoſte* , *e recitate da lui* ; quae excuſae *Neap.* . 1633. *apud Aegidium Longum*. *in* 4. Eminentiſs. Cardinali Antonio Barberino dicatae .

JO: BAPT. ABIOSUS de Balneolo, vide *Joannem Abioſum* de Balneolo .

JO. BAPTISTA AMICUS Conſentinus , vir doctus , Graeca , ac latina lingua , nec non Hebraica eruditus , ac bonis diſciplinis excultus , ſcripſit librum *De motibus Corporum Caeleſtium juxta principia Peripateticorum*, *ſine eccentribus* , *& epicyclis* , impreſſ. *Venetiis* . 1636. *apud* . . . . *in* 4. Cardinali Nicolao Rodulpho dicatum .

Obiit autem Patavii anno 1538. & in Baſilica Sancti Antonii ſepultus eſt , cui

haec appoſita eſt marmorea inſcriptio; quam refert Laurentius Schraderus in libro *Monumentorum Italiae. fol.* 11.

IOANNI BAPTISTAE AMICO CONSENTINO QVI CVM OMNES OMNIVM LIBERALIVM ARTIVM DISCIPLINAS MIRO INGENIO SOLERTI INDVSTRIA INCREDIBILI STVDIO LATINE GRAECE ATQVE ETIAM HEBRAICE PERCVRRISSET FELICITER IPSA ADOLESCENTIA SVORVMQVE LABORVM ET VIGILIARVM CVRSV PENE CONFECTO A SICARIO IGNOTO LITTERARVM VT PVTATVR VIRTVTISQVE INVIDIA INTERFECTVS EST. M. D. X. X. X. VIII.
PRAEMIA QVAE REFERVNT ALII VITAMQVE PERENNEM
VIRTVTES VNI HVIC CAVSA FVERE NECIS.

JO. BAPTISTA ARCVCIVS Neapolitanus Theologus ſacris, ac ſecularibus literis eruditus, ac poëta valde elegans fuit. Scripſit latino heroico carmine poëma, quod *Victoria Naupactica* nuncupatur, de victoria nempe illa celeberrima, ac maxima obtenta a Chriſtianis Principibus, numeroſa claſſe adverſus Turcas ad Naupacticas Inſulas, ſub Duce Joanne Auſtriaco anno 1572. Quod quidem poëma primo excuſum eſt *Neapoli. eodem anno. 1572. apud* . . . . dein recuſum in libro, qui inſcribitur, *In Faedus & Victoriam contra Turcas juxta ſinum Corinthiacum, nonis Octobris 1571. partam, Poëmata varia, Petri Gherardii Burgenſis ſtudio, ac diligentia conquiſita, ac diſpoſita*. impreſſ. *Venetiis. 1572. in typographia Gaerrea. in* 8. Item recuſum in primo vol. libri, qui *Delitiae* cc. *Ital. poëtarum* inſcribitur a Ranutio Ghero collectae.

Edidit quoque *Odarum libros* II. ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniae Regem. *Elegias* aliquot *ad diverſos*. *Eclogas* IV. nempe *Olympiadem* ad Marium Carraſam Archiepiſcopum Neapolitanum. 2. *Epicedium*. 3. *Amyntam* ad Placidum Sangrium Camerotae Regulum, & 4. *Lydam*. Inſuper *Epiſtolas* V. heroico Carmine *ad diverſos*, quae omnia praeter *Victoriam Naupacticam* ſimul excuſa ſunt *Neapoli. anno. 1568. apud Joannem Boyum. in* 8.

Praefert liber hic bonas epiſtolas, alteram Joannis Franciſci Brancaleonis Neapolitani utriuſque Academiae, Sirenorum nempe, & Eubulorum Praeſidis ad eumdem Poloniae Regem in Joannem Baptiſtam Arcucium Theologum graviſſimum, atque Oratorem eloquentiſſimum, & poëtarum (ut nomen indicat) principem, natum ad immortalitatem ſuis carminibus: Alteram vero epiſtolam Julii Antonii Sanctorii Sanctae Severinae Archiepiſcopi viri litteris eminentiſſimi, e Roma anno 1567. ad Arcucium tranſmiſſam, in qua Arcucium maxime commendat; inter alia hunc in modum:

,, Carmina, quae in Chriſti natale perſcri-
,, pſiſti, accepi, eaquae ſaepe ſumma cum
,, delectatione perlegi, & cedro, auro-
,, que, ac (quod potiſſimum eſt) Chriſtia-
,, no homine digna judicavi. Profecto ejuſ-
,, modi eſt poëma, ut in illo nihil a quo-
,, piam deſiderari poſſe videatur: cum in
,, eo facile poëtae ingenium, ornatum di-
,, cendi genus, candor linguae, rerum
,, ordo, gravitas ſententiarum, religionis
,, obſervantia, ſacrarum denique litterarum
,, peritia, clare reſplendeant, ut & merito
,, auctor clarus Poëta, & ſacer Theolo-
,, gus (ſicut vere eſt) ab omnibus dijudi-
,, cari facile poſſit. Hinc eſt, ut munus mi-
,, hi valde pergratum fuerit, tibique, quod
,, mihi opus dicaveris, pro certa grati er-
,, ga te animi mei ſignificatione, gratias in-
,, gentes agam, & plurimum debeam quae-
,, madmodum tua exigit virtus, tuaque ex-
,, poſtulant merita: quorum memoriam
,, nulla fortunae conditio, nullus conſecu-
,, tae dignitatis honor, nulla loci, vel
,, temporis intercapedo, nulla denique
,, unquam oblivio delere poterit. Semper
,, enim tuarum litterarum peritiam, bona-
,, rum diſciplinarum, ſtudiorum, & di-
,, vinarum, atque humanarum rerum ſa-
,, pien-

Digitized by Google

„ pientiam maxime commendabor: Vitae „ vero integritati, ac compoſitiſſimorum „ morum probitati plurimum detuli, ac „ mitiſſimi animi tui tranquillitatem num„ quam non admiratus, ſingularitate bene„ volentiae complexus ſim, ac in futurum „ incredibili, (ut decet) charitate com„ plectar. Interim quae de Pii v. Pontif. „ Max. laudibus, uti polliceris, exarabis, alia„ que tuae muſae lectiſſima pignora, quae „ a me, ut veneranda praeclari ingenii tui „ monimenta magnopere exoptantur, edi„ tura propediem expectabo. &c.

Item edidit elegantiſſimam *Paraphraſim in* XII. *Fidei articula*, quae Elegia eſt concinna, & excuſa, *cum Antonii Mancinelli regulis in ſuam veram formam redactis*. *Neap.* 1564. *apud Joannem Mariam Scotum.*

Antonii quoque Neapolitani meminit Petrus Victorius *Variarum lectionum lib.* XXVI. *cap* 16. quem appellat *bonum poëtam*, & *omni eleganti doctrina excultum.*

JO. Baptista Attendolus Capuanus Clericus ſaecularis, & Sancti Marcelli de Capua Abbas, Theologus, & Orator inſignis, ac poëta non mediocris; vir multae & accuratae lectionis, linguarum varietate praeſtantiſſimus fuit. Scripſit aliquot opera, in quibus acte ipſius ingenium, judicium, atque eruditio longe emicant. Edidit namque:

Orationem funebrem in obitu Principis Caroli Auſtriaci, Philippi II. *Hiſpaniarum Regis primogeniti filii*, Italice habitam in funeralibus celebratis ab Illuſtriſſimo S. R. E. Cardinali Nicolao Cajetano, & Capuano Archiepiſcopo: excuſam *Neapoli. apud Joſephum Cacchium. anno.* 1571. *in* 4. Ferdinando Caraſae S. Lucidi Marchioni dicatam.

Orationem militarem in navali pugna Joannis Auſtriaci ad Echinadas Inſulas adverſus Turcas, Italice, fingens ejuſdem Joannis Claſſis Ducis nomine, ad pugnam, ac victoriam milites hortari, quam eidem Joanni Auſtriaco dicavit, & Electis Capuanae urbis tranſmiſit, quae publico ejus urbis aere excuſa eſt *Neapoli. anno.* 1573. *apud Joſephum Cacchium. in* 4. eidem Joanni Auſtriaco nuncupata.

Orationem Italice *in Robertae Carrafae Magdaloni Ducis prudentiſſimae, ac religioſiſſimae matronae laudem* habitam, quae impreſſa eſt *Neapoli . . . . in* 4.

Sonettuum Librum Italice edidit, quos is variis in occaſionibus ſcripſit, cum aliquot *Epigrammatibus*, excuſ. *Neap.* 1588. *apud Joſephum Cacchium in* 4.

Scripſit *Lectiones ſuper Cantilenas Petrarchae in honorem Beatae Virginis*, quae incipit. *Vergine bella*, &c. in quibus ejus viri excellentia, linguarum varietas, atque eruditio, variaque, & accurata Scriptorum lectio, perſpicitur, quae jam praelo commiſſae ſunt.

Prodiit quoque Priſci Attendoli, ejus fratris, cura, poſt Joannis Baptiſtae mortem, ejus liber, qui inſcriptus eſt, *L' unità della materia poetica, ſotto dieci predicamenti, eſaminati ne' due Principi de' Toſcani, e de' Latini*, excuſ. *Neapoli*. 1613. *apud Joannem Dominicum Roncaliolum. in* 12. quem librum Priſcus is dicavit Joanni de Capua Principi Rocchae Romanae, atq. eum librum non eſſe perfectum, ipſumq. Priſcum illum recognoviſſe, & accomodaſſe.

Elucubravit itidem Italica lingua *Librum de componendis verſibus*, quem *Muſeum* vocavit, in quo centum ſcripta, centum Auctorum examinat, lingua Graeca, Hebrea, Teutonica, Gallica, & Italica, qui jam typis traditus eſt, etſi non adhuc abſolutus.

Alia etiam opera affecta potius, quam perfecta reliquit. Obiit autem Capuae anno 1593. & in Sanctae Mariae de Carmelo ſacra Aede ſepultus eſt, ubi ſequens legitur inſcriptio in marmore inciſa, ab ejus patria appoſita.

D. O. M.

IO: BAPTISTAE ATTENDOLO AMBROSII FIL. VIRO PIETATE INSIGNI QVI GNARVS FERE

FERE LINGVARVM OMNIVM ATQVE EN ENCYCLOPEDIAM CONSECVTVS ACRI INGENIO PRAECLARA OPERA EDIDIT FATOQVE PRAEVENTVS NONNVLLA INCHOATA RELIQVIT

SEN. CAMP. CIVI SVO B. M. P. ANN. S. CIϽ. IϽ. XCIII.

JO. Baptista Basilis Neapolitanus Eques auratus, Comes palatinus, ac Comes Toroni, Sereniſſimi Ferdinandi Gonzaghae Mantuae Ducis familiaris poëta, multa ſcripſit Italico Carmine, nempe:

Il Pianto della Vergine, ad Nicolaum Sagredum generalem Proviſorem, & Inquiſitorem in Regno Candiae, excuſ. *Neap. apud Tarquinium Longum* 1608. *in* 12. & recuſ. *Mantuae. apud Aurelium, & Ludovicum Oſannas fratres. in* 12. 1613. ab auctore recognitus, & emendatus.

Madrigali, & Ode, partem primam ad Adrianam Baſilem ſororem editam *Neap. apud Jo. Dominicum Roncaliolum*. 1609. *in* 12. ab auctore dein *Mantuae. apud Oſannas Fratres* recuſ. 1613. *in* 12. atque recognitam. *Secunda* vero *pars Mantuae* edita eſt *apud* eoſdem *Oſannas fratres*, Domino Cardinali Ferdinando Gonzaghae dicata.

Le Avventuroſe diſavventure, Favola Marittima, ad Aloyſium Carrafam Oſtiliani Principem, & Sabloneti Ducem, excuſ. *Neap. apud Joannem Baptiſtam Garganum, & Laurentium Nuccium*. 1611. quae iterum prodiit . . . . . tertio vero recognita edita eſt *Mantuae. apud* eoſdem *Oſannas* 1613. *in* 12.

Venere Addolorata. Favola tragica, da rappreſentarſi in Muſica, excuſ. *Neap.* 1612. *apud* . . . . Marcello Filamarino Fabritii filio nuncupata, dein *Mantuae* recuſa 1613. *apud Oſannas*.

Egloghe amoroſe, e lugubri, ad eumdem Marcellum Filamarinum *Neap.* 1612. *apud Jo. Dom. Roncaliolum. in* 12. dein additae recuſae ſunt *Mantuae. apud Oſannas*, eodem anno.

Odas ad Albae Ducem Regni Proregem excuſ. *Neap.* 1627. *apud Joannem Dominicum Roncaliolum. in* 12.

Laboravit diutius in Petri Bembi, ac Joannis Caſae rithmis recudendis integrioribus, ac ingenuis, compluribus exemplaribus collatis, relata varia textuum lectione; & obſervationes ac annotationes in eos conſcripſit.

Edidit enim in lucem *Rithmos Petri Bembi ab erroribus omnium aliarum impreſſionum purgatos, additis ipſius Baſilii obſervationibus, varietate textuum, & tabula, ſive indice omnium deſinentiarum Rithmorum* ejuſdem *Bembi*, excuſ. *Neapoli*. 1616. *apud Conſtantinum Vitalem. in* 8.

Tabulam omnium deſinentiarum ejuſdem *Petri Bembi, cum integris verſibus ſub litteris vocalibus collectarum jam a Thoma Porcacco, & in meliorem ordinem diſpoſitarum ab eodem Baſili*, impreſſ. *Neap.* 1617. *apud Conſtantinum Vitalem. in* 8.

Rithmos Joannis Caſae collatos cum melioribus originalibus, & recorrectos ab eodem Baſili, excuſ. *Neap.* 1617. *apud eumdem. in* 8.

Tabulam omnium deſinentiarum Rithmorum Caſae, cum verſibus integris, ſub litteris vocalibus, impreſſ. *Neap.* 1617. *apud eumdem. in* 8.

Obſervationes in Rithmos Petri Bembi, & Joannis Caſae, cum indice deſinentiarum Rithmorum, & cum varietate textuum in Rithmis Bembi, excuſ. *Neapoli*. 1618. *apud Conſtantinum Vitalem. in* 8. Sereniſſimo, & Reverendiſſimo Domino Marco Scitio Aetemps Archiepiſcopo, & Principi Salisburgenſi Legato nato, & Domino Galarae dicatas.

Edidit quoque *Comoedias* Italice nondum excuſas, nempe: I. *Il Fileno*. II. *L' Eugenio*. III. *Gl' Innocenti aſſoluti*.

Prodiit quoque ejuſdem auctoris opus poſtmodum Etruſca lingua, nempe poëma *Teagenis ex Heliodoro Graeco auctore ex* ejus *Aethiopica hiſtoria deſumptum*, quod *Romae* excuſum eſt *typis Petri Antonii Facciotti*. 1637.

Digitized by Google

1637. *in* 4. Andrianae Baſilis ejus ſororis cura, & ſtudio, qua illud Eminentiſſimo Antonio Cardinali Barberino dicavit.

JO. Baptista Bilocta Beneventanus J. C. edidit *Communes Concluſiones ex quaeſtionibus feudalibus uſu frequentioribus, in quibus fere tota materia feudalis breviter, & accurate explicata comprehenditur, atque ſupremorum Tribunalium Deciſionibus comprobatur;* excuſ. *Neap. apud Robertum Mollum*. 1637. *in fol.* Philippo IV. Hiſpaniarum Regi ab Octavio Bilocta ejus filio dicata, quibus acceſſerunt aliquot *Juris Reſponſa Scipionis Biloctae*.

Edidit quoque *Deciſiones cauſarum civitatis Beneventi, tam in Sacra Rota, quam in aliis tum urbis Romae, cum ejuſdem civitatis Beneventi Tribunalibus elimatae*. Quibus acceſſerunt *deciſivae Conſultationes ejuſdem auctoris in arduis, nodoſiſque juris quaeſtionibus*, impreſſ. *Neap. apud Franciſcum Savium* 1645. *in fol.*

JO. Baptista Caccabus Neapolitanus legum doctor, edidit heroico Carmine Poëma ſacrum, quod *Januarius* inſcribitur, in quo gratiae aguntur divo Januario Martyri Beneventano Epiſcopo, ac praecipuo Neapolitanae urbis Patrono ob ſervatam ejus praecibus a Deo Civitatem Neapolim ab horribili incendio Veſuvii montis, quod prodiit *Neapoli ex typographia Jacobi Gaffari*. *anno*. 1635. *in* 4.

Item aliud Poëma eodem Carmine, quod vocavit *Sacrum Regium Conſilium Neapolitanum ſimbolo Anagrammatico apertum* excuſum *ibidem*. 1641. *apud Franciſcum Savium*. *in* 4.

Scripſit quoque *Epigrammatum libellum*, qui editionem expectat.

JO. Baptista Cantalicius Epiſcopus Adrienſis, atque Pennenſis humanioribus litteris excultus, ac poëta ſcripſit latino Carmine heroico *De bis recepta Parthenope, Conſalviae libros* IV., quibus magni Ducis Gonſalvi Ferdinandi geſta in Italia, & praeſertim in Regno Neapolitano preſſo ſtilo complectitur. Poëma quidem praeclarum, & perpolitum, quod eidem Gonſalvo dicavit; excuſum eſt autem *Neapoli*. *anno* 1506. *apud Sigiſmundum Mayr. in fol.* dein variis in locis, ac temporibus. Prodiit quoque *ex latina lingua in etruſcam translatum ſoluta oratione*, concinno ſtilo, ac ſermone puro *a Sertorio Quattromano Conſentino*. *Neapoli*. *ex typographia Jo. Jacobi Carlini*. 1597. *in* 4., & *Conſentiae*. 1597. *ex officina Leonardi Angriſani, & Aloyſii Caſtellini; in* 8.

Edidit quoque Cantalycius *Compendium totius Grammaticae*, quod inſcripſit, *Donati Teoremata Grammaticae, rudibus pueris perneceſſaria, recognita a Cantalicio*, quibus annexit ejuſdem Cantalycii *De arte metrica Canones* ad Cornelium Spoletinum. In principio ejus libri Grammaticae in aliquibus aeditionibus adeſt *ad pueros exhortatio* lyrico verſu, quae incipit.

Tyrones pueri, venite juncti,
Donati nitidas videre leges
Leges Cantalycis manu redemptas.

Dein ait ſe fuiſſe in grammatica Magiſtrum Cardinalis . . . Borgiae, quem unius anni ſpatio erudivit, ſic enim ait:

Noſter Borgia namq. Cardinalis,
Nullas legerat ante qui papyros,
Optans Grammatices tenere portum,
Uno protinus id peregit anno,
Hujus pergradiens vias libelli.,
Quod brumas potuere non per octo
Et jam ſedulus ille me docente,
Inter purpureos loquens galeros,
Marci perſpicuas olei lucernas. &c.

Impreſſus eſt autem liber hic *Venetiis*. *anno*. 1558. *apud Hieronymum Scotum*. *in* 8.,

Digitized by Google

8., & *Romae. apud Jacobum Maſcardum.* 1609. *in* 8.

Conſcripſit etiam *Epigrammatum libros* XII. quos Polydoro Giberto Caeſenati Aequiti, ac Comiti dicavit impreſſ. *Venetiis.* 1495. *apud Mattheum Capcaſam Parmenſem. in* 4. Ex iis Epigrammatum libris conſpicitur Cantalicycium inſtituendae juventuti, ac nobilium virorum filiis praefuiſſe, & in Umbriae, ac Piceni Civitatibus diu verſatum, ac vixiſſe ſub Paulo II. Sixto IV. & Innocentio VIII. Romanis Pontificibus, ac familiarem fuiſſe Alphonſi Calabriae Ducis, Federici Urbini, Coſmi Medicei, ac . . . . . Varani Camerini Ducum, aliorumque ejus aevi Principum.

Aliquot ejus Epigrammata habentur *in* I. *vol.* ejus libri, qui *Delitiae Ital. poëtarum* nuncupantur, quos Ranutius Gherus collegit.

Edidit etiam Cantalycius opus *De claris Venatoribus* ad Maximilianum Regem, ut Geſnerus *in Bibliotheca* teſtatur.

Edidit quoque Italice concinnam, ac valde piam *Expoſitionem ad officium Beatae Mariae Virginis*, quae nuper prodiit opera Julii Carlucii ejus pronepotis, *Viterbii. anno.* 1618. *ex officina Petri, & Auguſtini Diſcipulorum. in* 4. & in fine ejus libri addita eſt ipſius *Joannis Baptiſtae Vita* ab Oſfredutio Anchajano patritio Spoletino Italice conſcripta. Ex hac habetur ipſum fuiſſe ex Cantalycio oppido Civitatis Ducalis in ulteriori Aprutio poſito, ex quo Cantalycii huic noſtro eſt cognomen inditum, eumque familiae Valentinae fuiſſe. Florentiae, & Senis humanas litteras publice, ac magno plauſu fuiſſe profeſſum; & ab Alexandro VI. Rom. Pontif. Petro Aloyſio Borgiae ejus ex ſorore nepoti Cantalycium in humanis litteris praeceptorem fuiſſe traditum. Et paulo poſt idem Pontifex mittens eumdem Petrum Aloyſium Neapolim, ut in aula Regum Neapolitanorum de Aragonia commoraretur ſocium, comitem, ac Ducem ejuſdem Petri Aloyſii Cantalycium dedit; qui cum eodem Petro Aloyſio omnibus bellis Conſalvi Ferdinandi Magni Duce interfuit, eumq. ſecutus eſt in omnibus ejus geſtis, ac factionibus, domi, foriſq. pacis, & belli temporibus; ſub quo etiam militavit; dein S. R. E. Cardinalis creatus eſt is Petrus Aloyſius.

JO. ALOYSIVS CAPVANVS, de Manfredonia, vide *Franciſcum Capuanum* de Manfredonia.

JO. BAPTISTA CARACCIOLVS Neapolitanus Clericus Regularis Theologus, ac divini verbi declamator, edidit Italice:

Ragionamenti ſpirituali ſopra gli Evangelii delle Domeniche compoſti particolarmente per profitto de' giovani religioſi. Parte prima excuſa Romae. 1539. *apud Manelfum Manelfum. in* 12. Beato Cajetano Thienaeo Fundatori Religionis Clericorum regularium dicati.

Annuale ſecondo, ovvero parte ſeconda de' Ragionamenti ſpirituali ſopra gli Evangelii delle Domeniche per maggior profitto de' Religioſi, in particolare de' giovani, excuſum *Neapoli.* 1642. *apud Nuccium. in* 12. Eminentiſſimo Cardinali Montalto dicatum.

Quareſimale. Parte prima, ovvero Ragionamenti ſpirituali ſopra gli Evangelii della quareſima compoſti per maggior profitto delle perſone Religioſe. in particolare delle Monache. Neapoli. 1643. *in* 12. *apud Octavium Beltranum*, ad B. Andream Avellinum Clericum regularem.

Quareſimale. Parte ſeconda, ovvero Ragionamenti ſpirituali ſopra gli Evangelii, che ſi leggono dalla Domenica quarta di Quareſima, fino al Martedì della Paſca, compoſti per maggior profitto delle perſone religioſe, in particolare delle Monache; impreſſum *Neapoli.* 1644. *apud Octavium Beltranum. in* 12. ad Eminentiſſimum Cardinalem Filamarinum Archiepiſcopum Neapolitanum.

Modo di apparecchiarſi per celebrare divotamente la Santa Meſſa. Neapoli, 1643. *apud Nucium. in* 12.

Jo.

JO. Baptiſta Carnevalis Civitatis Styli, Calaber, philoſophus, ac medicus Neapolitanus, edidit libellum *de Epidemico ſtrangulatorio affectu in Neapolitana urbe graſſante, & per Regna Neapolis, & Siciliae vagante*, impreſſum *Neapoli*. 1620. *apud Scipionem Boninum*. *in* 4. Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Tiberio Carrafae Biſiniani Principi dicatum.

JO. Baptiſta Carrafa Neapolitanus ſcripſit Italice *Hiſtoriae Regni Neapolitani priorem partem*, quae edita eſt *Neapoli*. *apud Ioſephum Cacchium*. 1572. *in* 4. Don. Antonio Carrafae Montis-Draconis Duci a Mutio Carrafa, ejuſdem Joannis Baptiſtae filio, dicata.

JO. Baptiſta Castaldus Neapolitanus, Ordinis Clericorum regularium, qui Theatini vocantur, Theologus multa tum latine, tum Italice ſcripſit; & potiſſimum *De Viris ejus Ordinis ſanctitate illuſtribus, eorumq. vita, ac geſtis*, ac poſteritati tradidit. Quae autem latinae edidit, haec ſunt:

Oratio habita Florentiae in templo S. Marci Dominicanorum in laudem Beati Ludovici Bertrandi Ordinis Praedicatorum, quo die primum Apoſtolica facultate *Beatus* ſollemniter celebratur, impreſſa *Florentiae*. *anno*. 1611. *apud Juntas*. *in* 4.

Priſcorum aliquot Patrum ex Ordine Clericorum regularium apoſtolicae vitae, imaginibus cum externis, tum internis expreſſae. *Veronae*. 1618. *in* 4.

Epiſtola Apologetica de congreſſu S. Ignatii Loyolae cum Beato Cajetano Thieneo, quam in lucem edidit Comes Marcus Thienaeus ipſius B. Cajetani gentilis. *Vincentiae*. 1618. *in* 4.

Pacificum certamen, ſeu *in Reverendi P. Iulii Nigroni* Genuenſis *Soc. Ieſu presbyteri Opuſculum poſthumum, continens diſputationem de S. Ignatio, & Beato Cajetano Thienaeo*, illo Societatis Jeſu, hoc Clericorum regularium fundatore *Animadverſiones* excuſae *Meſſanae*. 1635. *in* 4. dein ab eodem recognitae, & auctae recuſae *Surrenti*. 1637. *apud Octavium Beltranum*. *in fol.*

Vita Beati Cajetani Thienaei iconibus aeneis, & elogiis latinis expreſſae, excuſae *Veronae*. 1619. *in* 4.

Elogia ad Icones aeneas Sanctorum Clericorum regularium impreſſa *Romae*. 1620. *in* 4.

Quae Italice edidit haec ſunt: *Vita Beati Cajetani Thienaei fundatoris religionis Clericorum regularium*, excuſa *Mutinae*. *apud Iulianum Caſſianum*. 1612. quae ab eo auctore recognita, & aucta recuſa eſt *Romae*. *anno*. 1616. *apud Jacobum Maſcardum*. *in* 4. ac potentiſſimae Reginae Caelorum Mariae humiliſſimae Ancillae, & Matri Virgini altiſſimi Dei dicata.

Brevis Relatio de vita Patris Don Andreae Avellini ex *oppido Caſtronovo in Lucania*, Regni hujus Neapolitani, *Clerici regularis, qui Neapoli cum maxima ſanctitatis opinione vixit, obiitque anno* 1608. ad Sereniſſimam Infantem D. Iſabellam de Sabaudia Mutinae Principem, impreſſa *Neapoli*. *anno*. 1613. *apud Jo. Dom. Roncaliolum*. *in* 4.

Vita Beati Joannis Marinoni Veneti Clerici regularis, unius ex primis quatuor ejuſdem Ordinis fundatoribus, qui Neapoli ſancto fine quievit anno 1562. quam duobus Sanctiſſimis Joannis, nempe Joanni Baptiſtae Praecurſori, & alteri *Apoſtolo* & Evangeliſtae Jeſu Chriſti dicavit, excuſa *Mutinae* 1614. *apud Julianum Caſſianum*. in 4. & recuſa *Romae*. *apud Jacobum Maſcardum*. 1616. *in* 4.

Sanctiſſimi Pontificis Pauli IV. *Religionis Clericorum regularium inſtitutoris Vitam* conſcripſit. Addidit quoque *Memoriam aliorum L. celebrium PP., qui ſuperiori ſaeculo M. D. in ea Religione floruerunt, nunc autem in pace quieſcunt*. excuſ. *Romae*. *anno*. 1615. *apud Jacobum Maſcardum*. in 4. Apoſtolorum Principi ab auctore dicatam. Eam Pauli IV. Vitam dumtaxat, auctor recognovit, & auxit, quae prodiit *Muti-*

tinae. 1618. *apud Julianum Caſſianum*. *in* 4. Apoſtolorum Principi dicata.

Vita Venerabilis P. D. Joannis Pauli Montorſani Comenſis, Ord. Clericorum regularium, excuſa *Veronae*. 1618. *apud Angelum Jameum*. in 4. & aucta, recuſa *Mediolani*. *apud Jo. Baptiſtam Malateſtam* typographum regium Cameralem. 1622. *in* 4.

Sermo Mediolani habitus in *templo divi Antonii, inter Miſſarum ſollemnia die* 7. *Auguſti* 1621. cum celebraretur glorioſa memoria felicis tranſitus Beati Cajetani Thienaei unius ex Fundatoribus ſacrae Religionis Clericorum regularium, excuſ. *Mediolani*. 1622. *apud impreſſores Archiepiſcopales*. in 4.

Vitae trium Confeſſorum Chriſti e religione Clericorum regularium, nempe B. Cajetani Thienei, D. Joannis Marinoni, B. Andreae Avellini, impreſſae *Vincentiae*. 1637. *apud Franciſcum Groſſum*. *in* 8.

Judicium de praetenſo Monachatu Benedictino Jo. Petri Carrafae, qui, Epiſcopatu Theatino abdicato, Religionem Clericorum regularium cum B. Cajetano Thienaeo inſtituit, ac poſtea in Pontificem Maximum electus, Paulus IV. *dictus fuit, adverſus inanem opinationem adm. R.P.D. Conſtantini Cajetani Benedictini Abbatis S. Baronti* excuſum *Neap. apud Octavium Beltranum*. 1640. *in* 4. D. O. M. primae increatae, ſempiternaeq. veritati fidele hoc veritatis teſtimonium dicatum.

JO. Baptista Cavotus de Melphia Apulus, Ord.min. obſervantium, Theologus, ac Concionator generalis, edidit latine *Lectiones* XXXIII. *ex aliquibus locis primi Cap. libri S. Job depromptas, & ad methodum, & ordinem noſtrae tempeſtatis redactas, ac completas*, excuſas *Romae*. *in typographia Spadae, apud Stephanum Paulinum*. 1618. *in* 4. Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Joanni Baptiſtae Coccino Sacrae Rotae Decano, ac ſacrae poenitentiariae regenti dicatas.

JO Baptista Comportus Neapolitanus U. J. Doct. Academicus Ocioſus, dictus *Fixus*, edidit Italice Poëma, quod inſcripſit, *La caduta di Lucifero*, ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Domin. Petrum Ferdinandum de Caſtro Lemenſium Comitem, & in Neapolitano Regno Proregem, excuſum *Neap*. 1613. *apud Joannem Jacobum Carlinum*. *in* 4.

Item aliud Poëma Italice, quod vocavit *Judithám*, ad Illuſtriſſimam & Excellentiſſimam D. Catharinam Roſciam, & Sandoval, Lementium Comitem, & in Neapolitano Regno Proreginam excuſum *ibidem*; *apud eumdem*, eadem forma.

JO: Bapt. Crispus Gallipolitanus in Hydruntina provincia, vir certe, & Philoſophus, & Theologus praeſtantiſſimus extitit, atque omnibus numeris abſolutus. Edidit librum, quem inſcripſit, *De Ethnicis Philoſophis caute legendis diſputationes ex propriis cujuſque principiis*, quorum primam ad Dominum Odoardum Farneſium S. R. E. Card. dedicavit: qui liber *Romae* editus eſt *in Aedibus Aloyſii Zannetti*. *anno*. 1594. *in fol.*

In eo libro quantum praeſtiterit, vix dici, atque enarrari poteſt. Cathegoriarum ſumma capita, unde quaeſtionum ſtatus, inter Ethnicos, & Sanctiores philoſophos conſtituit, ut in omnibus cujuſque Auctoris voluminibus criminis fontes caveantur, haec ſunt. *De Deo*. *De Uno*. *De Ente*. *De Divinis, & internis productionibus*. *De aeternitate Creaturae*. *De Mente*. *De Ideis*. *De anima Mundi*. *De aeternitate*. *De rerum creatione*. *De intellectibus*. *De Diis junioribus*. *De materia*. *De Daemonibus*. *De Caelo*. *De tempore*. *De motu*. *De Mundo*. *De Dei providentia*. *De Fato*. *De Fortuna*. *De Anima rationali, & Beata*. *De Homine*. *De rebus naturalibus*; *De rebus politicis*. *De malo*. *De ſummo bono*.

In epiſtola nuncupatoria ſatis ſcite au-

ctor

Digitized by Google

ſtor quid curaverit, qui dum praeſtare intenderet in eo libro conſcribendo, quaeque ſit libri utilitas, ac neceſſitas, ad Chriſtianam philoſophiam ediſcendam, atque antiquorum philoſophorum errores, qui Chriſtianae religioni adverſantur, praecavendos, differit, & ſic ait: *Ethnicorum Philoſophorum libros quaemadmodum prae manibus habendos ſemper duxi, ita etiam eoſdem caute legendos eſſe, identidem deſideravi. Idque naturali, & divina veritate duce, & Sanctorum Patrum ferme omnium urgente conſenſu. Quod ſi tantum negotium, quamvis immenſo labore tentandum, eam inde ex eo tempore mihi propoſuerim, ex quo eorumdem Philoſophorum ſcriptis invigilare, & viginti ferme annis expalleſcere, & pro mea tenuitate alios edocere ſum aggreſſus. Attamen tum demum ſuſpicatus ſum, ne Philoſophorum Commentaria plurimorum errorum fontes vere dici mereantur, eum ſacrae Theologiae, & ſanctorum Patrum lectioni deditus, idem tantundem hinc inde exclamavi . . . verterem. Nam illorum alii doctrinam gentilium graves ſarcinas ſupervacanei laboris continere, eamque declinandam eſſe monebant, alii vero Philoſophos Haereticorum Patriarchas appellabant.*

Caeterum ab Antonio Poſſevino pluribus in locis maximis effertur laudibus liber hic *in* 2. enim *vol. Apparat. ſacri. fol.* 117. ſic ait: *Joannes Baptiſta Criſpus vir vere Philoſophus, qui nimirum acri, & quali Chriſtianum decet judicio, philoſophicum expendit librum ſat grandem*. De Philoſophis caute legendis *ita inſcripſit, ut quae cuique haereſes a Philoſophis minus cautis manarunt, eae indicatae ſint, ac ſolidis rationibus confutatae, ex divinis Scripturis, ex Patribus, ex Synodorum decretis, ex Scholaſticis Theologis. Quibus cautionibus praemuniti Philoſophiae, ſive candidati, ſive publici profeſſores inoffenſo pede curriculum hoc decurrent, tantamque ancillam adduxerint ad arcem*. Idem Poſſevin. *in* 2. *vol. Bibliothecae Selectae lib* 12. de Philoſophia vera, ac Platonica, & de Peripatetica agens *tractatione* 2. *cap.* 13. *fol.* 38. ait: *Maximo philoſophiam profitentium bono id opus inſigne Joannem Baptiſtam edidiſſe in quo Platonis complures errores, neq. ejus tantum, ſed & Platonicorum atq. aliorum indicat, & ſolidis argumentis evertit acerrimi vir ille judicii.* Item Poſſevin. *lib.* 12. ejuſdem 11. *volum. tract.* 2. *cap.* 11. *fol.* 24. ait: *eos libros Joannis Baptiſtae Criſpi* de *Ethnicis philoſophis, quoniam optimi ſunt, eorumque uſus magno Reipublicae Chriſtianae bono in omnibus Academiis eſſe uſurpandos.*

Orationes duas, Italice, conſcripſit *ad Chriſtiani orbis Principes pro bello contra Turcas, anno* 1594. *ſuſcepto*, in quibus poſt enarrata majora damna a Maumethanis nobis inflicta, quam ab haereticis vivis; atque efficacibus rationibus oſtenditur, quam apte, ac feliciter extra faedera ab eorum tyrannide liberari Europa poſſit: impreſſas *Romae. anno* 1594. *apud Aloyſium Zannettum*. *in* 4. Eas nuncupavit Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Leonardo de Harrach libero Baroni de Roraw, & de Pirchenſtan a Secretis Conſiliis Sereniſſimi Archiducis Erneſti, & a Conſiliis Caeſareae Majeſtatis, ejuſq. Oratoris Romae apud Summum Pontificem.

Edidit quoq. is auctor *Jacobi Sannazarii Neapolitani Poëtae celeberrimi Vitam*, Italice, quae Aldo Manutio ab ipſo dicata, excuſa eſt *Romae. anno*. 1593. *apud Franciſcum Coattinum. in* 8. dein ab eodem Criſpo recognita, & aucta edita eſt *Romae. eod. an.* 1593. *apud Aloyſium Zannettum. in* 8. eidem Aldo nuncupata.

Multa alia opera nondum in lucem edita ab eruditiſſimo hoc viro ſcripta, atque ſummis laboribus elaborata, & praeſertim reliquam partem libri *de Ethnicis caute legendis*, poſt mortem ipſius, remanſiſſe audivimus penes Dominum Alexandrum de Sangro Patriarcham Alexandrinum; quem haeredem quoque inſtituit, qui de illis edendis cogitabat.

Obiit autem Joannes Baptiſta Romae anno . . . . ubi diutius, & per majorem ejus vitae partem commoratus eſt.

JO. Baptista Elysius, vide inferius in *Joanne Elyſio*.

JO. Baptista Ferrarus Neapolitanus ſcripſit Italice *de Generibus, & diſciplina equorum* librum, qui excuſus eſt *Neap.* 1560. *apud* . . . .

JO. Baptista Filaurus Aquilanus, Italicis verſibus conſcribendis felicitate, ac facilitate praeſtans fuit, adeo, ut primis ejus aetatis comparandus ſit. Conſcripſit Italice *Miſteria Sanctiſſimae Paſſionis, & Reſurrectionis Ieſu Chriſti*, quae edita eſt a *Salvatore Maſſonio. anno.* 1578. *apud*. . . . . . . ab eodem Salvatore Cardinali Vincentio Juſtiniano dicata. Item recuſa *Mantuae. apud Franc. Oſannam* 1590. *in* 12.

Scripſit item *Canzone, Sonetti, e Paſtorali* ab eruditiſſimis viris rariorum poëtarum doctis ſcriptis comparanda. Quoque *Cantus* xv. *de Orlandi Sapientia, adverſus Ludovicum Arioſtum* conſcripſit, atq. librum *Orlando Saggio* nuncupavit, quorum omnium pauca quaedam extant manuſcripta fragmenta, ut ait Salvator Maſſonius Aquilanus *in lib. de Scriptoribus Aquilanis*.

IO. Baptista Flavius Aquilanus vir politioribus ſtudiis excultus carmine, ac ſoluta oratione latine dicendi peritus, atque orator facundus Romae effloruit. Thomae de vio Cardinalis Cajetani per decem & ſeptem annos a ſecretis fuit, & cum eo quam familiariſſime vixit; *Vitamq.* ejus *Cardinales* profuſiſſime conſcripſit, ad auguſtiſſimum Trivultium S. R. E. Cardinalem, quae ſimul *cum* ejus *Elogio in ejuſdem Cajetani Card. obitu* excuſa eſt *Romae. apud Ant. Bladum. in fol. cum Commentariis* ipſius *Cajetani in Job, & aliis* quibuſdam ejus *Operibus*, ut in Cajetano dicemus.

Edidit quoque latino Carmine librum; qui inſcriptus eſt, *Indignatio urbis Romae*; cujus meminerunt Leander Albertus *in deſcript. Italiae*, Salvator Maſſonius *de Scriptoribus Aquil.*, & Hieronymus Picus Fonticulanus *de rebus Aquilanis*.

Lucas Gauricus *in lib. de vera nobilitate* haec de eo habet: *Ioannes Baptiſta Flavius Aquilanus, orator, poeta, omniumq. liberalium artium profeſſor eximius, merito etiam inter illuſtres concelebrandos adeſt*.

Et patriae, & ſtirpis gloria prima ſuae.

Hunc etiam procul dubio credimus eſſe Joannem Baptiſtam illum Aquilanum, cujus, omiſſo cognomine, genituram facit idem Lucas Gauricus *in tract.* 4. *nativitatum in* 2. *vol.* ejus operum, quem ait *Oratorem fuiſſe facundum*, & *poëtam*, ſedente Paulo III. *Rom. Pontif. & edidiſſe* 1500. *verſus Elegos contra novam, & Gothicam linguam Etruſcam, & illos, qui transferunt libros latinos in vernaculam linguam, & plures habuiſſe Orationes elegantiſſimas coram Paulo* III. *& Cardinalibus, atque Praelatis Eccleſiaſticis, & natum fuiſſe anno* 1482. *& Romae anno* 1544. *menſe Februarii aetatis ſuae annorum* 63.

Corradus Geſnerus *in ejus Bibliotheca* meminit ejuſdem Joannis Baptiſtae Aquilani, omiſſo tamen cognomine, atq. ait *eum edidiſſe Elegias contra novam linguam etruſcam, & illos, qui transferunt libros latinos in linguam vernaculam, atque ejuſdem extare Orationes aliquot coram Paulo* III. *& Cardinalibus habitas, atque obiiſſe Romae* 1544.

JO. Baptista Hodierna Neapolitanus J. C. edidit *Additiones, & annotationes ad Mantuani Senatus Deciſiones Joannis Petri Sendi, quibus novae, graviſſimaeq. ſupremorum tribunalium inclitae urbis Neapolis Deciſiones ſubnectuntur*, impreſſ. *Neap.* 1632. *apud Lazarum Scorigium. in fol.* Domino-

Sci

Scipioni Rovito Regio a latere Conſiliario, & regiam Cancellariam Regenti dicatas.

Item ſcripſit *Practicarum quaeſtionum ad famigeratum textum* l. hac edictali C. de ſecundis nuptiis, *Semicenturiam*, impreſſam *Neap. 1636. apud Lazarum Scorigium. in fol.* Domino Capicio Latro Regio Conſiliario dicatam.

JO. Bapt. de Lectis Ortonenſis, ex ea nempe civitate, quae vulgo *Ortone a l mare* appellatur, Canonicus Cathedralis Eccleſiae Ortonenſis, ſcripſit libellum *De vita, miraculis, ac translatione Reliquiarum S. Thomae Apoſtoli, ex Edeſſa urbe in Ortonam facta*, qui excuſus eſt . . . . . .

JO. Bapt. Manſus Neapolitanus, Marchio Villae Biſacciae, & Plancae Dominus, vir omnigena eruditione excultus, multa ſcripſit Italice, nempe *Paradoſſi, o vero dell' Amore. Dialoghi* IV. Excellentiſſimo Domino Gregorio Boncompagno Vignolae Marchioni dicati, qui *Mediolani* excuſi ſunt *anno. 1606. apud Pandolphum, & Marcum Tullium Malateſtas. in 4.*

Vita di S. Patrizia Vergine nepote di Coſtantino Magno Imperatore cujus Sacrum Corpus in Monialium Eccleſia ejus nominis dicata Neapoli ſervatur, quae prodiit *Neapoli. ex typogr. Io. Iac. Carlini. 1616. in 4.*

Erocallia, o vero dell' amore, e della bellezza Dialoghi XII. *cioè* IV. *dell' amore*· IV. *della bellezza*. IV. *de Paradoſſi, con gli argomenti a ciaſcun Dialogo del Cavalier Marino*; e nel fine *un trattato del Dialogo dell' iſteſſo autore, con tre tavole, l' una de' Capitoli marginali, l' altra delle materie morali, naturali, e Metafiſiche. Trattato* II. *la dottrina peripatetica, Platonica, e Theologica. l' ultimo de diverſi Autori, e luoghi di Scrittori eſpoſti*. Impreſſa eſt *Venetiis. apud Evangeliſtam Deuchinum. anno. 1628. in* . . . . Philippo IIII. Hiſpaniarum Regi, ac utriuſque Siciliae Regi dicata.

Proſe di Torquato Taſſo, con gli argomenti del detto Marcheſe *riordinate ſecondo la mente dell' Autore, ammendate co' ſuoi originali, dichiarate con argomenti, diviſe in dieci Deche, diſtinte ciaſcuna nelle ſue parti con note marginali*. Le Deche ſono 1. *Politica*. 2. *Economia*. 3. *Etica Giuſtitia*. 4. *Fortezza*. 5. *Temperanza*. 6. *Prudenza*. 7. *Logica*. 8. *Retorica*. 9. *Poetica*. 10. *Conteſa Poetica*. *Ne gli argomenti ſi da notizia dell' introduzione al Dialogo, e delle perſone introdotte a ragionare, e nelle poſtille ſi diſpongono le materie, e l' ordine delle coſe trattate*. Liber hic ex tribus voluminibus conſtat, quorum primum actu imprimitur ad praeſens *Neapoli*.

Poeſie nomiche diviſe in Rime amoroſe, ſacre, e morali, quae prodierunt *Venetiis. 1635. ex offic. Franc. Rate. in 12.* Domino Petro Michaeli, qui fuit Domini Antonii.

Vita di Torquato Taſſo. excuſa *Venetiis: anno. 1519.* & alibi pluries recuſa, & tandem *Romae. anno. 1634. apud Franc. Caballum. in 12.* Eminentiſſimo Cardinali Antonio Barberino dicata.

Libri autem, quos Marchio hic perfecit, ac praelo parati ſunt, & propediem edituros ſperamus, ſunt, *Enciclopedia, nella quale ſi tratta di tutte le ſcienze, e di tutte le diſcipline, Logica, Retorica, Poetica, Fiſica, Metafiſica, Etica, Economia, Politica, con molta brevità, ed altrettanta chiarezza*.

Glorie di S. Ignazio Lojola raccolte dalle ſue operazioni, e da quelle di S. Franceſco Zaverio, B. Franceſco Borgia, S. Filippo Neri, S. Carlo Boromeo, S. Tereſa, B. Madalena de Pazzi.

JO. Baptista Marinus Neapolitanus Eques Sanctorum Mauritii & Lazari, Poëta Etruſcus elegantiſſimus, ac noſtra aetate in univerſa Italia, ac Europa celeberrimus. Multa ſcripſit Italice tum carmine, tum

tum ſoluta oratione, quae ſeparatim variis in locis, ac temporibus excuſa ſunt; demum ab eo recognita, & aucta his voluminibus diſtincte recuſa.

Edidit *Rithmos*, quos *Lyram* inſcripſit, & in III. partes diviſit, quarum I. continet, *Rime amoroſe, maritime, Boſcarecce, heroiche, lucubri, morali, ſacre, & varie*; atque Domino Melchiori Creſcentio Camerae Apoſtolicae Clerico inſcripſit. II. vero pars continet *Madricali*, e *Canzone* Domino Joanni Thomae dicata. III. autem pars *Amori, ſali, lagrime, devotioni, & capricci*, Illuſtriſſimo Domino Cardinali Auriae Archiepiſcopo Panormitano dicata. quae omnia unico volumine comprehenſa, excuſa ſunt *Mediolani*. *anno*. 1618. *apud Jo. Baptiſtam Bidellum*. *in* 12.

Delle Dicerie ſacre volumen I. ſoluta oratione edidit, & in III. *dicerias* diſtinxit, quarum I. quae inſcribitur *Pittura ſuper ſacra Syndone*, Sereniſſimo D. Carolo Emanueli Sabaudiae Duci dicata eſt. II. vero *Muſica* inſcripta, *ſuper ſeptem verbis a Chriſto in Cruce dictis*, Sereniſſimo Principi Mauritio Cardinali de Sabaudia dicata. III. autem, quae *Caelum* inſcribitur, *ſuper religione Sanctorum Mauritii, & Lazari*, Sereniſſimo Pedemontis Principi dicata eſt. Excuſae autem ſunt *Mediolani*. 1618. *apud* eumdem *Jo: Baptiſtam Bidellum in* 12. Domino Paulo v. Pontiſ. Max. dicatae.

Galleria, diſtinta in Pitture, e Scolture, carmine, quam Illuſtriſſimo Domino Joanni Carolo de Auria dicavit, impreſſa *Neapoli*. 1620. *apud Scipionem Boninum*. *in* 12. & *Mediolani apud* eumdem *Jo. Baptiſtam Bidellum*. *in* 12. 1620.

Le Scolture, parte II. della Galleria ad Aloyſium Centurionem Marchionem Morſarſci, *Mediolani*. *apud* eumdem *Bidellum*, eodem anno 1620.

Epitalamj Carmine, excuſ. *Mediolani*. *apud eumdem*. *anno*.... *in* 12.

Adone Carmine, qui pluribus in locis excuſus eſt.

Sferza invettiva a quattro miniſtri dell' iniquità, con due lettere faceze del medeſimo; aggiontovi un Diſcorſo in difeſa dell' Adone di Monsù Cappellano ſoluta oratione, excuſa *Vincentiae*. 1618. *apud Robertum Meiettum*. *in* 12. & recuſa *Mediolani*. *apud* eumdem *Bidellum*. 1625. *in* 12. Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Thadeo Barberino nepoti Sanctiſſimi Domini Urbani VIII. Pontiſ. Max. dicata. Et quoad eam Adonis defenſionem pertinet, *Diſcurſus* Domini *Cappellani* ad Dominum Faverellum a Conſiliis Francorum Regis in ſua Curia ſubſidiorum, in quo ſuam ſententiam profert ſuper Adone poëmate equitis Marini, ex Gallica in Italicam linguam translatus per Philippum Antonium Faurellum Romanum, editus eſt ſimul cum eo libro qui inſcribitur *la Sferza*; *Mediolani*, ut diximus, excuſus 1625. *apud Io. Baptiſtam Bidellum*. *in* 12.

Il Ritratto del Sereniſſimo D. Carlo Emanuele Duca di Savoja, Panegirico al Figino excuſ. *Mediolani*. 1614. *apud eumdem Bidellum*. *in* 12. Sereniſſimo principi Pedemontis dicat. & recuſ. *Neap*. 1620. *apud Scipionem Boninum*. *in* 12.

Rime boſcharecce, ſoſpiri di Ergaſto, Tirſi, Aminta, Dafne, Siringa, Pan, j Elcippo, excuſ. *Neapoli*. 1620. *apud Scipionem Boninum*. *in* 12.

La Sampogna, carmine, *diviſa in Idilj, e Paſtorali*, Sereniſſimo Principi Thomae de Sabaudia dicata; cui, in poſtrema illius editione, addita eſt ſecunda pars, *diviſa in rime boſcarecce*, excuſ. *Venetiis*. 1643. abſque nomine impreſſoris. *in* 12.

Strage degl' Innocenti poëma, quod poſt ejus mortem excuſum eſt *Neapoli*. *anno*. 1632. *apud Octavium Beltranum*. *in* 8. Don Franciſci Clari Canonici Neapolitani, ejus Nepotis, cura; qui illud dicavit Illuſtriſs. & Excellentiſs. Domino Antonio Alvarez de Toleto Alvae Duci in Regno Neapolitano Proregi.

Scripſit & alia opera, quae non ſunt adhuc edita, nempe *Geruſalemme diſtrutta*

ta, Poëma, *Nove dicerie*. *Volume di lettere familiari*.

Cumque is multas Italiae, & Europae Civitates peragraſſet, ac compluribus annis eſſet in eis commoratus, a principibus, ac doctis viris, & publicis Academiis ſummo loco eſt habitus. Romae enim diu conſedit ſummo honore exultus, ac Princeps *Academiae Humoriſtarum* fuit conſtitutus; Pariſiis quoque, ubi a Galliarum Rege non modico annuo reddita, vita ejus durante, eſt cohoneſtatus: a Sabaudiae Duce equeſtri militia SS. Mauritii, & Lazari fuit decoratus; & ab aliis liberis principibus cariſſime fuit exceptus, & habitus: ac Reges, & ſummos Principes Moecenates habuit. Moecenates autem hi fuere: Clemens Papa VIII. Philippus III. Hiſpaniarum Rex, naturalis ejus Dominus. Ludovicus XIII. Galliarum Rex Chriſtianiſſimus, cum Regina Maria de Medicis, ejus Matre. Carolus Emanuel Sabaudiae Dux, cum Sereniſſimis ejus filiis, & praeſertim Mauritius Cardinalis de Sabaudia, Excellentiſſimi D. Antonius Alvarez de Toleto Albae Dux, item Comes de Lemos, Proreges Neapolitani hujus Regni. Comes Villaemedianae. Cardinalis Petrus Aldobrandinus. Cardinalis de Auria Panormi Archiepiſcopus. Melchior Creſcentinus Romanus Clericus Camerae Apoſtolicae, & ejus frater, & alii innumeri.

Ejus quoque compoſitiones ſemper admirati ſunt viri quidem eminentiſſimi, ac celeberrimi, per univerſam Italiam conſtituti; qui viva voce in eorum operibus illum celebrarunt. Hi fuere Comes Ridolfus Campegius; Dominus Joannes Boterus; Pater Julius Mazzarinus Societatis Jeſu; Comes Ludovicus de Angliae; Comes Ludovicus Theſaurus; Claudius Accilinus; Hieronymus Preti, & alii. Qui vero in variis virtuoſorum virorum congreſſibus eum celebrarunt, & litteris eorum propriis manibus ad Jo. Baptiſtam ſcriptis fecere Cardinalis Perona; Cardinalis Antonius Gaetanus; Abbas D. Angelus Grillus; Miles Guarinus; Comes Pomponius Torellus; Guidus Baldus Bonarellus; Aſcanius Pignatellus; Jo. Baptiſta Attendolus; Camillus Pellegrinus; Caelius Magnus; Orſatus Juſtinianus; Julius Caeſar Bagnolus; Berardinus Baldus; Philippus Albertus; Scipio Cella; omnes noſtrae aetatis ſplendores inter mortuos. Fueruntque Cardinalis Ubaldinus; Cardinalis Bentivolius; Cardinalis Gremona; Cardinalis Aloyſius Cajetanus; Dominus Quaerengus; Dominus Porſirius Felicianus; Dominus Scipio Paſcalis; Gabriel Chiabrera; Raphael Rabbia; D. Laurentius Scotus; D. Gregorius Angulus Conſiliarius Suae Majeſtatis Neapoli; Guido Caſonus; Jo. Baptiſta Strozius; Octavius Rinuncinus; Petrus Franciſcus Paulus, & Eques Andreas Barbazza, omnes immortalitatis ſimulacrum inter vivos.

Tandem in patriam reverſus non diu ſupervixit, obiit autem die 26. Martii 1625. & in templo SS. Apoſtolorum apud Clericos regulares Theatinos fuit ſepultus, a Principibus viris, ac proceribus aſſociatus, ac ad ſepulcrum deductus, nulla hucuſq. appoſita inſcriptione, in cujus loco has placuit inſcriptiones referre, quae in funeralibus ejus feretro appoſitae ſunt, hunc in modum.

Joanni Baptiſtae Marino Equiti S.S. Mauritii & Lazari ſui aevi Poëtarum Principi, cui primatum conſenſus orbis, dignitatem Dux Allobrox, magnas opes Rex Francus contulere; poſt quadriluſtrem illuſtrem peregrinationem, ne patriam ſuam nobiliſſimam nobilibus fraudaret oſſibus, eſt reverſus: procerum humeris, amicorumque lacrimis decoratus, ac delatus ad monumentum. Obiit die XXVI. *Mart. an. S.* M. D. C. XXV. *aetatis* LVI.

Aliae editae a Doctore Franciſco de Petris Neapolitano.

Jo. Baptiſtae Marino Neapolitano Equiti S.S. Mauritii & Lazari Poëtarum Principi

cipi. *Laurea ab univerſiorum conſenſu, dignitate ab Allobrogum Duce, fortunis ab Rege Francorum redimito, inſignito, impertito, poſt quadriluſtrem illuſtrem Europae luſtrationem. oſſibus cum fuenore ad patriam relatis, quaſi ad tumulum reverſo.*

Jo. Bap. Manſo Villenſ. Marchio ex Teſtamento Haeres lubens lugens P.

Hoſpes ter moerenti vati, ter maerenti voto palmas, roſas, lacrymas efferto, offerto, preferto. Vix. annos VI. *ob.* CIↃ. IↃC. XXV. VII. *Kal. Aprilis.*

Horatius Feltrius Neapolitanus vir doctus ejus familiaris amicus feretro hanc inſcriptionem appoſuit, quae in ipſius Jo. Baptiſtae libro *Della Strage degl' Innocenti* deſcripta eſt.

Jo. Baptiſtae Marino Aequiti SS. Lazari & Mauritii ſui aevi Poëtarum Principi, cui primatum conſenſus orbis, dignitatem Dux Allobrox, opes Rex Francus contulere; poſt quadriluſtrem illuſtrem peregrinationem, quaſi ad tumulum reverſo, oſſibus cum foenere patriae reſtitutis. Obiit Neapoli anno M. D. C. XXV. XXVI. *Martii. Aetatis ſuae* LVI. *procerum humeris ac lacrimis cohoneſtatus ac delatus ad monumentum*

Io. Baptiſtae Marino Parthenopeo Maroni.

Academici Humoriſtae urbis Romae Jo. Baptiſtae Marino, eorum Academiae quondam Principi, hoc elogium in ejus funeribus, quae Romae celebrarunt, appoſuerunt.

Equiti Jo: Baptiſtae Marino Poëtae ſui ſaeculi maximo, cujus muſa e Parthenopeis cineribus enata, inter lilia efflorefcens, Reges habuit Maecenates; cujus ingenium faecunditate feliciſſimum terrarum orbem habuit admiratorem.

Academici Humoriſtae Principi quondam ſuo P. *P.*

Alia item inſcriptio, quae ejus feretro fuit appoſita a Donato Facciuta, ac habetur in ejus libro *della Strage degl' Innocenti*, in fine.

Io. Baptiſtae Equiti Marino, alteri Apollini, Poëtarum Principi, Principibus caro, Ducibus percaro, Regibus cariſſimo, liberalibus diſciplinis, ſupra veteres, erudito, atque in aeternitatis capitolio triumphanti (ipſa invidia plaudente) laurea redimito, Parthenopeo Maroni, cui canenti gratia, eruditio, elegantia, venuſtas, lepos, ſales, veneres, ancillantur: Palladis corculo, Poëtarum oculo. Parnaſſidum orationis concentu ſponte plaudunt Muſae, pſallunt Charites, luxuriantur Amores; Probat hoc univerſi orbis conſenſus, approbat tot operum admiranda perfectio, comprobat efflorefcentium martyrum poema atticis gemmis ornatum, quod pietate vel impiorum corda afficit, efficit ut legentes lugentes afficiantur.

Amico benemerenti, vati benemerito Donatus Faciuta ſcripſit aſcripſit.

Io: Baptiſtae Marino S. Mauritii & Lazari equiti baltheato vati vatum maxumo, Laureo ſerto pro caeteris jure redimendo, Uraniae, Melpomenis, Cliuſque, ac caeterarum alumno muſarum; Quadriluſtro Europa tota fere peragrata, Allobrogi Duci pergrato, ac Gallorum Regi perfamiliari, ingentibus opibus aucto, honoribus perfuncto multiplicibus: Patrium ſolum reviſenti, ibiq. extremum diem claudenti, ne tanti vatis memoria ex humanis cordibus exciderct, Thomas Rogerius lugens elogium addidit pheretro ann. CIↃ. IↃ. C. XXV.

Vitam Jo: Baptiſtae Marini in lucem prodidit Jo. Baptiſta Bajacca Comenſis, *Mediolani, apud Io. Baptiſtam Bidellum. anno . . . . . in* 12. quam Franciſcus Clarus Canonicus Neapolitanus Marini Nepos eidem Baiaccae dederat, nondum perfectam, ſed vix adumbratam; ac poſtea idem Clarus exacte, dilucide, ac perfecte integram, & omnibus numeris abſolutam *Neapoli* in lucem emiſit.

In honorario marmoreo tumulo ipſius Jo. Baptiſtae appoſito in aedicula ſub vocabulo S. Angeli ad Forum, quae conjuncta eſt palatio Jo. Baptiſtae Manſi Villenſis Marchionis, habetur ipſius Joannis Baptiſtae

ſiae Statua ex aere conflata, & inſcriptio pariter marmorea, quae ab omnibus ſuperius relatis inſcriptionibus deſumpta eſt, paucis tamen mutatis, vel additis hunc in modum,

IO. BAPTISTAE MARINO PARTHOLOPEO MARONI EQVESTRI ORDINE AB ALLOBROGVM DVCE SENATORIO CENSV AB REGE FRANCORVM LAVREA AB OMNIVM ORBIS TERRARVM PLAVSV INSIGNITO IMPERTITO REDIMITO POST ILLVSREM QVINQVELVSREM EVROPAE LVSTRATIONEM NATALES AD LARES QVASI AD TVMVLVM REVERSO OSSIBVS TANTO CVM FVNERE PATRIAE RESTITVTIS NATO CIↃ. IↃ. LXVIII. DENATO CIↃ. IↃ. C. XXV. IOANNES BAPTISTA MANSVS VILLENS. MARCHIO EX TESTAMENTO HAERES MERENTI VATI MAERENTI VOTO.

QVISQVIS ADES REDDE MARINO DEBITVM MARI TRIBVTVM FLVMEN LACHRYMARVM.

JO. BAPTISTA DE PINO Neapolitanus artium, & medicinae doctor edidit Italico carmine, octavo rithmo, *Triumphum Caroli v. Caeſaris, cum Neapolim ex Aphrica victor rediiſſet, ad equites, & mulieres Neapolitanas*, excuſ. *Neapoli. anno. 1536. per Io. Sulsbachium. in 4.*

Edidit quoque librum, cui titulus eſt: *Ragionamento ſovra dell' Aſino di Gio: Batiſta de Pino, ſtampato nel Paradiſo degl' Aſini, l'anno della primavera aſineſca, nel roverſcio del meſe aſiniſſimo in 4.* abſque nomine impreſſoris, & loci impreſſionis. Qui quidem liber maledicta, & convicia continet in ejus temporis Principem, & Magiſtratus, qui Neapolitanum Regnum regebant, ironice tamen, & ſub verborum velamine conſcriptus.

Scripſit & alios libros, quos nondum in lucem editos ſcimus, quos is in principio ejus operis, quod *Carnevale* materna lingua conſcripſit ad D. Petrum de Toleto Proregem, commemorat; ſic enim ait:

Cantai dell' immortal Carlo li honori
L' Africa, il Diſperato, e la Formica.
Dell' alma veritate i gran dolori,
Et quanta falſità li dea fatica.
Colorai l' Aſinello di colori,
Che tal non l' hebbe dall' etate antica;
Et hor mia muſa è pur ſenz' oglio, e ſale;
Penſi, ch' io canto il padre Carnevale.

Is autem Jo. Baptiſta de Pino in gravioribus Neapolitanae Civitatis neceſſitatibus, cum populus arma in defenſionem ſuorum privilegiorum (ne Inquiſitionis Tribunal in Regno hoc erigereur) ſumpſiſſet; ad Carolum v. Caeſarem, pro populo, Orator nobilium legatus miſſus eſt. Quod illi invidiam peperit, ac perſecutionem, & odium Petri e Toleto, eo tempore Regni Proregis; ſub colore, quod populi Neapolitani concitator, ac ſeductor fuerit; ſed tantem liber evaſit, re bene perſpecta.

JO. BAPTISTA PORTA Neapolitanus Graeca, ac latina lingua eruditus, philoſophiae, magiae naturalis, rerumq. naturalium, ac mathematicarum omnium ſcientiarum peritiſſimus; aſtrologiae, & praeſertim judicariae, caeterarumq. ſcientiarum, quae *divinatrices* appellantur profundiſſimus, ac indefeſſus inveſtigator fuit. Sed mechanicis rebus, & novorum operum inventionibus perquirendis, atque obſarvandis, ac oculis naturae ſecretis detegendis, diligentiſſimus perſcrutator evaſit; infinitorum fere librorum accurata lectione admirabilis. Ejus domum (veluti Sibillae antrum) doctiſſimi quique, & principes viri turmatim confluebant, & ad nova, & occulta perdiſcenda; & veluti numen quoddam veneratum, non ex Italia dumtaxat, ſed ex Germania, Gallia, Belgio, Polonia, Hiſpaniis, aliiſq. remotiſſimis regionibus Neapolim ſummis laboribus, atque impenſis properabant, ejus doctrinae fama allecti, quam ipſius opera paſſim iis in locis evulgata augebant: ita ut ipſi ſuis ex regionibus in Nea-

Digitized by Google

politanum Regnum venientes, nihil ſibi praeſcriberent, curiuſq. exoptarent, niſi Puteolanas thermas inviſere, & Joannem Baptiſtam Portam videre, & colloqui. Quorum omnium exemplo excitus ego, profundae curioſitatis ſpiritu arreptus, diutius eum ſecutus ſum, & auditor fui, cum adhuc juvenis eſſem, ac vix legale ſtudium egreſſus, illudq. perfeciſſem.

Fuit a multis principibus variarum mundi partium, uti vir ſapiens habitus; atque ita eum exiſtimavit Cardinalis Eſtenſis, qui cum multis eum xeniis, & favoribus proſequutus eſſet, voluit, ut is in ſua domo per aliquod tempus commoraretur.

Magnus quoque Etruriae Dux ejus Medicum ad eum miſit, qui Punta vocabatur, ac torquem aureum, ut aliquot ſecreta cum eo ſimul conferret.

Vincentius Gonzaga Mantuae Dux, cum Neapoli per aliquod tempus ageret, ſaepius ad inviſendum Joannem Baptiſtam, ejuſdem domum adivit, & cum eo colloqui oblectabatur.

Rodulphus quoque Imperator ejus viri fama excitus, e Germania plures ejus litteras ad Joannem Baptiſtam ultro direxit, & has, inter alias ad eum deſtinatas, Sacellanum ſuum, ejuſq. Imperatoris effigiem, ac torquem aureum: Litterae autem ſic ſe habent:

Honorabili, docto, ſincere nobis dilecto Joanni Baptiſtae Portae.

RODVLPHVS II. *divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Honorabilis, docte, ſincere dilecti. Cum ſubtili rerum naturalium, atque artificialium, qua polles ſcientia (quando per arduas Reipublicae curas licet) delectemur, Sacellanum noſtrum Chriſtianum Harmium ad Te mittimus, qui deſiderium tibi noſtrum aperiat, atque ei, ut fidem adhibeas, quaeque nobis grata fore exiſtimabis fidenter aperias, atque explices benigne cupimus. Et, ſi quem forte in familiaribus tuis, qui artis uſum apud te aquiſierit habeas, eum velimus nobis ad tempus mittas, cujus uti, & prompti ſtudii tui, qua deceat, rationem habituri ſumus, inclinatae voluntatis in te affectum gerentes. Datum in arce noſtra Regia Pragae die 20. Junii anno Domini 1604. Regnorum noſtrorum Romani 29. Hungarici 32. & Boemici iuidem 29.*

RVDOLFVS.

Joannes Rarviſius.

Poëſi quoque, & praeſertim Comicae ſuapte natura ita propenſus erat, ut Comaedias, tum carmine, tum ſoluta oratione, facillime, & extemplo conſcriberet; prout ipſe earum multas confecit, quae in nobilium, & procerum conſeſſu recitatae fuerunt.

Scripſit autem Porta hic multos libros, e quibus hi in lucem editi ſunt:

Magiae naturalis, ſive de Miraculis rerum naturalium libri IV. qui excuſi ſunt *Neapoli. anno. 1558. apud Matthiam Cancrum. in fol.* Philippo II. Hiſpaniarum, & Neapolitanorum Regi dicata, & recuſi *anno. 1564. Antuerpiae* item *apud Chriſtoſophorum Plantinum. anno. 1576.* & *1585.* Et e latina lingua in Gallicam converſi, excuſi ſunt *Lugduni. 1571. apud Carolum Pernot.* Prodierunt quoque in Italicam linguam tranſlati hoc titulo adiecto. *Miracoli della natura del Porta,* Item *Secreti del Porta.*

Ejuſdem *Magia* haec *naturalis*, ab Auctore lucupletata, & aucta, atque ad libros uſque XX. producta, prodiit *Neapoli. ex offic. Horatii Salviani. anno. . . . . in fol.* deinde *Francofurti. 1591. apud Andreae Wechelii haeredes, Claudium Marinum, & Jo. Aubrium. in 8.* quos Auctor is Illuſtriſſimo Junio Bobali, Andreae filio, Raguſaeo nuncupavit.

In ejus libri praefatione auctor perhibet ſe eum librum primo vix infantiam egreſſum conſcripſiſſe, cum decimum quintum ageret annum; & tamen omnium fere nationum plauſu fuiſſe exceptum; & in varias linguas tranſlatum, Italam nempe, Gal-

Gallicam, Hiſpanam, & Arabicam; & saepiſſime iis in locis typis editum, ſeque per univerſi fere mundi ambitum evagatum. Nunc vero, poſt annos ſexaginta, cum gravioris eſſet aetatis, nempe annorum 74. additum, & perfectum prodire in lucem, & quaeque ejus itineribus, & peregrinationibus, Italica, Gallica, & Hiſpana, & bibliothecas, domoſque doctiſſimorum virorum, & illuſtrium artificum peragrando, ſi quid curioſitatis, ac novitatis didicit, ac pervolvit ad eum librum pertinens, & longo uſu, ac experientia cognovit verum eſſe, in eo libro addidit, & conſcripſit.

Idem *Magiae naturalis libri* XX. a Joanne de Roſa Neapolitano legum doctore e latino, in Italicum ſermonem tranſlati, excuſi ſunt *Venetiis*. 1611. *apud Livium Spinedam*. *in* 8. Item recuſi hoc titulo adjecto: *De i Miracoli, & maraviglioſi effetti della Natura*. *Napoli*. *anno*. 1611. *apud Jo. Jac. Carlinum*. *in fol.* perilluſtri Lupertio Leonardo de Argenſola Imperatricis a Secretis, & Philippi II. Hiſpaniarum Regis Majoris Chroniſtae in Corona Aragonea, & Regno eodem, & Excellentiſſimi Lemenſium Comitis in Neapolitano Regno Proregis a ſecretis dicati. Excuſi quoque ſunt aliis in locis hoc titulo. *Della Magia naturale*.

Scripſit item *de Humana Phyſiognomia libros* IV. ad Cardinalem Eſtenſem, excuſa *Neapoli*. *apud Horatium Salvianum*. 15... *in fol.* & *Francofurti*. 1591. *apud Io. Wechel*, & *Petrum Fiſchel*. *in* 8. eos quoque tranſtulit in Etruſcum Idioma Joannes de Roſa, & Domino Marcello Cabanilio S. Marci Marchioni dicavit, impreſſos *Neapoli*. 1598. *apud Tarquinium Longum*. *in fol.* Eadem *Humana Phyſiognomia libris* VI. contenta, additis ab auctore duobus aliis priori editioni, prodiit latine *Neapoli*. *ex offic. Tarquinii Longhi*... Pallavicino nuncupata; excuſa eſt etiam *Antuerpiae*. *in* 8. Iidem Phiſiognomiae *libri* VI. in etruſcam linguam tranſlati, cum additionibus, excuſi ſunt *Neapoli*. *anno*. 1610. Petro Ferdinando e Caſtro Lemenſium Comiti in Neapolitano Regno Proregi dicati.

Phyſognomiae Caeleſtis libri VI. latine, *unde quaſi facile ex humani vultus extima inſpectione poterit, ex conjectura, futura praeſagire*. *In quibus etiam Aſtrologia refellitur*, & *inanis*, & *imaginaria demonſtratur*, impreſſi *Neapoli*. 1603. *apud Io. Baptiſtam Subtilem*. *in* 4. dicati ſunt Illuſtriſſimo Domino Joanni Andreae Procbnicio Prothonotario Apoſtolico Praepoſito Cracovienſi, Sereniſſimi Poloniae, & Svetiae Regis in Regno Neapolitano Nuncio, & *Argentorati*. 1606. *impenſis Lazari Zetzerl Bibliopolae*. *in* 8. Qui quoque in etruſcam linguam converſi ſunt, ac impreſſi *Neapoli*. *anno*. . . . *apud Lazarum Scorigium*, Bartholomaeo Leonardo a ſecretis Domini Petri Ferdinandi e Caſtro Lemenſium Comitis, & Regni Proregis dicati.

Porro *Phyſiognomia* ejus *naturalis*, & *Phyſiognomia caeleſtis*, ac cum ejuſdem argumenti *Phyſiognomia naturali Ioannis Ingegnerii Epiſcopi Capitishiſtriae* Italica lingua omnia ſimul recuſa ſunt *Patavii*. 1627. *apud Petrum Paulum Tozzum*. *in* 4.

Phytognomica latine *libris* VIII. diſtincta, in *quibus nova*, *ac facillima affertur Methodus*, *qua plantarum*, *animalium*, *metallorum*, *rerum denique omnium ex prima extima inſpectione abditas quivis vires aſſequatur*. *Accedunt ad haec confirmanda*, *infinita propemodum ſelectiora ſecreta*, *ſummo labore temporis diſpendio*, *ac impenſarum jactura*, *veſtigata*, *explorataq*. impreſſa *Neapoli*. 1583. & 1588. *apud Horatium Salvianum*. *in fol.* Illuſtri Marino Bobali, Andreae filio, dicata; recuſa cum figuris *Francofurti*. 1591. *apud Io. Wechel*, & *Petrum Friſcher*. *in* 8. Promittit in his Phytognomonicis auctor librum peculiarem *De auri facultatibus*, ejuſque *medicina potabili*.

Edidit quoque ſuae *Villae Pomarium* ad Illuſtriſſimum, & ampliſſimum adoleſcentem D. Alphonſum Levam, impreſſum *Neapoli*. *apud Horatium Salvianum*, & *Caeſarem Caeſaris*. 1564. *in* 4. Pollicetur idem

in eo libro in *epiſtola ad lectorem* propediem ſe editurum in lucem reliquos ſuae Villae libros, nempe *Silvam caeduam*, *& glandariam*, *Olivetum*, *Vineam*, *Arbuſtum*, *Hortos*, *Coronarium*, *ac Olitonum*, *Segetem*, *Paſqua*, *Cultum*, & quicquid ad univerſam Agricolationis hiſtoriam pertinere viſum eſt.

Idem auctor dein edidit ejuſdem ſuae *Villae Olivetum*, ſive *librum* VI. ad Illuſtriſſimum D. Fabritium Carrafam Caſtriveteris Marchionem, excuſum *Neapoli*. *apud haeredes Matthiae Cancri*. 1584. *in* 4.

Demum *Villam*, *Pomarium*, *& Olivetum* unico volumine, ac libris duodecim contenta edidit; in quibus majori ex parte cum verus plantarum cultus, certaq. inſitionis ars, & prioribus ſaeculis non viſos producendi fructus via monſtratur, tum ad frugum, vini, ac fructuum multiplicationem experimenta propemodum infinita exhibentur: excuſ. *Francofurti*. 1592. *in* 4. *apud heredes Wecheli*.

De furtivis litterarum Notis, in aliis vero editionibus dicitur *de occultis litterarum notis*, in aliis autem *de Ziferis*, ſeu artis animi ſenſa occulte aliis ſignificandi, aut ab aliis ſignificata eſpiſcandi, enodandiq. Libri IV. ad Joannem Sotum Philippi II. Hiſpaniarum Regis in hoc Regno a Secretis, excuſi, *Neapoli*. 1563. *apud Jo. Mariam Scottum*. *in* 4. deinde ab auctore recogniti, & in *libros* V. aucti, prodiere *Neapoli*. *anno* . . . . *apud Joannem Jacobum Carlinum*. in . . . & recuſi *Montis Beligardi*. *anno*. 1593. *apud Lazarum Zenzet*. *in* 8.

Hemitus Sainnuth *in notis* ad Guidonis Panciroli librum II. *rerum memorabilium*. *tit*. 4. *de Ziferis*, ſeu furtivis litterarum notis, commendat eum Portae librum, aitque *multo diligentius ea omnia conquiſita*, *& pertractata fuiſſe* a *Joanne Baptiſta Porta in libro de furtivis Litterarum notis*.

De Refractione Optices libri IX. latine, impreſſi *Neapoli*. 1595. *apud Horatium Salvianum*. *in* 4. quorum inter reliquos, quintus, praecipue *de oculorum partium anatome*, *& earum muniis* pertractat.

De Elementis Curvilineis, latine *libri* III., in quibus altera Geometriae parte reſtituta agitur *de circuli quadratura* ad Illuſtriſſimum Principem, ac D. Federicum Caeſium Montis Caelii Marchionem, excuſi *Romae*. *apud Bartholomaeum Zannettum*. 1610. *in* 4.

Interpraetatio libri primi Almageſti magnae conſtructionis Claudii Ptolomei, cum *Theoricis Alexandrini Commentariis*, excuſ. *Neapoli*. 1605. *apud Felicem Stiliolam*. *in* 4.

De munitione libri III. latine, impreſſ. *Neap. anno* . . . . . *apud Jo. Jac. Carlinum*. *in* 4.

De diſtillatione libri IX., in quibus de *Methodo*, *multipliciq. artificio penitioribus naturae arcanis detectis*, *cujuslibet mixti in propria elementa reſolutio perfecte docetur*, ad Illuſtriſſimum D. Federicum Caeſium MontisCaelii Marchionem, impreſſi *Romae*. 1608. *in typogr. Camerae Apoſtolicae*. *in* 4.

Pneumaticorum libros III. latine conſcripſit, qui non ſunt adhuc editi, niſi Italice, hoc titulo adjecto, *Spiritali*, *cioè de inalzare acque per forza dell'aria*, qui e latina in Etruſcam linguam verſi ſunt a Joanne Eſcrivano, a quo in lucem editi ſunt eidem Joanni Baptiſtae dicati; prodierunt autem *Neapoli*. *anno*. 1606. *apud Jo. Jac. Carlinum*. *in* 4. in linguam quoque Caſtellanam vertiſſe eos libros idem Joannes ait.

De aëris transſmutationibus, latine, *libri* IV. in quibus diligenter pertractatur *de iis*, *quae vel aere*, *vel in aere oriuntur* . . . . multiplices opiniones, que illuſtrantur, quae refelluntur. Demum *variarum cauſae mutationum aperiuntur*, impreſſi ſunt *Romae*. 1610. *apud Bart. Zannettum*. *in* 4. eidem D. Federico Caeſio Montis Caelii March. dicati.

Ars reminiſcendi, Italice, primum prodiit *Neapoli*. *anno* . . . . *apud Matthiam Cancrum*. *in* 4. demum latine excuſa *Neapoli*. 1602. *apud Joannem Baptiſtam Subtilem*; *in* 4.

Ope-

Opera autem ipſius Joannis Baptiſtae Portae, quae nondum in lucem edita habentur haec ſunt: I. *Catoptrica*. II. *Theologumena*, ſive *de numeris*. III. *Taumatalogia*. IV. *Scientiarum omnium ſynopſis*.

Expectantur autem omnia ejus opera tot voluminibus diſtincta, ſimul recuſa ex Germania, cito proditura; quandoquidem annis praeteritis Germanus omnia Portae opera Neapoli diutius conquiſivit, ut ea recudi curaret, quae mea induſtria, opeq. integra adinvenit, ac in patriam laetabundus detulit.

Conſcripſit quoque nonnullas Comoedias, ac Tragoedias Italice, quarum aliquot editae ſunt, caeteras vero manuſcriptas ejus haeredes aſſervant; editae autem ſunt hae:

1. *La Fanteſca*. 2. *L'Olimpia*. 3. *La Cinthia*, quae excuſa eſt *Venetiis. apud Jac. Ant. Somaſcum*. 1606. *in* 12. 4. *La Turca*. 5. *Il Furioſo*. 6. *L'Aſtrologo*. 7. *I due Fratelli* 8. *La Chiappinaria*. 9. *I ſimili*, 10. *La Sorella*. 11. *Il Moro*. 12. *La Trappolaria*. 13. *La Carbonaria*. 14. *La Tabernaria* 15. *Penelope Tragicomedia*. 16. *S. Giorgio Tragedia*.

Quae autem non adhuc ſunt editae in lucem, ſunt: Comoedie 1. *La notte* 2. *Il Fallito* 3. *La Strega* 4. *L'Alchimiſta*. Tragoediae *S. Dorotheae*, ac *S. Eugeniae*. Scripſit quoque *De arte componendi Comoedias*. Inſuper vertit Plautum in Italicam linguam. Sed quinque Comoediae uniuſmet Fabulae, cum eiſdem perſonis; quarum prima eſt *argumentum* tum ipſiusmet, tum quoque aliarum; Secunda eſt *Protaſis* ipſius, & omnium aliarum, cum *peripatia* pro ſe, & caeteris. quinta eſt *cum cataſtrofe* pro ſe, & omnibus ſimul. Duas quoque alias comicas fabulas ejuſdem fabulae, quarum altera recitatur in villa, altera vero in civitate, & una eſt intermedium alterius, revolvendo ſcenam per ſingulos actus, tum ipſam civitatis, quam eam villae.

At tandem Porta poſt tot exantlatos labores, ac libros conſcriptos, obiit Neapoli die 4. Februarii 1614. annum agens ..... & in aede S. Laurentii apud minores in ejus Sacello ſepultus eſt, in quo haec legitur inſcriptio:

JOANNI BAPTISTAE PORTAE ET CYNTHIAE EIVS FILIAE ALPHONSVS CONSTANTINVS EX NOBILI FAMILIA PVTEOLORVM CYNTHIAE CONIVX VNA CVM PHILESIO EVGENIO ET LEANDRO FILIIS ET HEREDIBVS SEPVLCRVM AVITVM RESTITVENDVM CVRAVERVNT ATQVE OSSA OMNIVM DE PORTA CONDIDERVNT ANNO M. D. C. XIV.

Unum tamen de Porta hoc noſtro non omittam, eum nempe fuiſſe Perſpectivae (quam *opticen* Graeci vocant) tam illuſtrem Magiſtrum, & oculatiſſimum inſpectorem, ut fortaſſe parem plura ſaecula non habuerint; quiq. novum, & admirabile *conſpicilli* genus adinvenit, & in lucem protulit. Tubum nempe oculorum perlongum, qui ex fiſculis cuniculatim altera ex altera prodeuntibus in longum producitur; quo res ex remotiſſimis regionibus, & locis grandiores efficit, & proximiores: ita, ut eas videri, & intueri nobis faciat, ac ſi prope eſſent, noſtriſq. oculis, & aſpectibus ſubjectas. Et quamvis Galilaeus Galilaeus, vir quippe doctus exclamet ſe ejus ſpeculi, & novi adinventi auctorem fuiſſe, quo Galilaeus ipſe Caeleſtes orbes penetravit; attamen Joannem Baptiſtam Portam ejus ſpeculi fuiſſe inventorem, teſtis eſt Joannes Keplerus Caeſaris Mathematicus, vir eruditiſſimus in *diſertatione cum Nuncio Sydero nuper ad mortales immiſſo*, *epiſtola ad Galilaeum*, atque eidem Galilaeo id exprobrat, & Portae adinventum fuiſſe probat, ex ejuſdem Portae operibus *lib*. VII. ejus *Magiae Cap.* 10. *de Chriſtallo Lentis affect.* At certum eſt Portam inventorem, ſed Galilaeum in uſum deduxiſſe, itemq. Portam architettum, Galilaeum artificem.

Ipſius Portae effigies, tum in libris propriis, tum vero in *Iconographia medica Shenekia-*

nckiana extat, ut teſtatur Joannes Georgius Schenckius *in ejus Bibliotheca medica*.

JO. BAPTISTA RINALDUS Neapolitanus edidit latine librum, qui inſcribitur *Academica in dialogos diſtributa, in quibus litteraria Reſpublica Neapolitanae urbis militans adverſus Idonaeum exprimitur in lectiones, & orationes in ejus Academia ab eruditiſſimis Neapolitanae urbis adoleſcentulis recitatas, in celebri praeſtantium virorum conſeſſu, ſub Joannis Andreae de Curtis Sacri Senatus Neapolitani Praeſidis ampliſſimi, auſpiciis*. impreſſ. *Neap*. 1576. *apud Ioſephum Cacchium Aquilanum,* eidem Joanni Andreae dicata.

Edidit quoque *Academicam alteram*, in *qua Lectiones variis de rebus in eadem Academia recitatae continentur ſub auſpiciis Ciccio de Loffredo Trevici Domini, militaris, & litterariae peritiae gloria Clariſſimi*, impreſſ. *Neap. in officina Salviana. apud Io. Iac. Carlinum*. 1579. eidem Ciccio dicatam.

JO. BAPTISTA SEVRO Crotoniata Calaber, U. J. doctor, ſcripſit facilem, & *Compendioſam explicationem in 1. lib. Inſtitutionum Imperialium Iuſtiniani*, quam Illuſtriſſimo Iuveni Domino Alexandro Duci de Oſtrog Zalavio Palatinidi plobachiae, litteratum patrono dicavit, impreſſ. *Romae. anno*. 1603. *apud Dominicum Liliottum. in* 4.

JO. BAPTISTA THEATINUS Ordinis Praedicatorum Theologus edidit latine *Sermonum librum* variis de rebus, pietatem, ac religionem ſpirantium, quem ipſe inſcripſit *Andronicam arborem, ſive in opus Andronicum Conci . . . . hebraicis, caldaiciſque ſententiis referta* ad Illuſtriſſimum D. Ferdinandum de Capua Termulanorum Ducem, ac utriuſque Aprutii Proregem, ſuum Apollinem. Floruit autem anno 1517. at liber excuſus eſt *Anconae. in typographia Bernardini Guerra de Vercellenſis. anno*. 1520. *in* 8.

JO. BAPTISTA DE TORO Neapolitanus Juriſconſultus elucubravit *Compendium omnium fere Deciſionum Regni Neapolitani, tam Regii Collateralis Conſilii, quam Regiae Camerae Summariae, & Magnae Curiae Vicariae, ac omnium ejuſdem Regni audientiarum, & in aliis Regnis obſervatarum*, impreſſum *Neapoli. apud Tarquinium Longum*. 1615. *in fol.* & Excellentiſſimo Domino D. Franciſco de Caſtro Caſtrenſium Comiti, Tauriſanorum Duci, ac Catholicae Majeſtatis Summum Pontificem Oratori, nuncupavit. Quem deinde librum valde auxit, ac locupletavit quampluribus noviſſimis Deciſionibus, tam aliorum Auctorum Regnicolarum, poſt praedictam primam editionem, in lucem proditis operibus; quam ex aliis adhuc non impreſſis, & ab eodem Auctore collectis. Addidit etiam aliud *Novum Compendium Deciſionum omnium Curiae Archiepiſcopalis Neapolitanae*, quod Illuſtriſſimo Domino Decio Cardinali Carrafae, & Archiepiſcopo Neapolitano dicavit. Excuſa ſunt autem omnia ſimul *Neapoli. apud Tarquinium Longum*. 1620. *in fol.*

Edidit quoque *Compendii Deciſionum regalium ſupremorum Tribunalium hujus Regni Partem ſecundam*, quae Excellentiſſimo Domino Antonio Alvarez de Toledo, Albae Duci, & Neapolitani Regni Proregi, ab eo nuncupata, prodiit *Neapoli*. 1628. *apud Egidium Longum. in fol.*

Compendii etiam earum *Deciſionum Partem tertiam*, quae prodiit *Neapoli*. 1637. *ex typographia Iacobi Caffari. in fol.*

Compendii ipſius *Partis tertiae ſectionem ſecundam*, excuſam *ibidem. apud eumdem* 1640. *eadem forma*, Domino Ferdinando Branciae primum Sacri Regii Conſilii S. Clarae Conſiliario, nuper in ſupremo Italiae Senatu, nunc Regiam Cancellariam Neapolis Regenti, Duci Belvederis, Calatra-

Digitized by Google

latravae Ordinis equiti dicatam.

Item *Sectionem tertiam* partis tertiae praedicti *Compendii*, quae prodiit *ex officina ejuſdem*. 1642. *eadem forma* Domino Hectori Capicio Latro Regiam Cancellariam Regenti dicatam.

Scripſit inſuper uberes, & bonas *Additiones, ſeu annotationes ad Tractatum Joannis Franciſci de Ponte de poteſtate Proregis, Collateralis Conſilii. & Regni regimine*, quae excuſae ſunt *Neapoli*. *anno*. 1621. *apud haeredes Tarquinii Longi*. *in fol.*

Additiones etiam *ad Andreae Tiraquelli tractatum de privilegiis piae. cauſae*, quae ſimul cum ipſius Tiraquelli libro, ac ejuſdem Thori *ſumma privilegiorum piarum cauſarum deciſionibus plurimorum Tribunalium locupletata, & ſingularibus quibuſdam eidem materiae conferentibus ſuperaddita, ac tum additionibus Joannis Aloyſii Riccii Neapolitani, Vici Aequenſis Epiſcopi, & cum tractatu Ioannis Mariae Novarii de Incertis, ac male ablatis*, excuſae ſunt *Neapoli*. 1630. *apud Io. Domin. Maccaranum*. *in fol.*

Additiones quoque *ad Deciſiones ſupremorum Tribunalium hujus Regni Neapolis Thomae Anelli Salernitani*, quae ſimul cum eiſdem Deciſionibus impreſſae ſunt *Neapoli*. *anno*. 1631. *apud Egidium Longum*. *in fol.*

Vota deciſiva civilia, *criminalia*, & *miſta*, *uſui practico ſatis accommodata, Deciſionibus propriis nedum, ſed aliorum Tribunalium*, & *praeſertim Supremorum Regni Neapolitani locupletata; aucta; & ornata*, impreſſa *Neapoli*. *anno*. 1636. *apud Dom. Macraranum*. *in fol.*

Alia quoque conſcripſit, quae editionem expectant, ac propediem prodibunt, ut credimus; nempe: *Supplementum ad omnia praefata Compendia Deciſionum* duobus voluminibus diſtinctum. *Additiones ad omnia legalia opera Ioannis Vincentii de Anna*, & *Fabii de Anna ejus filii*, *ad Ioannis Grandi tractatum de Bello exulum*, *Proſperi Caravitae ſuper Ritibus Magnae Curiae*; item *ad Conſuetudines Neapolitanas*. Poſtremo vero *Votorum deciſivorum* partem alteram confecit.

JO. Baptista Trotta patria Populenſis in Regno Neapolitano Societatis Jeſu, primum Mateſeos, nunc Theologiae Scholaſticae in Collegio Neapolitano profeſſor, edidit *Praxim Orologiorum, per quam varia Orologiorum genera per novas tabulas deſcribuntur*. *Neapoli*. *apud Aegidium Longum*. 1613. *in* 4.

JO. Baptista de Tufo Neapolitanus Ord. Clericorum regularium Epiſcopus Acerranus, edidit Italice *Hiſtoriam Religionis Clericorum Regularium, qui Teatini vocantur, in qua de ejus fundatione, ac progreſſu uſque ad annum* 1609. *agitur*, excuſ. *Romae*. *apud Gulielmum Facciottum*, & *Stefanum Paulinum*. 1609. *in fol.* & Patribus ejuſdem Religionis tranſmiſit, ac dicavit.

Edidit quoque *Supplementum ad* eamdem *Hiſtoriam*, excuſum *Romae*. *apud Io. Maſcardum*. *in fol.* ad eoſdem Patres.

JO. Baptista Ursus Ebolitanus Societatis Jeſu, Theologus Romani eloquii puritate inſignis, ac latine dicendi peritus, ut pote latina Ciceronis eloquentia praeſtantiſſimus, cujus poſthumus liber prodiit, cui titulus eſt: *Inſcriptiones*. *Neapoli* excuſus *anno*. 1643. *apud Robertum Mollum*. *in fol.*

JOannes Barensis Archidiaconus ſcripſit ad Urſionem Barenſem Archiepiſcopum *Hiſtoriam translationis corporis S. Nicolai Myrenſis Epiſcopi e Myra Lyciae civitate Barium in Apulia, quae celebrata fuit anno* 1087. Ejus Hiſtoriae meminit Vincentius Burgundus *in Speculo hiſtor. lib.* xxv. cap. 83. item Baronius *in annotationibus*

nilui ad Martyrolog. Rom. die nona Maii. Eam quoque Hiſtoriam recitat Surius tomo VII. *Vitae Sanctorum, die 9. Maij.*

Scripſit quoque elegiaco Carmine *vitam S. Sabini Canuſini Epiſcopi, ac Barenſis urbis patroni.* Item ſoluta oratione *Hiſtoriam inventionis corporis* ejuſdem *S. Sabini Epiſcopi.*

Parvam quoque *Hiſtoriam, ſive relationem translationis bracchii S. Thomae Apoſtoli*, ac *bracchii S. Vincentii Martyris*, quae in eam S. Nicolai Eccleſiam translata ſunt. Aſſervantur autem haec omnia Joannis opera cum manuſcriptis Eccleſiae S. Nicolai de Bario, praeter *Hiſtoriam inventionis S. Sabini*, quae in vetuſto Legendario Majoris Barenſis Eccleſiae habetur. Floruit autem is ſub Gregorio VII. Rom. Pontif. anno 1087.

JO. BERNARDINVS FVSCANVS Neapolitanus edidit Italicis rithmis libellum *De Pulcritudine, ac laudibus urbis Neapolis* ad Antonium Cicinellum equitem Neapolitanum excuſum *Romae. apud Antonium Bladum Aſulanum. in 4. anno. 1531.* quo tempore auctor vivebat. Liber autem ſic inſcribitur, *Stanze di Gio: Bernardino Fuſcano ſopra la bellezza di Napoli.*

JO. BERNARDINVS LANVTVS Teatinus Legum doctor ſcripſit librum *De Magiſtratu* ad Camillum de Curte regii patrimonii patronum, impreſſum *Theate. anno. 1596. apud Iſidorum Facium, & Socios. in 8.*

JO. BERNARDINVS LONGVS Neapolitanus Simonis Portii diſcipulus, Philoſophus, ac Medicus praeclariſſimus, & Theologiae doctor; qui Logicam, & Philoſophiam in Neapolitana Cathedra ſupra annos quadraginta eſt profeſſus, ac Comes palatinus exinde declaratus; deinde Regni Archiater fuit: Scripſit dilucidam *Expoſitionem in prologum Averrois in poſteriorem Ariſtotelis*, quam annos natus 23. edidit *Neapoli. anno. 1551. apud Mathiam Cancrum. in fol.* Marino Spinello dicatam. Pollicetur in fine ejus libri ſe *Expoſitionem* in libris Poſteriorum Ariſtotelis, & in ſingula Commenta Averrois primo quoq. die in lucem afferre. Deinde ea *Expoſitio in prologum Averrois* recuſa eſt *Neapoli. anno. 1570. apud Raymundum Amatum. in fol.* Marci Antonii Ruffii Laupienſis cura, qui eam Joanni Paulo Vernalioni dicavit.

Edidit quoque librum *de Cometis*, qui excuſus eſt *Neapoli* . . . . . Elucubravit quoq. *Commentarios in univerſam Ariſtotelis Philoſophiam*, qui editi adhuc non ſunt, & ab ejus haeredibus aſſervantur.

Obiit autem Neap. anno 1599. die . . . Aprilis, & in S. Mariae de Nova Ord. min. obſerv. ſacra aede ſepultus eſt.

JO. BERNARDINVS MVSCATELLVS Lucerinus Apulus, Juriſconſultus egregius, ſcripſit varios tractatus juris, tam in Civilibus, quam Criminalibus; ac Practicas; in quibus quicquid ad uſum, ſtilumq. frequentiſſimum in forenſibus cauſis ſpectat, pleniſſime habetur: utiles quippe, ac neceſſarios. Qui cum variis in locis, ac temporibus, & ſeparatim fuiſſent excuſi, tandem poſtrema editione ab eodem auctore recognita, & aucta, omnia ſimul edita ſunt *Venetiis. anno. 1606. in fol. expenſis Andreae Pellegrini bibliopolae Neapolitani.* Opera autem ſunt:

Praxis civilis Sacri Regii Conſilii, & Magnae Curiae Vicariae primae inſtantiae lib. 1. 2. Praxis Civilis ejuſdem *Sacri Regii Conſilii, & Magnae Curiae ſecundae inſtantiae de appellationibus lib. 11. 3. Praxis Criminalis de cognitione delictorum in genere, privilegiis, & paenis. 4. Praxis fidejuſſoria, ſeu modi fidejubendi, & in contraventionum caſibus procedendi. 5. Tractatus* de *Doctora-*

tus

Digitized by Google

tus dignitate, decore, & authoritate, ſimilitudine, antiquorum Magiſtratuum, cum ſupremis noſtri temporis. 6. *Iudicium inter utramq. militiam armatam*, & *inermem*. Opus hoc ſimul ſic unitum dicavit auctor Excellentiſſimo Domino Joanni Alphonſo, Pimintel & Herrerae, Comiti Benaventi, Domino Domus Herrerae, Viceregi in Regno Neapolitano. Item ſecundario in ſecunda Epiſtola dedicat illud Sacrae Regiae Majeſtati, ejuſq. Sacro Regio Conſilio, doctiſſimoq. viro Praeſidi, ac Viceprotonotario Domino Petro de Vera ab Aragonia, caeteriſq. ejuſdem Sacri Regii Conſilii Conſiliariis meritiſſimis.

JO. *ſive* JANUS CAESARIUS Conſentinus Calaber U. J. doctor, Graece, ac Latinae dicendi peritus; Plutarchi Opuſculum *De immoderata verecundia* latine redidit, ubi multa, praeter primi interpretis ſententiam, legi poſſunt, excuſum *Romae. anno.* 1565. *apud Vincentium Succhinum. in* 8.

Edidit quoque *Orationum*, & *Poëmatum libros* qui excuſi ſunt *Romae. anno.* 1565. *in* 8. *in off. Vincentii Lucchini*. At Poëmata Pio IV. Romano Pontifici dicavit, Orationes vero Julio Mancio Pophano. In 11. *vol. Delitiarum CC. Ital. Poët.* Ranutii Gheri habentur poëmata quaedam Jani Caeſarii Conſentini. Sed ejuſdem cum hoc titulo: *Ioannis Caeſarii Conſentini Poëmata varia* excuſa ſunt *Veneti's. anno.* 1562. *in* 4. ut habet *Index Oporini*.

Scripſit quoq. *in* XXXII. *Q. Horatii Flacci Odas*, *Commentarium*, qui prodiit *Romae. ex typogr.* ejuſdem *Vincentii Lucchini. anno.* 1566. *in* 8. Petronio Caeſario Fratri dicatum.

Gabriel Barrius Franciſcanus *lib.* II. *de antiq., ac ſitu Calabriae. fol.* 119. duos Caeſarios commemorat; & vereor, ne quod unius eſt, alteri tribuerit; ait enim *Conſentiam clariorem redidiſſe duos Caeſarios patrem, & filium, Ioannem Antionum, & Ioannem Paulum, ambos ingenio, & doctrina claros, quorum illum Grammaticae Inſtitutionis Rudimenta, & Annotationes* in *Livium inſcripſiſſe ait, & quattuor millia Carmina. Plutarchi opuſculum de immoderata verecundia de Graeco tranſtulit in latinum. Hunc autem Graeca, ac latina lingua peritum Romae latinas litteras profiteri, ac ſcripſiſſe in primum librum Odarum Horatii, ac etiam ediſſe poëmata.*

Alius fuit Joannes Caeſarius Juliacenſis Germanus, qui *Dialecticam*, aliaq. inſignia opera conſcripſit.

JOANNES CAIETANUS, qui & *Gelaſius* II. Papa; vide *Gelaſium*.

JO. CAMILLUS BILOCTA Beneventanus I. C. in Regno Neapolitano Fiſci Advocatus in Magna Curia Vicariae in Criminalibus, dein in Regia Camera Summariae Fiſci ſimiliter patronus, ſcripſit *Tractatum de abſolutione juramenti* duobus libris contentum, cum aliquot *Allegationibus in cauſis patrocinatis*. Licet ſcripſerit eos libros anno 1562.; tamen editi ſunt in lucem anno 1610. *Neapoli. apud Jo. Jac. Carlinum*, & *Conſtantinum Vitalem. in fol.*

Obiit autem Neapoli die 4. Junii 1588. & in aede Sanctorum Apoſtolorum ſepultus eſt.

JO. CAMILLUS GLORIOSUS Geoſonenſis artium, & Sacrae Theologiae doctor, vir ceteroquin doctus, ac muſarum amicus; in Mathematicis tamen diſciplinis inſigniter eruditus, in publico Patavino gymnaſio ejuſdem mathematicae facultatis profeſſor fuit. Clariſſimo viro Galileo Galileò Florentino in eo gymnaſio ſuffectus anno 1613. ibiq. per decem annos id munus peregit; ac tandem, Neapolim reverſus eſt, ubi adhuc vivit. Multa ſcripſit ad mathematicam pertinentia:

ſunt autem haec:

Reſponſum ad theorema geometricum a nobiliſſimo viro propoſitum, cui ſubnectitur ſolutio haſtenus deſiderata propoſitionis 15. *lib.* xv. *Arithmeticorum Diophanti Alexandrini*, *& unica tantum facta hypoſtaſi*, *hucuſq. a nemine praeſtita*. Tentavit id duplici hypoſtaſi Simon Stevinus, ſeu potius Princeps Aurarius Mauritius; quem quidem librum auctor Domino Auguſtino Amulio Senatori Veneto nuncupavit, excuſum *Venetiis, apud Thomam Baglionum*. 1613. *in* 4.

De Cometis diſſertatio Aſtronomica Phyſica, publice habita in eo gymnaſio anno 1619. in qua per triplices, eaſq. celebriores hypoteſes, ultro citroq. diſputatur, quam Marino Ghetaldo Senatori Raguſino dicavit; eaq. prodiit *Venetiis*. *apud Variſcos*. *anno*. 1624. *in* 4.

Reſponſio ad controverſias de Cometis Peripateticas, ſeu potius ad calumnias, & mendacia cujuſdam Peripatetici, in qua oſtenditur praefatum Peripateticum non ſolum calumniatorem, & mendacem, verum etiam putidum eſſe noſtri ſaeculi ſophiſtam, ac apoſtolicae philoſophiae depravatorem, ad Antonium Santinum Lucenſem, impreſſa *Venetiis*. 1626. *apud Variſcos*. *in* 4.

Decas 1. *Exercitationum Mathematicarum*, ad Mathematicarum ſtudioſos. Excuſa eſt *Neap*. 1627. *apud Lazarum Scorigium*. *in* 8.

Reſponſio ad vindicias Bartholomaei Soveri. *Neapoli*. 1630. *apud Secundinum Roncaliolum*. *in* 4. Dominico Molino Senatori Veneto dicata.

Reſponſio ad Scholium Fortunii Liceti. excuſ. *Neap*. 1630. *apud eumdem Roncaliolum*. *in* 4. eidem Domino Molino nuncupata.

Decas II. *Exercitationum Mathematicarum*, *Neapoli*. 1635. *apud eumdem in* 4. ad Mathematicarum ſtudioſos.

Reſponſio ad Apologiam Benedicti Maghetti; item *Reſponſio ad Scipionem Claromontium* impreſſae *Neapoli*. 1641. *apud Secundinum Roncaliolum*. *in* 4. ad Mathematicorum ſtudioſos.

Caſtigatio examinis Scipionis Claromontii in ſecundam decadem ipſius Joannis Camilli Glorioſi, impreſſa *Neap*. 1637. *apud Lazarum Scorigium*. *in* 4. Domino Ferdinando Bianciae Belvederis Duci, Ordinis Calatravae, & in Supremo Italiae Senatu Regis Catholici a Latere Conſiliario, nec non in Regno Neapolitano Regiam Cancellariam Regenti dicata.

Angelus Portinarius *lib.* VII. *de felicitate Patavina*. *Cap*. 4. *fol*. 235. inter Mathematicae explicatores in publico gymnaſio Patavino connumerat eumdem *Joannem Camillum Glorioſum* ad *annum* 1613. *Galilei ſucceſſorem*, *eumq. legendo ſe praebuiſſe praeſtantiſſimum mathematicum*, *& aſtronomum*.

JO. CAMILLUS MAFFEUS e Solofra edidit Italice librum, quem inſcripſit *Scala naturale*, *ovvero Fantaſia dolciſſima*, verſatur autem circa res in philoſophia occultas, ac deſideratas, *in* XIV. *gradus* diſtincta; quorum 1. eſt, *cur ſit immobilis*; 2. *cur non circumdet totam terram*, 3. *de variis effectibus, qui in ea generantur*, 4. *quare non reluceat in ejus naturali loco*; 5. *de ejus compoſitione*, *partibus*, *& colore*, 6. *de ejus motu*. 7. *de ſtella quae venus nuncupatur*; 8. *de ſole*, *& ejus magnitudine*. 9. *de eclypſi*; 10. *de ſtella jovis*. 11. *de ſtella ſaturni*, 12. *de motu imaginum caeleſtium*, 13. *ratio caeli hujus non ſtellati*, 14. de *Caelo Beatorum*. Qui quidem liber, poſt auctoris mortem, *Venetiis* excuſus eſt *apud Joannem Variſcum*, & *ſocios*. *anno*. 1573. *in* 8. Illuſtriſſimo Domino Joanni de Capua Altavillae Comiti ab auctore dicatus anno 1563. quo tempore is auctor floruit; deinde recuſus eſt *Venetiis*. 1601. *&* 1607. *apud Lucium Spinedam*. *in* 8.

JOANNES A CAPISTRANO *Beatus* in Aprutinis, prope Sulmonam oppidum 1. C. ejus aetatis praeclariſſimus; Petri de Ubaldis Peruſini, germani fratris Baldi, & Angeli de Peruſio diſcipulus fuit, ut ſaepius in ejus operibus profitetur. Judex etiam fuit Magnae Curiae, Ladislai Regis tempore, ut Paris de Puteo teſtatur *in tract. de ſindicatu. in cap.* quod incipit, *ſequitur modo*. Dein magiſtratui ceſſit, temporalibus amplius dominis nolens inſervire; Franciſcanam Religionem ingreſſus eſt; ac Beati Bernardini Senenſis, qui tunc magna ſanctitatis gloria coruſcabat, diſcipulus fuit, ſocius, & concionator illuſtris, ac celeberrimus evaſit. In toto orbe Generalis Inquiſitor fuit; magnos labores in cauſa Catholicae Fidei agenda exantlavit, in generalibus Conciliis publicis, ac privatis diſputationibus, & congreſſibus cum Haereticis, Schiſmaticis, ac Romanae Eccleſiae hoſtibus ab eo habitis tum voce, tum ſcriptis; ac Ungarorum Apoſtolus eſt appellatus. Mirum eſt enim, quod contra Fratricellorum Boëmorum, Graecorumque haereſes dixit, fecit, atq. conſcripſit. Auctor quoq. fuit, ut totius fere Chriſtiani orbis principes adverſus Turcas bellum inferrent, ipſeq. praedicator Crucis adverſus Crucis hoſtes in Hungaria, Germania, ac Polonia fuit, nullis parcendo periculis, & laboribus, unde parta inſignis victoria in Albaregali.

Fuit autem is (ut ejus operibus clare perſpicitur) in humanis, ac divinis litteris eruditiſſimus, maximus Juriſconſultus, & Canoniſta praeſertim inſignis, Theologus profundus, & in ſacra pagina valde eruditus; philoſophia, ac caeteris ſaecularibus diſciplinis non mediocriter inſtructus.

Obiit autem 23. Octobris 1453. in civitate WylaK in Syrmienſi agro, in finibus Hungariae Dioeceſis Bambergenſis, quae a Turcis nunc tenetur, & in divi Franciſci aede ſui Ordinis Caenobii ſepultus eſt in Clauſtro. Turcae vero, prae timore magno, ejus Sancti corpus venerantur. Legitur autem in ejus tumulo hoc epitaphium:

HIC TVMVLVS SERVAT PRAECLARA LAVDE IOANNEM GENTE CAPISTRANA FIDEI DEFENSOR ET AVCTOR ECCLESIAE TVTOR CHRISTI TVBA TVM ORDINIS ARDENS FAVTOR IN ORBE DECVS TVM VERI CVLTOR ET AEQVI ET VITAE SPECVLVM DOCTRINAE MAXIMVS INDEX LAVDIBVS INNVMERIS IAM POSSIDET ASTRA BEATVS.

Vita ipſius *latine conſcripta* non parvo volumine a Monacis Viennenſibus, nempe *Nicolao a Fara*, *Hieronymo Utinenſi*, *ac Chriſtophoro Variſienſi* e Minorum Obſervantium familia, atque Beati Joannis comitibus individuis, excuſa eſt *Viennae Auſtriae. anno*. 1523. *in* 4.

Item ipſius *Vitam* exacte conſcripſerunt *Fr. Marcus Vliſſipponenſis* in III. *part. Chronic. Ordinis S. Franciſci* uti referunt, qui de eo mentionem fecerunt Fr. Petrus Rodulfus Foſſinianenſis *lib.* 1. *hiſtor. Seraph. relig.* Fr. Henricus Sedulius *in* ſua *hiſtoria Seraphica*. *Vita* quoque ipſius *brevis ab Antonio Amicio* e Foſſa Aquilana ex probatis auctoribus decerpta, praefixa eſt ejus libro *De poteſtate Papae, & Concilii*, *Venetiis* edito, *anno*. 1580. *in* 4.

Tandem de ejus vita, rebus geſtis, doctrina, ſanctitate, & miraculis ab eo editis, mortuis etiam ab eo in vitam revocatis, praedicatione, legationibus, ac laboribus pro Romana Eccleſia, ac populorum ſalute ſuſceptis, ac in quanta exiſtimatione, ac ſanctitatis opinione apud Romanos Pontifices, caeteroſque Chriſtiani orbis Principes haberetur, deque ejus laudibus multi ſunt, qui clarum teſtimonium perhibent, tum ejus aetatis Scriptores, tum vero ſequentium temporum: nempe, Flavius Blondus Foroliveinſis *de Italia Illuſtrata. reg.* 12. *in Aprutio*. Aeneas Silvius, qui poſtea Pius II. Romanus Pontifex fuit *in lib. de Europa. Cap.* 5. & *lib.* I. *epiſt.* 405. & 412. & *in* ejus *Commentariis lib.* XII. & apud Cochlaeum *lib.* X. *Hiſtor. Huſſitar.* ad annum 1455. Hartamannus Scheydel Hiſtoricus Noribergenſis *in* ſuo *Regiſtro*

Nn 2 Chro-

Chronicorum in ſexta mundi aetate. Nicolaus de Cuſa S. R. F. Cardinalis *in Epiſt. ult. ad Boëmos*, apud Cochlaeum *hiſtor. Huſſitar. lib.* x. ad annum 1450. Joannes Trithemius *in lib. de ſcriptor. Eccl.* Raphael Volaterranus *lib.* XXII. *Anthropolog.* Antonius Bonfinius *lib.* VIII. *hiſtor. Hungariae. decad.* 3. Fr. Philippus Jacobus Bergomenſis *in Supplem. Chron. lib.* XV. ad annum 1454. Mattheus Palmerius. Vuernerus Lorevink *in ſuo Faſciculo temporum*, ad annum 1454. Paulus Langius *in Chron. Citizenſi*. anno 1449. Albertus Krantzius *lib.* I. *Metropol. cap.* 51. & *lib.* II. *cap.* 33. & *lib.* II. *Saxon. cap.* 35. & 36. Leonius Chalcondylas *lib.* VIII. *de Rebus Turcicis*. Martinus Cromerus *lib.* XXII. *de rebus Polonis*. Thomas Borius *lib* VII. *de ſignis Eccleſiae Dei. cap.* I. Henricus Willot ex Ordine minorum. Hieronymus Platus *lib.* II. *de bono ſtatu Religioſi. cap.* 30. Robertus Cardinalis Bellarminus *in lib. de Scriptor. Eccleſiaſ.* Antonius Poſſevinus *in* 2. *vol. Apparatus ſacri*. Fr. Franciſcus Gonzaga *in* ſua *hiſtoria Seraphica* I. *parte*.

Multa ſcripſit, quae non extant omnia; ſed quia a Scriptoribus varie de operibus a Capiſtrano conſcriptis diſſeritur, propterea prius de iis, quae publice exhibita ſunt & excuſa habentur, ac nos ipſi vidimus; deinde quae ab eodem Capiſtrano, & aliis auctoribus citantur, & illorum habetur mentio, agemus. *In tractatibus utriuſq. Juris* noviſſime editis *anno*. 1584. haec habentur. B. Joannis e Capiſtrano: I. *De Canone paenitentiali*, qui habetur in *to.* XIV. 2. *De matrimonio per modum Conſilii. tom.* IX. 3. *De poteſtate Papae, & Concilii* ad Antonium de Corariis Venetum S. R. E. Cardinalem, & Epiſcopum Hoſtienſem, qui poſtmodum fuit Papa Gregorius XII. *to.* XIII. 4. *Speculum conſcientiae to.* I.

Impreſſa quoque ſunt *Venetiis. anno.* 1580. *apud Antonium Ferrarium*. in 4. ſimul cum eo libro *de Papae, ac Concilii poteſtate*, *Speculum Clericorum*, qui eſt ſermo ab eo habitus ad Clerum in Tridentina Synodo anno 1439. die 22. Aprilis in Cathedrali Eccleſia.

Defentionum etiam *tertii Ordinis S. Franciſci*, quod quidem *Speculum Clericorum* praeditur prius *Venetiis. anno.* 1578. *apud Petrum Deuchinum*; quod Concilium ab eo editum pro Tertiariis Civitatis Aquilae. Cujus authographum aſſervatur in Caenobio S. Bernardini ejuſdem Civitatis Aquilae ab aliquibus docatibus ſubſcriptum, ut teſtatur Franciſcus Vivius *deciſ.* 49. *nu.* XI.

In IV. *tomo Reſponſionum in jure Canonico* habentur *Commentarii, ſive Repetitiones B. Joannis de Capiſtrano*.

Tractatus quoque *De judicio univerſali futuro, & Antichriſto, ac De bello ſpirituali* ad Placitum Abbatem, excuſus prodiit *Venetiis. anno.* 1578. *apud Petrum Damechinum. in* 16. Antonii Amicii a Foſſa Aquilana cura ex manuſcriptis depromptus.

In IV. tomo *Reſponſionum in jure Canonico* habentur *Commentaria*, ſive *Repetitiones B. Joannis de Capiſtrano* in *rubr. & cap.* I. *de poenitentia, & remiſſ.* Item *in Cap. manifeſta*, &c. *praesbiterum eodem tit.* Et in III. tomo habetur *Repetitio in extravag.* I. *de verb. ſignif.*

Inter *Repetitiones in jure Canonico* Abbatis antiqui, quae excuſae ſunt praegrandi volumine *Venetiis. apud Juntas. anno.* 1588. *in fol.* cum aliis tum veterum, tum recentiorum doctorum libris in jure Canonico, habentur etiam ſcripta quaedam, ſeu *Repetitiones* ejuſdem *B. Joannis Capiſtrani* in aliquot capitula *libri* III. & V. *Decretalium*.

Sed, quae e M S. ex bibliotheca ejuſdem B. Joannis Aquilae, & Vaticana excerpta ſtudio Antonii Amicii Aquilani, & Sixto V. Rom. Pontif. ab eodem Amicio nuncupatae excuſae fuerint, ſunt autem haec: I. *De vita, & honeſtate Clericorum*, & *mulierum*, 2. *de Clericis conjugatis*. 3. *de Clericis non reſidentibus*. 4. *de Paenitentiis*, & *remiſſionibus*. 5. Ac longiſſimum *Conſilium in cauſa matrimoniali*.

In II. volumine *Conſiliarium ultimarum* volun-

voluntatum, quae a variis doctoribus edita ſunt, & *Venetiis* . *anno* . 1581. excuſum *apud Franciſcum Zilbettum* . *in fol.* habetur *Conſilium* . *num.* 29. *B. Joannis a Capiſtraho in materia, de quibus legatis relictis ad pias cauſas, ac de quibus occurrentibus obventionibus a Caenobiis, locis, & Eccleſiis ſit ſolvenda Canonica portio Sedi Epiſcopali*, quod Domino Epiſcopo Oppidenſi direxit, qui eam quaeſtionem eidem Joanni a Capiſtrano, & ejus conſcientiae declarandam remiſerat. Eſt autem Conſilium illud eruditum quidem, ac profuſum.

Opera autem. & ſcripta quorum is meminit in ſuo libro *de Papae, & Concilii poteſtate*, ad quae etiam ſe remittit, praeter ſuperius dicta, ſunt: 1. *Tractatus de Matrimonio*, qui fortaſſe eſt idem cum ſuperiori. 2. *Tractatus de Inferno*. 3. *De Baptiſmo* . 4. *De Conceptione B. Virginis* . 5. *De Euchariſtia* . 6. Longus tractatus *De ſcandalo*, quem is ait inſeruiſſe in *Cap.* 1. *ex. de paeniten. & remiſſion.* In eo etiam libro *de Papae, & Conc. pot.* ſaepius ſe remittit ad ea, quae plenius dixit *in cap.* 1. *& C. omnis utriuſq. ſexus de paeniten. & remiſſion.*, & *ad C. ſi quis Clericus*, & *C. fin. de vita, & honeſt. Clericor.* & ad *cap. fraternitatem* excuſa *de Clericis non reſiden. & in* 4. *ſenten. diſti.* 7. *uſq.* ad 14. & de *conſecrat. diſtin.* 2. quae non habentur in impreſſis.

Multa quoque opera praeter praedicta a B. Joanne edita fuiſſe, ſcriptores teſtantur, quae adhuc non vidimus: ſunt autem haec: 1. *De dignitate Eccleſiaſtica* ad Nicolaum V. Pontif. Max. cujus meminerunt Foſſin. Bellar. Poſſevin. 2. *De illuſtranda conſcientia*, cujus mentionem faciunt Foſſin. Bellarm. & Poſſev. niſi forte ſit idem cum ſuperiori, quod *Speculum conſcientiae* inſcribitur. 3. *De cupiditate lib.* III. Foſſin. Poſſev. Bellarm. Gonzaga. 4. *De Paſſione Domini* . Bellarm. Gonzaga. Poſſevin. 5. *Contra Huſſitas* . Trithemius. Foſſin. Gonzaga, & Poſſevin. 6. *De uſuris* . Foſſin. Bellarm. Poſſevin. 7. *De Conceptione B. Mariae Virginis* . Poſſevin. 8. *De Cenſuris*; Foſſin. Bellarm. 9. *De paenis Inferni, & Purgatorii* . Foſſin. Bellarm. Poſſev. 10. *De caſibus, & paenis injungendis* Foſſin. Bellarm. Poſſivin. 11. *Adverſus Joannem Bocchezanum* Haereticum Boëmum, & fautorem haereticorum, qui electus Archiepiſcopus Pragae, Fratres minores e ſua civitate ejecerat, Foſſin. Bellarm. Poſſevin. 12. *Sermonum variorum liber* 1. Foſſin. Gonzaga, Sedul. 13. *Epiſtolae* nonnullae *ad varios* . Gonzaga, Bellarm.

Scripſit praeterea ad *Principes Boëmiae*, quos hortatur, ut pro celebranda dicta *lega* apud Caſurgem conveniant. Poſſevin. *De Sanguine Chriſti* librum ſcripſit, qui manuſcriptus ſervatur in Bibliotheca Conventus Capiſtrani ejus Ordinis. Scripſit *Adverſus Philippum Bertegallum diplomati Pontificis adverſantem.* Poſſev. At utinam ejus opera ſedulo inter manuſcripta perquirerentur & omnia ſimul in lucem prodirent excuſa.

JOANNES CAPUANUS Monachus Ordinis S. Benedicti Congregationis Cluniacenſis in Sacro Cavenſi Caenobio, ſcripſit ad fratres ejus Monaſterii, impellente Leone ſecundo Abbate, latine, ac profuſe *Vitas Sanctorum Abbatum* ejus *Monaſterii*, *Alfeſii* nempe ejus Monaſterii fundatoris, *Leonis primi*, *Petri*, atque *Conteſtabilis*; quae caracteribus Longobardis in nobili membrana exaratae, in ejus loci Bibliotheca aſſervantur. Recitat etiam eas Surius *tomo* VII. *vit. Sanct.* die 4. *Martii* . In fine quoque ejus libri *Seriem* ſcribit *omnium Abbatum* ipſius *Monaſterii*, *uſque ad Leonem ſecundum* Abbatem, Leoninis verſibus.

Vixit autem Joannes hic annum circiter 1290.

JO. CAROLUS COPULA Callipolitanus in Salentinis Praesbiter ſaecularis, Teriſii prius Archipresbiter, deinde Muri Epiſcopus fuit poëta Etruſcus, ac venuſtus. Edidit Italicis rithmis poëma, quod inſcripſit, *Ma-*

Digitized by Google

Mariam Conceptam, quod eidem Immaculatae Virgini Caelorum Reginae dicavit, & *Florentiae* excuſum eſt *anno*. 1635. *in officina Neſti*. *in* 4.

Edidit quoque eodem rithmo *Relationem de Nuptiis Deorum*, *Fabulam* ad Sereniſſimam Dominam Victoriam Eſtenſem Urbini Principem, & Magnam Etruriae Ducem, excuſam *Florentiae*. *anno*. 1637. *in typographia Maſſi*, & *Landi*. *in* 4.

JO. Carolus Pica Patricius Aquilanus, Clericus Saecularis, Protonotarius Apoſtolicus, fuit Sacrae Theologiae, ac Legum doctor, & in politioribus ſtudiis eruditus. Hunc Auguſtinus Barboſa multis in locis celebrat *in Reſolutionibus Sacrae Congregationis*, editis ad praeces, & inſtantiam ipſius Joannis Caroli, cum Vicarius eſſet Apoſtolicus in civitatibus Caſtri, & Licii, ubi hoc munere fungens obiit anno 1633. Edidit Italice *Orationes* duas, alteram *in feliciſſima coronatione Philippi* IV. Hiſpaniarum Regis; alteram vero *in obitu Reginae Margaritae de Auſtria* ejus matris, quae excuſae ſunt *Romae*. 1629. *apud impreſſores Camerales*. *in* 4. *Orationem* quoque *in beatificatione* B. *Aloyſii Gonzaghae* Societatis Jeſu. Edidit etiam aliqua Academica, quae omnia excuſa ſunt.

Ipſius item pluries honorifice meminit Aſcanius Tamburinus *in tract. de jure Abbatum*, & praeſertim in *tomo* 1. *q*. 1. *diſt*. 14. *n*. x. ubi appellat *D. Joannem Carolum Picam Aquilanum patricium*, *ſacrae Theologiae*, *et V. I. D. Protonotarium Apoſtolicum*, *& ſibi ab ſpectatam illius animi ingenuitatem*, *morum ſuavitatem*, *& ſingulare judicii acumen*, *doctrinarum varietate refertum*, *amicitia conjunctiſſimum*.

JO. Carolus Potentia ex oppido Vigiano in Lucania, Praesbyter Saecularis, ac Theologus ſcripſit Italice librum *De Sacerdotio Evangelico*, quem Domino noſtro Jeſu Chriſto dicavit; prodiit autem *Romae*. *in* 8.

Edidit quoque alium librum *De ſtatu animarum poſt praeſentem vitam*, Cardinali Ceſenae Datario dicatum, excuſum *Romae*. *in* 8.

Obiit autem Romae die 23. Julii 1623.

JOannes Carrafa Neapolitanus. Vide *Joannem Antonium Carrafam*.

JOannes Claudius Aprutinus legum doctor, cujus extant *Conſilia* quaedam in 2. *volumine Conſiliorum*, in *materia ultimarum voluntatum*, nempe LXXXII. & LXXXIII. quae is commorans in civitate Venetiarum conſcripſit, poſtquam ex Aprutio, ut ipſe ait, diſceſſit; quod *Venetiis*. *anno*. 1580. *ex typographia Ziletti* prodiit *in fol*.

Habetur quoque aliud ejus *Conſilium*, in *materia feudali*, *poſt Alberti Bruni Conſilia feudalia*. *num*. 122. ſimiliter cum Venetiis eſſet, quae ibidem excuſa ſunt *anno*. 1548. *in fol*. In eo Conſilio fatetur ſe libellum conſcripſiſſe, qui *De commodis poſſeſſionis* inſcribitur, non proprio ſtilo, ſed Cauſidicorum ejus temporis ſtilo, ad Scipionem, & Joannem Marium Claudios ejus fratres.

JOannes Chrysafullus Neapolitanus, Praesbyter Saecularis, ſacrae Theologiae doctor, & legum profeſſor, edidit heroico latino Carmine librum, quem inſcripſit, *Urbano Siridos*, ſeu *de Chriſti veri ſummiq. Serapis ſacrarum apum beatiſſima reparata ſobole*, *aeterni nectaris undis*, a *naſcentis Eccleſiae primordiis*, *ad Arcanas uſque magni Urbani apes aeterno ſtemmate fulgidas*. Ubi Eccleſiae omnis hiſtoria poeticis digeſta commentis comprehenditur, ad Urbanum VIII. Summum Pontificem *ejuſdem reparatae Chriſti ſobolis ſummo pro minime*

nime Caeleſti ſtemmate Regem, excuſ. *Neapoli*, *apud Aegidium Longum*. 1632. *in* 4.

JO. Crispus de Montibus Aquilanus, J. C. ſua aetate celeber, legalem facultatem Patavii publice profeſſus eſt. Regius auditor fuit in Aprutinis provinciis, atq. edidit *De Gradibus* librum 1. *De Hereditatibus*, *quae ab inteſtato deferuntur*, alium; tertium vero *De actionibus*, ſive *in arborem actionum*. *Inſtitutionum*, ut teſtatur Jo. Baptiſta Ziletus in *Indice lib. legalium*.

Inter tractatus, ſive *Commentarios de actionibus diverſorum doctorum*, qui duobus voluminibus editi ſunt *Lugduni*. 1568. *apud Carolum Peſnot*. *in fol.* in primo eorum volumine habetur tractatus *Joannis Criſpi de Montibus* civis Aquilani, in alma univerſitate Patavina, editus, cui titulus eſt: *Termini actionum*: in praefatione vero ejus libri auctor ſic ait: *Ego Joannes Criſpus inter alios legentes minimus*, *in hoc almo ſtudio Patavino* &c.

Scripſit etiam *de Naxo Inſula expugnata a Turca*, quae *Baſileae*. *anno*. 1556. edita eſt *in fol.* ut Geſnerus in *ejus Bibliotheca* teſtatur.

JOannes Darcius Venuſinus ſcripſit poëma, cui titulus eſt *Canes*. Scripſit item *Epiſtolam Deidamiae ad Achillem* elegiaco carmine, cum quibuſdam *Epigrammatibus*, impreſſam *Pariſiis*, *apud Colinaeum*. *anno*. 1543. Geſnerus in *Biblioth.*

Extant ejus auctoris pauca quaedam Carmina in 1. volumine *Delitiarum CC. Ital. poët.*

JOannes Diaconus Neapolitanus, vir quippe pius, multa ſcripſit, ac poſteris tradidit, quae manuſcripta, uti gemmas, aſſervamus. Tranſtulit enim e Graeco in latinum *Paſſionem S. Euſtratii*, *& Sociorum Martyrum*; Athanaſii ſecundi *Neap. Epiſcopi juſſu*; ubi is vocatur *Joannes ſervus S. Januarii* (quae Longobardis litteris conſcripta penes nos aſſervatur), & alia conſimilia in Bibliotheca Vaticana, ut teſtatur Baronius in *annot. ad Martyrol. Rom.* die 13. Decembris.

Scripſit item *ad Jo. Abbat. S. Severini Acta*, ſeu *Hiſtoriam translationis Corporis S. Severini Abb. & Noricorum Apoſtoli e Lucullano Caſtro Neapolim*, *in Eccleſiam S. Severini*, *a Stephano Neapolitano Epiſcopo celebratae anno* 920. cui is interfuit, quae variis in locis, ac Monaſteriis Neapolim habetur; in ea autem vocatur *Joannes S. Januarii Diaconus*.

Item, *inventionem*, *ac translationem Corporis S. Soſſii martyris ab eodem Stephano Epiſcopo factam e Miſeno*, *diruto Caſtro*, *in Civitatem Neapolim*, *anno* 920. cui quoque Joannes is interfuit (quae pluribus in locis habetur manuſcripta); eamque ſcripſit *juſſu ejuſdem Stephani Epiſcopi*. Recitat eam Surius tomo v. ſed aliquantulum diminutam, nos vero integram aſſervamus.

Item *Chronicum Epiſcoporum Neapolitanorum*, quod in bibliotheca Vaticana Longobardis litteris ſervatur, e qua ejus exemplum accepimus.

Scripſiſſe fertur *Vitam S. Nicolai Myrrenſis Epiſcopi*, quam refert Surius tomo . . . . . in qua etſi vocetur dumtaxat *Joannes Diaconus*, attamen Joannes Molanus in *Annot. ad Uſuardi Martyrolog.* die 6. Decembris teſtatur hunc fuiſſe ejus auctorem, ſic enim ait, *Nicolai vitam ſcripſit Joannes Diaconus S. Januarii ex Methodio apud Aloyſium* &c.

Antonius quoque Beatillus in *Vita S. Nicolai lib.* x. *cap.* 5. teſtatur, *Joannem Diaconum S. Januarii ſcripſiſſe vitam S. Nicolai Myrrenſis Epiſcopi*, quam is paſſim citat.

At Caeſar Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrol.* die 6. Decembris, Joannem Diaconum, qui S. Nicolai Vitam ſcripſit, eumdem putat cum eo, qui S. Gregorii Papae Vitam edidit. In his enim copioſus fuit; eſt ejus vitae praefationis exordium, ſicut

Digitized by Google

ſicut omnis maceries ab imperfecto artifice.

Fuit & Joannes quidam Diaconus Neapolitanae Eccleſiae, qui ſcripſit *Vitam S. Agnelli Abbatis Neapolitani*, quam non habemus; ſed ejus fit mentio in *Vita* ejuſdem *Sancti* a Petro Subdiacono Neapolitano conſcripta.

Dum autem is modo ſe *ſervum S. Januarii*, modo *Diaconum S. Januarii* nuncupat, & multa poſt ſaecula a S. Januario vixerit, pro certo habemus eum fuiſſe, Diaconum Eccleſiae S. *Januarii ad diaconiam*; quae Neapoli inſignis, celebris, & vetuſta extitit Diaconia, & adhuc perdurat, & parochialis nunc eſt Eccleſia.

JO. DOMIN. AULISIUS Neapolitanus Sacrae Theologiae Doctor, & Majoris Neapolitanae Eccleſiae Canonicus, edidit librum, qui inſcribitur -- *Inſtitutio adjuvandi morientes, ſive naturali cadant, ſive violenta morte*; in qua ea omnia quae optimum obitum promovere poſſunt, diſtincta methodo, optimiſq. doctrinis, perſpicue edocentur, Auctoritatibus, rationibus, exemplis, praecautionibus adductis, & Sacra Scriptura, Sanctis Patribus, graviſſimiſq. auctoribus: quae excuſa eſt *Neapoli*. 1632. *apud Franc. Savium*. *in* 4. Januario Sanctiſſimo Neapolitanorum patrono, ac ſuo praecipuo tutelari dicata.

JO. DOMINICUS GAITUS a Florinenſibus Neapolitanus, nempe è Forino oppido provinciae citerioris Principatus J. C. fuit, & regius Auditor provincialis in pluribus Regni provinciis. Edidit tractatum *De credito, ex libris, epiſtolis, cambiis, apocis, inſtrumentis publicis, obligationibus penes acta, omniq. alia publica inter vivos ſcriptura, pignore, & hypothecis*; in quo omnia, quae ad contrahendum, probandum, diſſolvendumq. creditum in Foris dubitari frequentius ſolent, aut poſſunt clare, & accurate diſputantur, ac enucleantur. Impreſſum eſt *Venetiis*. *anno*. 1626. *apud Juntas*. *in fol.* Domino Carolo Tapiae Belmontis Marchioni, regio a latere Conſiliario; & Regiam Cancellariam Regenti dicatum. Item recuſus eſt *ibidem*. *apud eoſdem*. *anno*. 1641. eadem forma, cum multis, ac curioſiſſimis additionibus, & ſingularibus deciſionibus dicatus Domino Diodato Bernardo Zuſiae regio Collaterali Conſiliario, ac Regiam Cancellariam regenti.

JO. DOMIN. DE LEGA Neapolitanus conſcripſit, Carmine Italo, librum *De vita, & miraculis B. Jacobi Piceni, Ord. min. obſerv., qui Neapoli diu vixit, obiitq.* qui editus eſt *Neapoli*. 1535. *apud Matthiam Cancer*. *in* 4.

Idem Joannes Dominicus de Lega in Academia Neapolitana ejus temporis, (quae Academia Incognitorum dicebatur) *Parthenius Incognitus* nuncupatur. Edidit Italice *Tragaediam De morte Chriſti*, excuſam *Neapoli*. *anno*. 1549. *apud Jo. Paulum Suganappum*. in 4. Leonardo Curzo dicatam.

JO. DOMIN. MAGLIOCCA Neapolitanus Philoſophus, & Medicus, edidit volumina tria *Diſputationum medicarum, phyſiologicarum, aetiologicarum, ſimiſticarum, prognoſticarum, ac therapeudicarum; de internis capitis affectibus*; in quibus omnia, quae ad theoriam, & praxim ſpectant, nova, dilucida, ac clara methodo, ut niſi ſupra pertractantur: atque auctorum omnium ſententiae tam veterum, quam recentiorum, qui uſque ad praeſentem diem extant, adducuntur, examinantur, ac fideliter interpretantur; plurimaq. Hipp. & Gal. loca, quae hactenus ab auctoribus manifeſte pugnantia ſunt habita, adamuſſim conciliantur. Quibus acceſſit in primis *Diſputatio de Delirio in genere* a nullo antea excogitata, ac pertractata, quae omnia tribus tomis continentur, nempe in tomo I., item in primi tomi parte II. & III., quae

quae omnia excuſa ſunt *Neapoli . anno. 1630. apud Vincentium de Franco . in 4.* Beatiſſimae Deiparae Mariae ſemper Virgini dicata .

JO. Dom. Montefuscvlvs Neapolitanus poëta, edidit Italice ſoluta oratione *De via Paradiſi* libros IV. in quibus tractatur *de primo hominum ſtatu , & effectibus peccati in vita, in morte, & poſt mortem; de tribus item viis, per quam ad Paradiſum aſcenditur; de confeſſione , & communione; ac de virtutibus moralibus, & theologalibus ; aliiſque notabilibus rebus*. Prodiit autem *Neapoli* . ex *offic. Horatii Salviani. 1591. in* 1 .

Scripſit quoque Italice poëma ſacrum , quod vocavit , *Grandezze del verbo riſtrette ne i miſteri del Roſario*, quod *cum annotationibus* F. Ludovici e Civitate Sancti Angeli , Ordinis S. Franciſci obſervantium , & argumentis Pompilii de Rubeis legum doctoris prodiit *Neapoli . anno . 1593. ex typogr. Jo. Jac. Carlini, & Ant. Pacis* . in 4. Illuſtriſſimo D. Tiberio Pignatello dicatum .

Edidit etiam Italice aliud poëma ſacrum, quod *Magdalenam paenitentem* inſcripſit , quod excuſum eſt *Neapoli* . . . . dein recuſum *ibidem , cum annotationibus* Doctoris Horatii Catanei *Neapoli. apud Jo. Jac. Carlinum , & Conſtantinum Vitalem. anno.* 1608. *in* 8. Illuſtri Marchioni Corletti Fulvio Conſtantio dicatum.

JO. Dom. de Nigris Crotoniàta Calaber , Praesbyter ſaecularis , edidit opuſculum , cui titulus eſt , *Stella ſalutis*, in quo *de animalibus volatilibus, terreſtribus, & aquaticis, eorumq. natura* agit , metri numero compactum , exametro nempe , & pentametro, *cum ipſius allegoriis moralibus, & hiſtoriis , ſacrae paginae teſtimoniis comprobatis*, quod Illuſtriſſimae Mariae de Aragonia Vaſti Marchioni dicavit. Prodiit autem *Neapoli. 1562. ex offic. Raimundi Amati . in* 8.

JO. Dom. Tassonvs e Stylo Calaber , J. C. in ſupremis Regni foris cauſarum patronus; dein Judex Magnae Curiae in civilibus , edidit librum , quem praetitulavit, *Obſervationes Juriſdictionales Politicas, ac practicas ad regiam pragmaticam editam de anno 1617.* quae dicitur *de anteſato*, in quibus fere omnigenae juris materiae pertractantur, impreſſ. *Neapoli 1632. apud Secundinum Roncaliolum. in fol.* Excellentiſſimo Domino D. Emanueli a Zuniga , & Fonzeca Montisregii Comiti, ac in Regno Proregi dicatum .

Edidit etiam *Conſilium* , ſive *Reſponſum pro Carthuſia Divi Laurentii prope Padulum, adverſus Conſilium quoddam Domini Joannis Franciſci de Ponte*, in quo agitur de Elemoſyna voluntaria , & neceſſaria , etſi eſt ſolita dari , an contra denegantes eam erogare detur actio , vel reale praeſidium Capitulorum Regni Neap. praeſtari poteſt, etſi ob ingratitudinem amittatur : ad Reverendum P. D. Bertrandum Chalupum Carthuſianum , Priorem Domus Toloſae, ac provinciae Aquitaniae Viſitatorem , impreſſum *Neapoli. 1616. apud Jo. Jac. Carlinum. in* 4.

JO. Don. a Fina Sangrenſis , vide ſuperius *Donatum a Fina*.

JO. Don. Sanctorvs Philoſophus , ac Medicus, qui etſi in Laurino Caputaquenſis dioecaeſis ortus eſſet, Neapoli tamen diutius medicinam exercuit, ac diutius comparavit. Edidit autem, cum adhuc adoleſcens eſſet, librum *De ſemine, nec non de ejus virtute informativa* , qui impreſſus eſt *Neapoli . apud Matthiam Cancrum . anno. 1554. in* 4. Domino Franciſco Revertero Caeſatae Majeſtatis in Regia Camera

Locrinterenti dicatus.

Edidit quoque *Epiſtolarum medicinalium lib.* VII. quos Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Julio Sanctoro S. R. I. Cardinali dicavit, excuſos *Neapoli*. 1596. *in typogr. Stelliolae. in* 4.

JO. ſive JO. BAPTISTA ELYSIUS Philoſophus; ac Federici Neapolitanorum Regis Medicus, ſcripſit opus inſigne *De Praeſagiis ſapientum ad Adrianum* VI. *Pontif. max.* Cujus libri rubricae, & ſummaria recitantur in quodam libro, qui inſcribitur: *Satis metuendi diluvii veriſſima liberatio; Elyſianum fragmentum praeſagitionis Bononienſis, adverſus quorundam putativum diluvium anni* 1523. & 1524. *cum Elyſianis annexis, ad Adrianum* VI. Summum Pontif. ac univerſum Chriſtianum Orbem, impreſſ. *Neap.* 25. *Martii* 1523. & in originali Bononienſi 8. Septembris 1522. in 4.

Edidit *Succinctam Inſtaurationem de Balneis totius Campaniae, cum libello contra malos medicos*, Sereniſſimo Domino Bernardino Sanſeverino Biſiniani Principi dicatam, impreſſ. *Neap. per Ant. Friſum Corinaldenſem. anno.* 1519. *in* 4 At liber hic Joannis Elyſii *De totius Campaniae Balneis*, habetur quoque in opere magno *de Balneis univerſi fere orbis terrarum*, variorum auctorum qui *Venetiis*, *ex Juntarum off.* prodiit *anno.* 1553. *in fol.*

Elyſianum auxilium in horribile flagellum morbi gallici, contra nonnullos barbaros, ac vulgares empiricos, impreſſ. *Neap.* eodem 1519. *in* 4.

Ex arabico in latinum vertit libellum *Alphonſi Sorii Arabi Medici in malos Medicos*, quem quidem libellum is accepit, ac tranſtulit anno 1500. cum is Granatae viveret, ac eſſet ad ſervitia Joannae Aragoniae Siciliae Reginae, una cum Aloyſio Cardinali Aragoneo, illuc miſſus a Federico Rege in ejus Cardinalis Clientelam, ac curam. Excuſus eſt autem liber hic *Neap. apud eumdem eod. an.* . . . . . . *in* 4. eumq. dicavit Franciſco Piccolomineo Aragonio V. I. D. Biſiniani Epiſcopo, Domini Papae litterarum contradictarum Auditori.

Divi Joannis Syri, ſive *Joannis Damaſceni Apollinea theoremata in medicina, in alphabeticum ordinem* per eumdem Joannem Elyſium redacta, quae Federico Carrafae dicavit, excuſ. *ibidem*.

Edidit etiam *Apollineam naturae Clypeum in horribile flagellum morbi gallici*. Item libellum *De mirandis morborum, ac ſanationum cauſis, cum Elyſianis annexit*, ad Andream Carrafam S. Severinae Comitem, quae omnia excuſa ſunt ſimul.

Eumdem cum ſuperiori puto Joannem Baptiſtam Elyſium Neapolitanum Philoſophum, ac Medicum, qui edidit *Quaeſtionem phyſicam, numquid ſit aſſignandam aliquod ſubjectum primum in philoſophia naturali ſub convenienti ratione formali*. Quod opus (ut ipſe ait in nuncupatoria epiſtola ad Marchionem Andream Mattheum Aquavivum de Aragonia) conſcripſit praeſidente Academiae Napolitanae Domino Joanne Baptiſta de Petrutiis Tarentino Archiepiſcopo, ſumma fide, doctrina, ac integritate ſingulari. Cujus juſſu tunc phyſicam publice interpretabatur, medicinae jam Doctoris inſula decoratus. Impreſſa una cum opere Landulfi Caraccioli Neapolitani Ordinis minorum, Archiepiſcopi Amalphitani *ſuper* II. *libro Sententiarum, ab Elyſio recognito, & emendato*, abſque tamen nomine impreſſoris, loci, & anni in fol.

JO. FRANC. BRANCALEO Neapolitanus Philoſophus, ac Medicus inſignis ſcripſit *Dialogum* adverſus neotoricos medicos *De Balneorum utilitate*, quam ſalubria balnea ſint, cum ad ſanitatem tuendam, tum ad morbos curandos, ex Hippocrate, Galeno, caeteriſque Medicis decerptum, quem Paulo III. Rom. Pontif. dicavit. Impreſſum eſt *Romae per Antonium Baldum de Aſula*. 1535. *in* 4. item *Pariſiis*

Digitized by Google

riſiis penes Vecchel. anno 1536. qui deinde Dialogus magno operi *de Balneis Venetiis edito apud Juntas anno* 1553. inſertus eſt.

Scripſit item *Orationem pro praedio a ſe degato, ad regios Conſiliarios*, impreſſam abſque nomine impreſſoris, & anni *in* 4.

Italice autem ſcripſit *Brevem Diſcurſum de Immortalitate animae*, in quo ſtupendam viſionem, quae ei apparuit, recenſet; nempe Amici, ejus familiaris, anima ea hora, ac puncto, quo ab hoc ſaeculo diſceſſit, ei apparuit, cum ipſi viventes mutua ſe ſe fide obſtrixiſſent, qui prius moreretur, alterum ſuperſtitem de animarum immortalitate certiorem reddere. Excuſus eſt autem liber hic *Neapoli* 1542. *apud Matthiam Cancrum in* 4. Illuſtriſſimo D. Petro e Toleto Villefranchae Marchioni dicatus.

Ab Aloyſio Contaneno in libro *de Nobilitate Neapolitana fol.* 352. is appellatur Joannes Franciſcus Brancaleo *medicus inſignis, rarus philoſophus, orator ſingularis, ac excellens legiſta*.

JO. Franc. Capiblancus e Civitate Muri legum doctor, dein in Citerioris Calabriae provincia regius Auditor, & Judex Magnae Curiae in civilibus fuit. Edidit tractatum *De Jure, ſive officio, & auctoritate Baronum erga Vaſſallos burgenſes*, ſeu magis *Commentaria ſuper pragmaticis Regni Napolitani, ſitis ſub titulo de Baronibus, & eorum officio* ad Illuſtriſſimum D. Flaminium Urſinum Romanum Principem, Comitemque Civitatis Muri, excuſ. *Venetiis* 1603. *ſumptibus Andreae Pellegrini Bibl. Neap. in* 4.

Dein ab auctore recognitus, & valde auctus, prodiit *Neapoli, ex offic. Tarquinii Longi anno* 1614. *in* 4. Domino Fulvio Conſtantino Marchioni Corleti, & Collateralis Conſilii Regenti dicatus. Prodiit quoque tertio auctus, & locupletatus ab auctori, cui acceſſerunt multa *Singularia ad leges notabiliores* III. *lib. Codicis*, impreſſus *Neapoli. apud haeredes Tarquinii Longi.* 1622. *in fol.* eidem Marchioni Corleti dicatus.

Edidit quoque *Additiones noviſſimas* ad eum tractatum *de Baronibus, & eorum officio, & ad Singularia*, excuſ. *Neap.* 1632. *apud Aegidium Longum. in* 4.

JO. Franc. Caracciolus Neapolitanus poëta, ſcripſit Italico rithmo librum, quem vocavit *Amores*, ac etiam librum quem *Oculos Argi* appellavit, qui excuſi ſunt *Neapoli anno* 1506. *apud Io. Ant. de Caneto Papienſem in* 4. Hieronymi Carbonis opera, ut nuncupatoria epiſtola ad Proſperum Columnam, quae iis libris praefixa eſt, docet. In ea idem Carbo ejuſdem Joannis Franciſci alia opera, nempe *Satyros, & Morales*, eodem rithmo conſcripta, edere pollicetur.

Meminit autem hujus Joannis Franciſci, Sannazarius in *Arcadia*; & in poëmatibus Pontanus quoque *Hendecaſyllaborum lib.* I. meminit Franciſci Caraccioli ipſius amici, & ejus *Amorum*, vocatque ſuum ſodalem: incipit autem ſic;

De amoribus Franc. Caraccioli.

Quid Caracciolus meus Sodalis
Quid Franciſcus agit meus? Calet ne? etc

Ab Ambroſio Leone in *Chron. Nolan. lib.* III. *cap.* 6. *de elegantia et moribus Nolanorum*, vocatur *Joannes Franciſcus Caracciolus poëta illuſtris, virque moribus integerrimis, ac (ut ajunt) Petrarcha Neapolitanus*.

Joannes Bernardinus Fuſcanus in ejus libro *de pulcritudine, et laudibus urbis Neapolis*, ait, *Joannes Franciſcus Caracciolus immortalem vitam vivit, et cum optima lyra amoroſorum poëmatum a venerando Muſarum ſimulacro domino Jacobo Sannazario non parum celebratus reſonat*.

Petrus Gravina tumulum ſcribit Joannis Franciſci Caraccioli, hoc epigrammate.

 Sic

Siccine in exigua, vir magne, recorderis urna?
Siccine in obſcuro, magne poeta, jaces?
Quem Mauſolei decuit fortuna ſepulcri,
Et qui menphitica mole locandus eras?
Sed tecum Veneres, tecum tumulantur Amores,
Qui quid & urbani lingua leporis habet.
Te tuus extincto lagrymas tibi condidit ordo
Patritius, tota luctus in urbe fuit.
Mors fera qd potuit ſecum abſtulit; at bona mentis,
Muneraque ingenii non periere tui.
Haec vivent, dum Parthenope Sirenes habebit,
Sebethusque humili fonte refundet aquas.

JO. FRANC. DURATIUS Neapolitanus philoſophus, ac medicus, ſcripſit *Commentaria ad librum Galeni de locis affectis*, qui hactenus nullius fuerat expoſitione locupletatus, etenim difficilis eſt, & nodoſus. Excuſa ſunt *Neap. anno* 1548. *apud Jo. Paulum Suganappam in* 8. dica autem Illuſtriſſimae ac Eccellentiſſimae D. Joannae Aragoniae de Columna. Item recuſa ſunt *Venetiis anno* 1557. *apud Jordanum Hillet. in* 8.

JO. FRANC. LOMBARDUS Neapolitanus Praesbiter ſaecularis, & Canonicus majoris Neapolitanae Eccleſiae fuit philoſophiae, medicinae, ac theologiae doctor, & unus ex Collegiis doctorum philoſophiae, medicinae, ac theologiae. Fuit etiam linguae Grecae peritiſſimus ac ſcripſit *Catalogum adverſus Haereticorum libros, ad eos expurgandos*, qui editus eſt cum *Henchyridio Eccleſiaſtico Gregorii Neapolitani* Ordinis Capucinorum (qui fuit unus ex deputatis Patribus in librorum reviſione in Neapolitana Dioceſi) quod *Venetiis* prodiit in lucem *anno* 1588. *apud Hieron. Polum. in* 8.

Scripſit quoque librum *de Balneis Puteolanis*, & *Aenariarum*, quem vocavit ΣΥΝΟΨΙΣ *eorum, quae de balneis, aliiſque miraculis Puteolanis ſcripta ſunt, adjectis Balneis Aenariarum* &c. qui excuſus eſt *Neap. in* 8. *anno* . . . . dein ab eodem auctore recognitus, & auctus editus eſt *Venetiis anno* 1566. *impenſis Anelli Sanviti in* 4. quem is author Domino Joanni Triviſano Patriarchae Venetiarum dicavit.

Librum *De Balneis Puteolanis* ab Anonymo olim auctore conſcriptum, quem Franciſcus Aretinus inter manuſcriptos repertum Pio II. Pontifici Maximo obtulit, quique anno 1507. in lucem editus fuerat, is Joannes Franciſcus ſimul recudi fecit, uberrimis, atque optimis ejus *Scholiis*, & *annotationibus* locupletatum.

Adjecit quoque in ſecunda hac Veneta editione *Opuſcula quaedam medica*, nempe *Hippocratis Coi jusjurandum*, eodem Joanne Franciſco Lombardo e Graeco in latinum interprete, *C. Galeni libellum, Quos, quibus, & quando purgare oporteat*, eodem interprete. *Scholae Salernitanae Verſus* per eumdem caſtigatos.

Recuſus etiam fuit liber hic Lombardi *de Balneis Puteolanis*, & *Aenariarum* cum libro, qui *Italia illuſtrata* nuncupatur, quique e *Francofurto. anno* 1600. prodiit *ex typogr. Cambieriana*.

Interfuit autem is Tridentinae Synodo, uti Theologus Cardinalis Seripandi; in qua *Orationes* quaſdam habuit, e quibus unam excuſam vidimus, nempe quam dixit *in die Sancti Stephani Prothomartyris anno* 1561. quae prodiit *Brixiae. ex Officina Ludovici Sabienſis. in* 4.

JO. FRANC. MAIA MATERDONA Meſſapienſis Apulus, poëta, ac ſoluta oratione bene ſcribendi excultus. Edidit Italice librum, quem inſcripſit *Lettere di buone feſte*, duabus partibus diſtinctum; quarum alteram domino Cardinali de Sabaudia dicavit, alteram vero Principi Burgheſio. Excuſus eſt *Romae apud Ludovicum Grignanum* 1625. in 12.

Scripſit quoque librum *Variorum rithmorum* excuſum *Venetiis*.

JO. Franc. Pica Patricius Aquilanus Juriſconſultus, Canonicus, & Vicarius Generalis Cathedralis Eccleſiae ejuſdem Civitatis. Anno 1632. ab Eminentiſſimo Antonio Cardinali Barberino accitus, conſtitutus eſt unus ex Auditoribus, & Conſiliariis ſupremi Auditorii ſtatus Urbini, tunc ad Romanam Eccleſiam devoluti per obitum Franciſci Mariae de Ruvere Urbini Ducis, eoque Magiſtratu per ſex annos functus eſt. Scripſit autem inſignia volumina ad legalem facultatem pertinentia, in quatuor tractatus ſecta, nempe *De annua civili, militari, eccleſiaſtica, & regulari*, quae ſub praelo ſunt Neapoli. Vivit adhuc.

JO. Franc. de Ponte Neapolitanus J. C. praeclariſſimus, ac Feudiſta praeſertim maximus, fuit in Neapolitano gymnaſio Feudorum interpres, ac primarius cauſarum patronus in Supremis Regni Tribunalibus exercitatiſſimus. Fuit etiam Praeſides primum Regiae Camerae Summariae, dein in Supremo Italiae Conſilio apud Philippum II. Hiſpaniarum Regem Regens, & demum in Neapolitano Regno a latere Conſiliarius, decanus quoque, & Murchoni Marchio. Tandem, omnibus ob Deum immortalem abrenunciatis, Clericus regularis Theatinorum Ordinis effectus eſt. Multa ſcripſit, etſi negotiorum mole premeretur; edidit enim:

Conſiliorum, ſive juris reſponſorum in arduis maximorum Principum Cauſis praeſertim feudalibus editorum, volumen primum, quod prodiit *Venetiis anno*. 1595. *apud Franc. de Franciſcis, & Paulum Venturinum. in fol.* eidem Philippo II. Regi dicatum.

Conſiliorum volumen II. quod Domino Scipioni Burgheſio S. R. E. Cardinali, atque Summo Paenitentiario nuncupavit, excuſum *Neap. apud Tarquinium Longum. 1615. in fol.*

Edidit quoque *Deciſiones Supremi Italiae Conſilii, Regiae Cancellariae, & Regiae Camerae Summariae Regni Neapolitani*. Quibus adjecit *Repetitiones feudales elaboratiſſimas*, ac doctiſſimas, & ut plurimum rerum judicatarum authoritate obvallatas, olim ab eo in almo Neapolitano gymnaſio habitas, dum illius Cathedram regeret, ad Sanctiſſimum Dominum Paulum V. Pontif. Max. impreſſ. *Neap. apud* eumdem *Tarq. Longum. 1612. in fol.*

Item Tractatum *De poteſtate Proregis, Collateralis Conſilii, & Regni regimine*, quem in duodecim principales diſtinxit titulos, de quibus in eo opere agitur, nempe: *De proviſionibus circa perſonas pro placido, & tranquillo Regni regimine. Annona Civitatis. Officialium electione. Regalibus impoſitionibus. Tractis, ſeu extractionibus. Aſſenſu Regio ſuper dotibus. Aſſenſibus Regiis. Refutationibus Feudorum. Succeſſione mulierum. Diverſis proviſionibus. Triremibus, & navigiis, & dilationibus cauſarum.* Liber autem hic prodiit *Neapoli* ex typographia ejuſdem *Tarquinii Longi. anno 16.. in fol.* Excellentiſſimo Domino Petro de Caſtro Comiti de Lemos, & in Neapolitano Regno Proregi dicatus. Recuſus eſt quoque *ibidem. anno 1621. apud haeredes Tarqu. Longi in fol.* cum additionibus Joannis Baptiſtae de Thoro Juriſconſulti Neapolitani.

Edidit etiam *Juriſreſponſum ſuper Cenſura Eccleſiaſtica contra Venetos*. quod *Romae* prodiit *ex Offic. Gulielmi Facciotti .. anno. 1607. in 4.*

Scripſit quoque librum de rebus in jure controverſis inter regiam, ac pontificiam juriſdictionem, quae materiam continet ſcrupulis plenam, ac odiis ſcatentem; ob idque hujuſmodi libri impreſſoriae officinae tute committi nequeunt, ac editi plerumque prohibentur. Quamobrem Joannes Franciſcus, quae ipſe in Regno hoc longo uſu, ac praxi, dum tot geſſit Magiſtratus, conſuluit, judicavit, ſervavit, atque a majoribus obſervari, ac judicari perſpexit, ſcriptis prodidit: ut eos, qui Regum partes ſequi, ac fovere aggrediuntur, erudiret, atque inſtrueret. Quem librum

librum numquam in lucem proditurum fore ſperans, ſed manuſcriptum circumferri, ejus copiam multis fecit, & plura ejus exemplaria paſſim apud Juriſconſultos, ac Magiſtratus habentur. Cujus libri etiam meminit, eumq. pollicetur in fine ſui libri *De poteſtate Proregis*. Liber autem ſic praetitulatur, atque haec continet: *De his, quae practicantur in Regno in materia juriſdictionis Eccleſiaſticae propter neceſſariam, atque naturalem ejuſdem Regni, illiuſque perſonarum defenſionem rectam, ac pacificam gubernationem*. Continet autem hos titulos:

De violentia Judicis Eccleſiaſtici per Regem auferenda. De conſervatoriis vigore Capitulorum Regni. De Tertiariis, Oblatis, familiaribus, & ſervitutibus Clericorum. De familia armata Epiſcopi. De Cuſtodibus animalium Clericorum. De Clericis conjugatis. De Sortilegiis. De Eremitis. De confugientibus ad Eccleſias. De Regio exequatur.

De Salario concionatoribus ſolvendo. De bigamia. De Monarchia Regni Siciliae. De juriſdictione Cappellani Majoris.

Alia *Commentaria ſuper Bulla Gregorii* XIV. pro faeculari juriſdictione. *Conſultatio ſuper viſitatione hoſpitalis Incurabilium* noſtrae civitatis, quod praeſupponitur eſſe ſub Regia protectione. *Conſultatio ſuper viſitatione Eccleſiae Altamurae*, quae eſt ad Regis Collationem, & ſub illius immediata protectione. *Conſultatio ſuper criminae bigamiae*, quomodo cognitio illius ad Regem ſpectet.

Obiit autem Neapoli in aede SS. Apoſtolorum, quae a Clericis Regularibus incolitur, die 26. Junii 1616.

JO. FRANC. SANFELICIVS patricius Neapolitanus J. C. inſignis, perennes honorum, & dignitatum gradus obtinuit, atque ad ſupremum, ac culmen evectus eſt. Primo enim Regius Auditor in pluribus regiis provincialibus Audientiis, mox Judex Magnae Curiae in Civilibus, deinde in Criminalibus, hinc Fiſci Patronus in Criminalibus, poſtmodum Regius Conſiliarius, ac tandem Regius Collateralis Conſiliarius, ac Regiam Cancellariam Regens fuit. Edidit *Deciſiones Supremorum Tribunalium Regni Neapolitani*, quas is judicando collegit, duobus voluminibus: quorum primum prodiit *ex typogr. Roberti Molli*. 1642. *in fol.* ſecundum vero *ibidem* apud eumdem 1643. eadem forma.

Praxim quoque *judiciariam*, ſive *De ordine judiciorum Civilium, Criminalium, & mixtorum, ac Commentaria ad pragmaticas, ritus Magnae Curiae Vicariae, & alias Regni leges, quibus ordo, ac praxis tribunalium Regni Neapolis abſolvitur, innumeris, iiſq. utiliſſimis deciſionibus referta, praeſertim almi Collegii, ac Supremi Conſilii Collateralis numquam antea impreſſis*: excuſam *Neapoli* 1647. *apud Robertum Mollum. in fol.*

JO. FRANC. SCAGLIONVS Conſentinus Calaber, J. C. edidit *Additiones*, ſeu potius *Commentarium ad pragmaticam ſanctionem de filiisfamilias, qui ſine conſenſu patris contraxerint, ad Senatus Conſultum Macedonianum*, quod excuſum eſt. Deinde ab auctore recognitum, & locupletatum recuſum eſt *Neapoli. in Off. Matthiae Cancri*. 1556. *in fol.*

Scripſit *Commentaria ad omnes pragmaticas de modo procedendi in cauſis civilibus in praxi, & in foro verſantibus* ſatis utilia, edita *Neapoli. apud* eumdem *Matthiam Cancrum*. 1556. *in fol.*

Edidit etiam *Interpretationes ſub brevi compendio ſuper regia novella pragmatica ceſſionis bonorum*, excuſas *Neapoli. apud* eumdem *Matthiam Cancrum*, & *Thomam Riccionum Socios*. 1556. *in fol.*

Excuſi ſunt autem omnes hi Scaglioni *Commentarii ad regias pragmaticas* cum caeteris auctoribus, qui regias pragmaticas ſunt commentati, ut in Scipione Rovito dicemus.

Edidit quoque Scaglionus *Commentarios ad Ritus Magnae Curiae*, qui cum Proſperi

Digitized by Google

ri Caravitae Commentariis ad eos Ritus prodierunt *Neapoli*. 2620. *apud Scipionem Bonినum. in fol.*

JO. Grandis ex Aufidena inſigni in Pelignis oppido, Juriſconſultus, Romae Imperiales inſtitutiones publice interpretatus eſt, ubi etiam Gordianam Academiam erexit, item Euſtochiorum aliam; cujus ipſe rector, & reformator pluries fuit. Ab Illuſtriſſima Columnae familia oppidorum ſuorum praeſes creatus, armorum Capitaneus, & cauſarum omnium, tam civilium, quam criminalium Judex per totum Regnum Siciliae ultra pharum praefuit, a Marco Antonio Columna ejus Regni Prorege adlectus. Deinde in Regno hoc Siciliae citra pharum regius auditor in Aprutii provinciis, atque earumdem provinciarum Praeſidis adverſus exules Conſiliarius fuit; demum in Barii, & Hydruti provinciis regius auditor, & adverſus exules per Regnum Regius Judex extitit. Scripſit Tractatum, ac Praxim *De Bello exulum, ubi tam poteſtas Praeſibus provinciarum conceſſa procedendi in exules ad modum belli, & militari modo tractatur, quam Banna contra eoſdem edita explicantur, & omnia, quae ad exulum extirpationem, & deſtructionem requiruntur, miro ordine practicantur.* Excuſus eſt *Neapoli. Apud Horatium Salvianum. anno.* 1589. *in* 4. poſt ejus mortem in lucem emiſſus a Mutio Fellio Acceanenſe legum doctore, ac equite aurato; ab eodem Fellio Domino Annibali Molles, regiam Cancellariam Regenti, dicatum; deinde recuſus eſt *Neapoli*. 1612. *apud Jo. Jac. Carlinum. in* 8.

JO. de Guevara Neapolitanus Ordinis Clericorum Regularium minorum & ejus Generalis Praepoſitus, deinde Theanenſis Epiſcopus, fuit philoſophus, ac Theologus. Scripſit adhuc in Religione exiſtens *De interiori ſenſu lib.* VI. ad Joannem Franciſcum Mariam Secundum Urbini Ducem VI., qui *Romae. ex Offic. Jacobi Maſcardi* prodierunt *anno*. 1622. *in* 4.

Scripſit item *in Ariſtotelis Mechanica Commentarios*, una cum *additionibus* quibuſdam ad eam materiam ſpectantibus, excuſos *Romae. apud eumdem*. 1627. *in* 4. Illuſtriſſimo Principi Franciſco Barberino S. R. E. Cardinali dicatos.

Iidem Italice ſcripſit librum, quem nuncupavit *Orologio de' Principi* ad Ferdinandum II. Mediceum Etruriae Ducem, excuſum *Romae*. 1624. *apud eumdem in* 8.

JO. Hieron. Campanilis Neapolitanus J. C. Canonicus prius majoris Neapolitanae Eccleſiae, deinde, Epiſcopus Laquedonenſis, demum Epiſcopus Iſernienſis fuit. Romae, & Neapoli in patrocinandis, ac decidendis cauſis diu ſcripſit aliquot opera; e quibus haec dumtaxat in lucem prodierunt, nempe uberes *Additiones ad Alberici Olivae Neapolitani Commentarios, ſive gloſſas ſuper Ritibus Curiae Archiepiſcopalis Neap.* Quae una cum textu Rituum, & ejuſdem Olivae gloſſis, ac Ritibus Magnae Curiae Vicariae, & Commentariis etiam Proſperi Caravitae excuſi ſunt *Venetiis*. 1601. *in fol.*

Diverſorium juris Canonici, univerſum Clericorum, ac Regularium ſtatum, vitam Ordines, beneficia, irregularitates, illationeſque permultas, tum civiles tum criminales, mixtas deniq. atque feudales continens, confirmatas maxime deciſionibus, etiam non impreſſis, omnium tribunalium, ac plerumque auctoritate Patrum, & Sacrae Scripturae ſententiis, atque etiam factis, dictiſque memoralibus cujuſcumque generis, etiam Etnici Scriptoris, excuſum *Neapoli, apud haer. Tarq. Longi*. 1620. *in fol.* Paulo V. Pontif. Max. dicatum.

Conſcripſit quoque alia opera, quae non ſunt adhuc in lucem edita, nempe *Conſilia. Praxis Canonica. Deciſiones*. Tractatus de

de immunitate Eccleſiaſtica. Tractatus *de privilegiis clericalibus*.

JO. Hieron. Pulverinus Neapolitanus Philoſophus, ac Medicus in patrio gymnaſio artis medicae profeſſor primarius, ſcripſit *De curandis juxta hodiernum uſum ſingulis humani corporis morbis medicam Praxim*, brevi dilucida, ac abſoluta methodo explicatam, ac traditam, quae excuſa eſt *Venetiis. apud Jac. Ant. Somaſchum. anno.* 1600. *in fol.* Illuſtriſſimo Domino Julio Antonio Sanctorio S. R. E. Cardinali nuncupata. Deinde ab auctore recognita, & locupletior facta, recuſata eſt *ibidem per eumdem anno* 1605. *in* 4. & demum recuſa eſt *Neapoli*. 1643. *apud Camillum Cavallum. in fol.* ſimul cum ejuſdem auctoris *Methodica, ac plena ratione juxta eumdem hodiernum uſum de curandis febribus per Matthiam Magliocecam philoſophum, ac medicum ejus diſcipulum, publicae utilitati impertita, ac quampluribus additionibus donata a Jo. Bernardino Corbiſerio artium, & medicinae doctore, & in regia Academia Neapolitana Chirurgiae profeſſore*.

Obiit autem Neap. die 18. Decembris 1600. & in Metropolitana Eccleſia ſepultus eſt in familiae ſacello.

JO. Jac. Laurentius Beneventanus J. C. ſcripſit Tractatum *De Judice ſuſpecto, & tam Judicum, quam aliorum quorumcumq. de quorum ſuſpicione in judicio, & extra, diſcuti ſolet* impreſſum *Venetiis. anno*. 1607. *apud Georgium Variſcum. in fol.* poſt ejus mortem cura Antonii Savariani ejus affinis, qui librum illum dicavit illuſtriſſimo Domino Bartholomaeo Caeſio S.R.E. Cardinali.

JO. Jac. Lazarus Callipolitanus philoſophus, ac medicus inſignis, in gymnaſio prius Neapolitano, dein Meſſanenſi, publicus, ac ordinarius medicinae profeſſor edidit *De Sectione venarum cubiti in puerperio, febris minerae in vaſis ſuperioribus conſiſtente. Diſputationem nunc primum in otium perilluſtris Dominae Franciſcae Lanzae habitam*, excuſ. *Meſſanae. apud Petrum Breamm.* 1618. *in* 4. Excellentiſſimo Domino Laurentio Iverniae Caſtrileonis, Marchioni Julianae, & Meſſanenſis Urbis Straticoto, Juſtitiario, ac Capitaneo armorum dicatam.

Scripſit quoque pergrandem, atque abſolutiſſimum tractatum *De febribus, ac morbis particularibus totius humani corporis*, cui acceſſit *Diſputatio de ſimplici, & compoſito medicamento*, qui adhuc non eſt in in lucem editus, ſed propediem prodibit. Vivit adhuc.

JO. Jac. Martinus e Sancto Nicolao a Juncha Calaber, & ipſius Eccleſiae Majoris Abbas Curatus, J. C. edidit *Conſiliorum, ſive Reſponſorum juris* volumen primum, quod prodiit *in Sancto Nicolao, apud Jo. Baptiſtam Ruſſum, & Dominicum Jezzum. anno.* 1635. *in fol.* Eminentiſſimo Cardinali Felici Centino Epiſcopo Maceratae dicatum.

JO. Jac. Masullus Neapolitanus U. doctor in Supremis Regni Foris cauſarum patronus, edidit optimas, ac profuſas analyticas *Additiones ad deciſiones Sacri Regii Neapolitani Conſilii, ab Antonio Capicio exaratas*, quae excuſae ſunt *Neap. apud Conſtantinum Vitalem. anno.* 1604. *in* 4. Domino Joanni Molinae de Meſtanza regio Conſiliario dicatae.

Obiit autem Neapoli anno 1613. & in aede Sanctae Crucis minorum ſtrictioris obſervantiae in proprio Sacello ſepultus eſt.

JO. Jac. Melillus Vigilienſis U. doctor; eſt autem Vigilia, ſive Vigiliae civi-

civitas in Apulia, quae vulgo Biſceglia appellatur, Edidit tractatum *de Vicarii praecedentia, & de Synodo Diœceſana*, qui excuſus eſt *Venetiis. anno. 1582. apud Antonium Ferrarium. in 8.*

JO. JAC. PAVESIUS, e Catanzario Calaber, philoſophus inſignis in Patavino, Meſſanenſi, ac Romano gymnaſio philoſophiae publicus profeſſor, edidit eruditiſſimam *Diſceptationem peripateticam de accretione*, ad ampliſſimum, atque ornatiſſimum virum Joſephum Cantelmum Populi Ducem, quae *Patavii* excuſa eſt *apud Marcum Ant. Almumanno. 1559. in 4.*

At is Joannes Jacobus cum Romae poſtea philoſophiam profiteretur, ſibique diſpliceret ſe Calabrum eſſe, ac potius Ligur, ac nobilis eſſe cuperet, atque affectaret; itemq. cum liber multos ante annos editus eſſet, in quo ſe Joannem Jacobum Paviſium Calabrum appellaſſet, omnibuſque pateret ſe Calabrum eſſe, ac *Paviſium* cognominatum, alium librum, quem poſtea edidit, in methaphiſica ſic praetitulavit; *Joannis Jacobi Paviſii, cognomento Calabri, genere Saſſonenſis; ordinariam Philoſophiam Romae profitentis Peripateticae Diſputationes, in prima Ariſtotelis philoſophica*, ad ampliſſ. Dominum Franciſcum Cardinalem Gonzagam, quae excuſae ſunt *Venetiis. in off. Marci de Maria Salernitani bibliopolae Neap. anno 1566. in fol.*

Haec diximus, non ad ipſius, nec liberorum, ſi qui ſuperſunt, dedecus; ſed ne tanti viri gloria natale ſolum privaretur, ac neq. a Regno ſe emanciparet.

Hunc credimus eſſe Joannem Jacobum Calabrum, qui anno 1545. inter explicatores philoſophiae extraordinariae in Patavino gymnaſio ponitur ab Antonio Riccobono *lib. 1. de Gymnaſio Patavino. cap. 14.*

Gabriel Barrius Franciſcanus *lib. 14. de ant. & ſitu Calabriae* meminit ipſius Joannis Jacobi Paviſii e Catanzario philoſophi, quem ait *Patavii, & exinde Romae plures annos philoſophiam publice fuiſſe profeſſum; ac ſcripſiſſe ſuper prima philoſophica, & ſuper animam Ariſtotelis, & alia.*

JO. JOSEPH CANTELMUS patricius Neapolitanus Populi Dux, ac poëta non injucundus conſcripſit Italice *Ariſtotelis libros meteorum* ſoluto Carmine, & eleganti quidem ſtylo. Edidit quoque Italice Tractatulum, quem inſcripſit *Apſichem*; quae omnia excuſa ſunt *Neap.*..

JOANNES JUVENIS Tarentinus presbiter ſaecularis, vir in Graeca, ac latina lingua eruditus, atque in veterum ſcriptorum lectione abunde verſatus fuit. Edidit latine ejus patriae Hiſtoriam accurate quidem, ac venuſte, quam libris octo complexus eſt, eamq. ſic inſcripſit *De antiquitate, & varia Tarentinorum fortuna* ad Illuſtriſſimum & Reverentiſſimum Dominum Laelium Brancacium Tarentinum Archiepiſcopum. Excuſa eſt *Neapoli. 1549. apud Horatium Salvianum. in fol.* ac recuſa *anno* 1600. cum libro, qui *Italia illuſtrata* dicitur, & *Franceſurti* prodiit *ex officina Cambieriana. in fol.*

JO. LAUR. ANANIAS Taberna Calaber, vide *Laurentium Ananiam*.

JO. MARCUS AQUILINUS, ex oppido Coriolani I. C. in foro cauſarum patronum diu egit, & jus civile privato gymnaſio docuit. Subtilis fuit, & doctus. Edidit operum legalium volumina duo; quorum prior pars continet *in Infortiatum & Digeſtum novum Commentaria, ſelectaſq. prae-*

lectiones, nempe *Repetitiones in l. Gallus ff. de lib. & poſth. L. Concurio de vulg.*, & *pupill. L. non ſolum §. morte ff. de op. novi nunciat. L. naturaliter. §. nihil comm. de acquir. poſt. L. ſi is, qui pro emptore de uſucap.*

In II. vero tomo continentur *Commentaria in II. partem Digeſti novi*, videlicet *Commentaria, ſeu Repetitio rubricae, & I. & II. ff. de Verb. obligat.* Prodierunt autem Aquilini opera *Venetiis. anno.* 1580. *in fol. impenſis Scipionis Ricci Bibliopolae Neapolitani*, Domino Nicolao Beraidino Sanſeverino Biſiniani Principi, ejus patriae domino, ab auctore dicata.

Joannem Marcum Aquilinum plurimum facit Alexander Raudenſis in tractatu *de Analogis*, quem ſaepius citat, imo in principio ejus libri inter Juriſconſultos, qui de Analogia, ſeu analogis expreſſe fecerat mentionem, enumerat, eumdem Joannem Marcum Aquilinum Neapolitanum interpretem in gymnaſio Neap.

JO. MA. CAMPANUS Lucerinus I. C. poſt multos regios Magiſtratus exercitos olim in Criminalibus magnae curiae Vicariae, tandem munificentia Philippi IV. Regis in Aprùtio ulteriori Regii Fiſci advocatus, edidit *Reſolutiones ſelectas ad materiam forjudicationis, cum quaeſtione unica de paena non revelantis crimen leſae majeſtatis* impreſſas *Aquilae*. 1647. *apud Franc. Marinum in* 4. Dominis Regentibus regiam Cancellariam dicatas.

JO. M. NOVARIUS ex Piſlicio Lucaniae oppido I. C. ac regius Auditor in provinciis Capitanatae, & Comitatus Moliſii multa ſcripſit ad legalem facultatem pertinentia: nempe, *Praxim, ſeu tractatum Electionis, & Variationis fori, qui loco commentariorum eſſe poteſt ad l. unicam C. quando Imperator inter pupillum, & Viduam & Conſtitut. Regni, Statuimus ſub titulo de Magiſtro Juſtitiario*, Excuſus eſt *Neapoli anno*. 1621. *apud her Tarqu. Longi. in* 4. Illuſtriſſimo Domino Petro Camporea S. R. E. Cardinali dicatus.

Quem quidem tractatum, deinde valde auctum, ac locupletatum edidit *Neapoli*. 1633. *apud Octavium Beltramum. in fol.* Domino Hectori Ravaſcherio e Lavanii Comitibus, Satriani Principi, ac Duci Cardinalis nuncupatum.

Scripſit etiam ſecundam partem ejus Tractatus, quem praetitulavit *Praxim noviſſimam; & ampliſſimam, abſolotiſſimumque tractatum de Electione & variatione fori ad L. unicam C. quando Imp. inter pup. & Viduam, & Conſtitut. Regni Statuimus de Magi. Juſtit.* quae excuſa eſt *Neapoli*. 1639. *apud Robertum Mollum. in fol.*

Practicam forenſem, ſive quotidianae practicaeque forenſes queſtiones, quam in duas diviſit partes, quarum prior prodiit *Neapoli. anno*. 1523. *ex Typogr. haeredum Tarqu. Longi. in fol.* Domino Virgilio Spinello ex Ducibus Aquariae dicata. Altera vero pars excuſa eſt *ibidem apud eoſdem*, eadem forma, *anno*. 1631. eidem Satriani Principi dicata; deinde *anno* 1636. recuſa *cum* ejuſdem *auctoris additionibus*. *apud Vincentium de Franco. in fol.*

Edidit quoque tractatum *de Vaxallorum gravaminibus, tam reſpectu Baronum, quam Judicum, aliorumque Officialium*; quem in tres tomos diſtinxit. Quorum primus *Neap.* excuſus eſt 1634. *apud Aegidium Longum. in fol.* Domino Mathiae Caſanatae Regiae Camerae Summariae Praeſidenti dicatus. Secundus vero *ibidem* prodiit *anno*. 1635. *in fol. ex off. Savii*, Domino Tiberio Carrafae Principi Biſignani; & Scillae nuncupatus. Tertius autem prodiit *Neapoli* 1642. Domino Antonio Cardinali Barberino dicatus; *apud Franc. Savium in fol.*

Collectanea & deciſionum reportata in Regni Neapolitani pragmaticas ſanctiones, edictave regia, in quibus, quae ad juris Commu-

munis per eas confirmati, ampliati, limitati correcti, & innovati enucleationem pertinet, & quae in praxi, & quotidiano uſu forenſi in regiis tribunalibus Neapolitanis, & aliorum Regnorum univerſis ſupremis Senatibus & curiis occurrere ſolent, declarantur; excuſa *Venetiis*. 1622. *apud Juntas*. *in* 4. Domino Joanni Baptiſtae Valenſuelae Velasques Regis a Latere Conſiliario, & Regiam Cancellariam Regenti dicata.

In ejus libri calce habetur ejuſdem auctoris, Tractatus, ſive *Praxis dationis in ſolutum neceſſariae juxta mentem auth.* hoc niſi *C. de ſolution. & §. quod autem* auth. *de fidejuſſore*. Domino Cardinali Camporeo dicatus.

Recuſus quoque fuit liber hic *Collectanearum* valde auctus, hoc titulo inſignitus: *Collectanea, & utilia tum priſcarum, tum neotericarum impreſſarum, & manuſcriptarum totius univerſi Orbis deciſionum reportata, ſeu mavis dilucida, abſolutiſſima, & practicabilia Commentaria in ſingulas etiam hujus temporis noviſſimas pragmaticas ſanctiones, ſecunda editio emendatior, & auctior*, impreſſa *Neapoli*..... *apud*.... Jacobo Calatravae, in ſupremo Italie ſenatu Regis Catholici Senatori, & in Regno Neap. dicata.

Tractatus quoque *De in ſolutum datione juxta mentem auth. hoc niſi C. de ſolution. & §. quod autem auth. de fidejuſſor*, valde auctus recuſus eſt *Neapoli*. 1636. *apud Jac. Gaffarum*. *in fol.* regio Conſiliario Franciſco Antonio de Angelis dicatus.

Edidit etiam Opuſculum *Singularium, & practicabilium deciſivarum quaeſtionum poſtremi, recentioriſq. juris Canonici; in quibus varia ſummorum Pontificum bullarum loca, Sacri Concilii Tridentini Capita, & regularum Cancellariae textus examinantur, & juxta Sacrae Rotae Romane Auditorii, aliorumq tribunalium orbis placita, illuſtriſſimorum Conſilii interpretum reſponſa, et rationabiliores ſententias memorantur*. Excuſum eſt *Neap.* 1628. *apud Secundinum Roncaliolum*. *in* 4. Domino Cardinali Franciſco Boncompagno Archiepiſcopo Neapolitano dicatum:

Lucernam Regularium utriuſq. ſexus, in qua practicabiliores, et magis quotidiani caſus ad eorum ſtatum concernentes ex bullis, motibus propriis, et privilegiis Summorum Pontificum, Sacri Concilii Tridentini dogmatibus, Eminentiſſimorumq. Cardinalium, ſacrarum Congregationum etiam recentioribus decretis, deciſionibus illuſtratur. Impreſſus eſt liber *Neap. apud Dom. Maccaranum* 1638. *in fol.* ac Domino Matthiae Caſanatae ſupremi collateralis Conſilii Regenti dicatus.

Tractatum etiam *De incertis, et male ablatis*, qui excuſus eſt *Neap.* 1639. *apud eumdem Maccaranum*. *in fol.* cum Andreae Tiraquelli tractatu *de privilegiis piae Cauſae*, ac cum *additionibus Joannis Aloyſii* Neap. Vici Equenſis Epiſcopi, & Joannis Baptiſtae de Thoro Neap.

Deciſiones Civiles, Criminales, et Canonicas, tam regii tribunalis Audientiae provinciarum Capitanatae, Apuleae, et Comitatus Molyſii Regni Neap., quam cauſarum Delegatuum ſcripſit etiam, cum is ejuſdem Regalis Praetorii per Catholicam Majeſtatem Philippi IV. Regis Hiſpaniarum Auditor, Conſiliarius eſſet. Excuſus eſt liber *Genevae. anno.* 1637. *apud Petrum Covet. in fol.*

Additiones quoque *ad deciſiones Neapolitanas Vincentii de Franchis*, quae cum iiſdem Deciſionibus, atque aliorum etiam additionibus excuſae ſunt *Venetiis*. 1626. *apud Juntas*. *in fol.* deinde recuſae *Auguſtae Taurinorum*. 1628. *apud Joannem Dominicum Tarinum*. *in fol.*

JO. MARTINUS EUSTACHIUS e Gambateſta medicus, ſcripſit Commentarium in librum Galeni; qui a nemine fuit commentariis illuſtratus, univerſam fere medicinam compendioſe complectens, atq. inſcribitur, *Introductio, ſeu medicus*. Cui idem Euſtachius ob quandam argumenti ſimilitudinem, alium adjunxit ſuum libellum *De Medicinae antiquitate*, impreſſ. *Neapoli. apud Horat. Salvianum*, et *Caeſ. Caeſaris*:

Digitized by Google

anno 1585. *in* 4. Illuſtriſſimo Domino Annibali de Capua Neapolitano Archiepiſc. dicatum.

Edidit quoque *Claudii Galeni Vitam*, in qua complectuntur omnium fere Galeni librorum, qui tercenti circiter nunc extant, Compendium, & pluſquam quadringentorum aliorum, qui deperiere, notitiam. Multorum ejuſdem locorum obſcurorum interpretationem; plurimarum vero contradictionum conciliationem; pulcherrimarum hiſtoriarum ex ſacris, & prophanis ſcriptoribus decerptarum cognitionem: Et totius fere orbis doctrinae, quam Graeci . . . . vocant, adumbrationem; ad Illuſtriſſimum Ferdinandum II. de Capua Termulanorum Ducem. Impreſſa eſt *Neap apud Horat. Salvianum* . 1567. *in* 4. Dignum ſane opus, quod cum Galeni operibus recuderetur.

JOANNES NEAPOLITANUS ordinis Praedicatorum, philoſophiae, utriuſque juris, & Sacrae Theologiae celeberrimus profeſſor, ac in Neap. Divi Dominici ejus ordinis Caenobio cathedram magiſtralem regens fuit. Demum Lutetiae Pariſiorum, cum varias philoſophiae, ac Theologiae quaeſtiones publice diſputaſſet, & ſolemniter Sententiarum libros ſubtiliter explanaſſet, inter Doctores Pariſienſes eſt adſcriptus: floruitq. annum circiter 1317.

Scripſit autem nonnulla nempe *ſuper quatuor Sententiarum libros*. *Quaeſtiones varias philoſophicas, et theologicas Pariſiis diſputatas num.* XLII.

Quodlibeta XIII. *Theologalia, Canonica, et Philoſophica*.

Sermones de tempore, de Sanctis, de mortuis, et aliis materiis. Quae omnia praeter Sententiarum libros, qui deſiderantur, in inſigni Bibliotheca ejuſdem Caenobii S. Dominici MSS. aſſervantur vetuſtis caracteribus in membranis exarata.

Fuit autem is e primis propugnatoribus doctrinae S. Thomae Aquinatis. De eo Antonius Senenſis Luſitanus *in Catalogo Ord. Praedicatorum lib.* IV. *cap.* 136. Antonius Poſſevin. *in* 2. *Vol. App. Sac.* Seraphinus *in Hiſtor. Vir. illuſtr. S. Dom.*, Leander Albertus *de viris illuſtr. Ord. Praedic. lib.* IV. Ambroſius Taegius *prima par. Monumentorum Ord. Praedic.* F. Joannes Michael Podius *in lib. de vita illuſt. virorum* ejus Ord. 2. *par. lib.* I. F. Alphonſus Fernandez *in Concertatione ſua Praedicatoria*.

Ejus *Quaeſtiones Pariſiis diſputatae* nuper poſt CCCII. annos ex ejus monaſterii Bibliotheca depromptae in lucem prodierunt *Neapoli* . *anno* . 1618. *apud Coſtantinum Vitalem* . *in fol.* quibus ejus praefixa eſt, ſive potius quidquid ad ejus vitam, doctrinam, opera, apud veteres, & recentiores ſcriptum reperitur, pertinet, breviter enarratur: ſunt autem hi.

Frater Joannes Capreolus Ord. Praedic. qui floruit anno Domini 1410. in pluribus locis ſui libri citat noſtrum hunc Joannem, nempe III. *ſent. diſt. b. queſt. unica artic.* 2. & ibidem *diſt.* 3. atque loca leguntur in indice capitulorum, & ſententiarum Capreoli operibus prefixi.

Frater Joannes Nider Ord. Praedic. theologus illuſtris in magno praetio habitus in Concilio Conſtantienſi, & Baſilienſi, ut qui ab eo bis ad Boëmos legatus miſſus eſt anno 1431. in ſuo *de Reformatione Religioſorum lib.* I. *Cap.* 2. *dub.* I. ponens dubium *an inducens aliquem ad intrandum deformatam religionem, peccet mortaliter*, ait: *hanc quaeſtionem Joannes de Neap. Ord. praedic. in utroque jure Magnus lib ſuo* de Quaeſtionibus *Statum religioſorum concernentibus tractavit par.* 2. *queſt.* 32. Et ſaepiſſime citat eumdem Joannem in eodem libro ita, ut nihil concludere videatur ſine ipſius ſententia. Ex quo auctore optime colligitur Joannem hunc Neap. etiam librum *de Quaeſtionibus Regularibus* conſcripſiſſe, & in plures partes eſſe diviſum.

Fr. Joannes de Turrecremata Hiſpanus Ord. Praedicator. Sacri palatii magiſter deinde S. R. E. Cardinalis *in tractatu de veritate Con-*

Conceptionis B. Virginis, quem exhibuit Baſilienſi Concilio anno 1437. *in part. 6. cap.* 29. citat Patrem Ordinis Praedic. Magiſtrum Joannem de Neapoli, *Magiſtrum ſolemnem Pariſienſem*, *in quodlibeto ſuo q.* 2. *& in part.* 9. *cap.* 2. allegat *ſolemnem doctorem Pariſienſem Magiſtrum Joannem* in quodlibeto ſuo.

Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus Ord. Praedic. qui floruit anno 1445. *in prima parte ſuae Summae Theologicae tit.* 8. *C.* 2. §. 4. *de concep. B. Mariae* recenſet Joannem Neapolitanum inter ſolemnes Doctores Ordinis Praedicatorum, & pluries ibidem eum citat.

Pius II. Pontifex Max. qui floruit anno 1460. in ejus *Commentariis lib.* 2. citat Joannem Neap. loquentem de ſanguine Chriſti.

Fr. Antonius de Neap. Archiepiſcopus Amalphitanus Ord. Praedic. qui floruit anno 1456. cujus opera M. S. habentur in Bibliotheca Sancti Dominici de Neap. *in lib.* 1. *ſententiarum diſt.* 1. *q.* 1. *fol.* 1. *Col.* 4. citat Joannem hunc noſtrum de Neap.

Fr. Petrus Niger Ord. Praedic. qui vixit anno 1472. in ſuo *Clypeo Thomiſtarum* edito anno 1481. in prologo, ait *ſequi ſe velle celebratiſſimos doctores, & illuſtres Ord. Praedic. nempe Albertum Magnum Herveum Paludanum, & Joannem de Neapoli*, & pluries citat Ioannem de Neap. in progreſſu ejus libri.

Fr. Paulus Sentinas Ord. Praedic. qui floruit anno 1450. *in Epitomis Joannis Capreoli* ſuper Sententias *in III. ſent. diſt.* 3. *quaeſt. unic.* citat Joannem de Neap. in quodlibeto 1. quaeſt. XI. & alibi ſaepius eundem in Quodlibetis citat, ejuſque doctrinam allegat,

Stephanus de Cajeta Neap. qui floruit ſub Ferdinando I. Siciliae Rege anno 1580. in ſuo tractatu *de Sacramentis* §. 6. *veniam ad Materiam Sacramenti Euchariſtiae num* 66, *quaeſt* 47. *quaero etc.* Qui quidem Tractatus habetur inter Repetentes in jura Canonico, citat Joannem de Neap. in quodlibetis.

Fr. Vincentius Bandellus Magiſter Generalis Ord. Praedic. qui vixit anno 1500. in ſuo Tractatu *de Conceptione Cap.* 4. citat Fr. Joannem de Neap. Quodlib. 1. *quaeſt.* 12. quem etiam appellat *doctorem Pariſienſem*.

Paulus Corteſius Prothonotarius Apoſtolicus, qui floruit anno 1504. *lib.* III. *Sententiarum quaeſt. de Incarnatione*, citat F. Joannis de Neap. doctrinam, quae habetur *quaeſt.* 36. utrum *Verbum potuerit aſſumere naturam irrationalem*, illumque recenſet cum Scoto, Paludano, Godifredo Henrico, &c.

Fr. Antonius de Chucaro ord. Minor. Epiſcopus Acernenſis, qui floruit anno 1506. in ſuo tractatu *de conceptione B. Virg. Mariae*, quae *Elucidarium Virginis* nuncupavit *fol.* 30. citat Magiſtrum Joannem de Neapoli *Doctorem Pariſienſem*, *in quodlibeto* 1. *quaeſt* 12.

Fr. Silveſter de Prierio Ord. Praedic. ac magiſter Sacri Palatii, qui floruit anno 1517. citat Joannem de Neap. *in ſua Summa, in verbo Canonizatio Sanctorum*, & verbo *medicus* §. 4. *quaeritur*. & verbo *votum*. 2. §. 16.

Fr. Thomas de Vio Cajetanus Ord. Predic. Card. S. Sixti, qui floruit anno. 1520. in III. parte *Summae S. Thomae quaeſt.* 4. *art* 2. citat Joannem de Neap. in quodlibeto, quaeſt. 9. Idem Cajetanus ibidem *quaeſt.* 17. *art.* 2. pluries citat Joannem de Neap. apud Capreolum *in* III. *ſenten. diſt* 6.

Fr. Bartholomaeus Medina Ord. Praedic. qui floruit anno 1585. eundem Joannem de Neap. in III. p. *ſummae S. Thomae quaeſt* 4. *art.* 2. & *quaeſt.* 17. *art.* 2. citat.

Andreas Tiraquel in Tract. *de Nobilitate Cap.* 31. *num.* 532. citat Joannem Neapolitanum inter Theologos, qui in ſententiis ſcripſerunt.

Ca-

Carolus Salerni Princeps, Roberti regis filius, ac Generalis Vicarius cauſam magni momenti vertentem inter filios, ac nepotes magni illius Bartolomei de Capua ſuper ſucceſſione Feudorum, ac bonorum diviſione, committit aliquibus proceribus, ac Iuriſconſultis, ac duobus Theologis, nempe *honorabili viro Fra. Joanni de Neapoli Ord. Praedic. ſacrae pagine doctori, & religioſo viro Fra. Franciſco de Exculo Lectori loci Santi Laurentii Ord. Minor. de Neap.* prout ex Regiis literis ſub datum *Neap. die 25. Junii* 1321. *Ind.* 4. *In Regiſtro Caroli Ill.* 1320. *Litera C. fol.* 14.

Tandem hunc credimus eſſe Fratrem illum Joannem de Neap. dictum *de S. Gregorio* ord. Praedic. cui Pariſiis ſtudenti Carolus II. Siciliae Rex anno 1309. pecuniam ſubminiſtrabat.

JOANNES DE NEAPOLI alter, ord. Praedic. ſacrae theologiae doctor, & concionator illuſtris, in librum redegit *Laudes, ac geſta S. Catherinae Senenſis*, edidit q. aliquot *Conciones in ejus Sanctae laudem*, ac fortaſſe alia ſcripſit. Floruit autem anno circiter 1406.

Fr. Gregorius Lombardellus Senenſis Ord. Praedic., vir quippe gravis *in ſummario Veritatis ſtigmatum S. Catharinae Senenſis*, quod Clementis VIII. Romani Pontif. juſſu conſcripſit, fratrem hunc Joannem de Neap. in Beatorum ejus ordinis numerum repoſuit, vocatq. *doctorem, ac Concionatorem Celeberrimum*, ac meminit ejus Concionum, quas in ipſius S. laudem edidit. Idem etiam teſtatur Fr. Joannes Michael Pius *in* 2. *part. vitae vir. illuſtr. ord. S. Dominici lib.* 2. de eo etiam FF. Antonius Senenſis in Bibliotheca FF. Ord. Praedic. & alii.

JO. NICOLAVS EVSTACHIVS Gambateſanus, ac civis Beneventanus, philoſophus, ac medicus, edidit eruditum opuſcolum *de Aere ſituq. Beneventanae Civitatis*, in quo plurima ad rem Medicam, philoſophiam; geographiam; & aſtronomiam pertinentia diſſeruntur; ad Illuſtriſſimum Dominum Pompeum Arigonum Cardinalem, & Archiepiſcopum Beneventanum, excuſum *Neap.* 1608. *ex typogr. Jo. Baptiſtae Subtilis apud Scipionem Boninum*. *in* 4.

JO. NICOLAVS ROGERIVS Salernitanus philoſophus, ac medicus in Salernitana Academia philoſophiae, dein ordinariae medicinae publicus profeſſor, ſcripſit *Expoſitionem trium tractatuum Averrois in logica magna*, quorum primus eſt *de Praedicamentorum primitate*, ſecundus *de termini definitione*, tertius *an particularium, vel univerſalium ſit definitio*. Ultimo eſt ſecundum Ariſtotelis opinionem quaeſtio propria *quid ſit medium in demonſtratione*; Illuſtriſſimo Ferdinando Sanſeverino Salernitanorum Principi dicatam. Impreſſa eſt. *Neap.* 1551. *apud Matthiam Cancrum*. *in* 4.

Scripſit quoque *Apologiam contra obtrectatorem quaeſiti* ſui de *medio demonſtrationis* quam dicavit Julio Caeſari Caracciolo Illuſtri muſarum alumno, impreſſ. *Neap.* 1553. *apud Raymundum de Amato in* 4.

Scripſit *Quaeſitum difficiliſſimum accurate explicatum de ſede, animae, membrorumq. principatu ex Galeni, Hippocratiſq. placitis adverſus philoſophos editum*, excus. *Neap.* 1574. *apud Joſephum Cacchium*. *in* 4.

Item edidit *Commentarium in Galeni librum de recta ratione curandi per Sanguinis miſſionem*, ad Illuſtriſſimum Dominum Marcum Antonium Card. Columnam Salernitanum Archiepiſcopum, excuſum *in Campania apud Jo. Dom. Nibium, & Jo. Franciſcum Scalonem in* 4. & recuſum *Venetiis anno*. 1597. *in* 4. qui liber probatur ab Alexandro Maſſana in lib. *de venae ſectione*.

Solutionem contradictionum in medica facultate part. primam ad Dominum Ferdinan-

nandum Carrafam Nuceriae Ducem, quae excuſa eſt *Neapeli apud heredes Matthiae Canceri, & Jo. Batpiſtae Cappelli*. 1583. *in* 4.

Conſcripſit quoque elaboratiſſima *Commentaria in duos Galeni libros de febrium differentiis*, quae brevi tunc typis committenda tradidit Horatius de La bella Venuſinus, philoſophiae, ac medicinae ſtudioſus, ac Rector Salernitani ſtudii ejus diſcipulus, *in epiſtola ad lectorem*, quae ei libro praefixa eſt.

JO. Nic. de Vicariis patritius Salernitanus in Salernitano gymnaſio juris Civilis primarius, ac publicus profeſſor, edidit *Lecturas*, ſive, ut ipſe vocat, *ſcripta, et conſiderata in lectura ordinaria pr. partis Infortiati*, nempe ſuper titulo *ſoluto matrimonio*, & in l. *Gallus* ff. *de lib. et poſthum.* quae una cum *conſilio in materia donationis*, excuſa ſunt *Neap. apud Dom. Paſquetum Neapol. anno* 1524. *in fol.* Scipioni Columnae Prothonotario Apoſtolico, & Epiſcopo Reatino olim ejus auditori in Salernitano ſtudio dicata.

Scripſit quoque *Interpretationes ad titulum, et leges* ff. *de Officio ejus, cui mandata eſt juriſdictio*, & ff. *de juriſdictione omnium judicum*. Item *additiones ad leges Codicis*, quae omnia complevit, ut ipſe in fine ejus operis ait, anno 1541. quaeq. M. S. penes Dominum Bartholomeum Caracciolum de Aragonia aſſervantur.

Joannis hujus Nicolai de Vicariis meminit Joannes Antonius de Nigris in Cap. *Regni grande fuit* n. 6. ibiq. *ſe ſtuduiſſe in Salernitano ſtudio ſub diſciplina recolendae memoriae domini patris, et praeceptoris* ſui *Joancolae de Vicariis de Salerno ejus tempeſtate primarii, et floridiſſimi*.

Jacobutius de Franchis *in praeludiis Feudorum* ipſius meminit.

Loiſius Serra Conſentinus in l. *Gallus* ff. *de lib. et poſth.* loquens de Joannae Nicolao de Vicariis, quem *magiſtrum ſuum* appellat ait, *Quis enim in utroque jure, et Civili, et Pontificio eminentior, tanta, hercule, doctrina praeditus eſt, et Juriſconſultorum maximus noſtrae tempeſtatis merito ſit appellandus*.

Vincentius Maxilla in *Conſuetudinibus civitatis Barii*. in Conſ. *quicumq.* ſub titulo *de immunitatibus noſtrae civitatis* Barii num. 24. ait, *anno* 1519. *ſe legalem facultatem in publico gymnaſio Salerni audiviſſe per tres annos a Clariſſimo, et ſubtiliſſimo Jureconſulto Joanne Nicola de Vicariis*.

Vincentius de Franchis *deciſ.* 197. *num.* 6. ait, *Joannes Nicolaus de Vicariis ſuo tempore fuit maximus doctor, ut ſaepius audivi a doctiſſimis viris, et teſtatur* Niger *in* Cap. *Regni grande fuit*.

Nicolaus Bartholomaeus Pulcinenſis *in Commentariis ſuper regia pragmatica Ferdinandi Toleti*, circa veſtimenta, domorum paramenta, luctus mulierum, ac circa pompas funebres immoderatas, qui editi ſunt anno 1558. meminit de Caeremoniis, quas celebrari vidit in Civitate Salerni, tempore, quo obiit *eximius doctor, & Comes Palatinus Joannes Cola de Vicariis Patricius Salernitanus*.

JO. Paschalis Svessanvs medicus ſcripſit librum *de morbo vulgo Gallico appellato*, ad Gaſparem Siſcarium Patricium Neapolitanum excuſum *Neapoli* 1534. *apud Jo. Ant. de Caneto Papienſem in* 4. qui dein recuſus eſt cum tomo *magni operis diverſorum* de eodem *morbo gallico Venetiis.* 1566. *apud Jordanum Zilettum in fol.* in p. tomo *de morbo gallico* editionis *Venetae anni* 1599. *apud Baretium Baretium.* in *fol.*

Gabriel Fallopius Mutinenſis in tract. de *de morbo gallico cap.* 14. meminit Joannis Sueſſani Neapolitani loquentis de morbo gallico. Joannis hic Paſchalis de Sueſſa artium, & medicinae doctoris, & incolae hujus Civitatis Neapolis audacis, & integri viri, ac partium civitatis, & populi Neapolitani ſtudioſi, ac acerrimi defenſoris,

ris, qui floruit anno 1547. qui inter auctores nonnulles Neapoli conflati connumeratus fuit, ac rebellis declaratus.

Joannis Sueſſani in tumultu Neapolitano ſub Petro Toletano meminit Jacobus Auguſtus Tuanus *Hiſtoriarum ſui temporis part. 1. lib. IV.*

JO. PAVLVS BALZARANVS Neapolitanus Juriſconſultus ſcripſit luculentiſſimas *Interpretationes ad libros Feudorum*, quae editae ſunt *Venetiis anno. 1596. apud Juntas.* in *fol.* Philippo II. Hiſpaniarum, & Neapolis Regi dicatas.

Commentaria inſuper *ad Conſtitutiones utriuſq. Siciliae*, in quibus praxis omnium fere rerum ad eas pertinentium, quae in regiis hujus Regni Tribunalibus occurrere ſolent, continentur. Excuſa ſunt *Neap. 1620. ad Conſtantinum Vitalem* in *fol.* poſt authoris mortem a Joanne Balzarano auctoris filio in lucem emiſſa, qui & Illuſtriſſimo Domino Cardinali Gaſpari Borgiae in Regno Neapolitano Proregi dicavit.

JO. PAVLVS FLAVIVS Albertanus, ex oppido nempe Alberto prope Cajetam, edidit *Orationem* Romae Pauli IV. Pontificis Max. juſſu habitam *De pace inter Summos Chriſtianos Reges Gratulatio*, quae excuſa eſt *Romae. apud Ant. Baldum impreſſorem Cameralem. in 4.* Vincentio Pontico Lucenſis Reipublicae apud Summum Pontificem legato dicata.

Item edidit aliam *Orationem* Romae in funere ejuſdem Pontificis Pauli IV. habitam IV. nonas Septembris anno 1559. quae impreſſa eſt *Neap. apud Matthiam Cancrum. 1560. in 4.* Alphonſo Cardinali Carrafae dicata, & in epiſtola ejus nuncupatoria ad eumdem Cardinalem pollicetur ejuſdem Pontificis Vitam a ſe multis ab hinc annis inchoatam proſequi, & ab ipſius Cardinalis Majoribus res praeclare geſtas litterarum monumentis commendare.

Jo. Antonius Summontius *tomo 4. hiſtor. Neap. lib. x. cap. III. fol. 326.* ait Joannem Paulum Flavium *virum magnae doctrinae, ac multae eloquentiae orationem habuiſſe in funeribus Caroli V. Imperatoris a Paulo IV. Rom. Pont. Romae celebratis in principio menſis martij 1559.*

JO. PAVLVS GALTERIVS ex oppido Altimontis in Lucanis, legum doctor, edidit *Praxim tutelarem, in qua quicquid ad tutores, pupillos, & Judices pertinet, breviter explicantur*, excuſ. *Neap. 1601. apud Jo. Jac. Carlinum. in 8.* D. Laelio Urſino Gravinenſium olim Ducis filio, Montiſcaglioſi, ac Pomarici domino dicatam. Dein ab auctore aucta, & locupletata, recuſa eſt *Neap. 1621. apud Secundinum Roncaliolum. in 4.* Domino Joanni Baptiſtae Valenzuelae Velaſquez Regio a Latere Conſiliario, regiamq. Cancellariam in Regno Neapolitano Reg. dicata.

Conſcripſit etiam *Practicam Criminalem inſtrumentariam*, nempe de inſtrumenti publici forma, reaſſumptione, liquidatione, & executione, juxta ritum magnae Curiae Vicariae, quae excuſa eſt primo... dein ab authore recognita, & aucta tertio prodiit *Neap. 1619. in 4. ex typogr. Tarquinii Longi.*

JO. PAVLVS GRIMALDVS Neapolitanus Societatis Jeſu Theologus, ſcripſit Italice *Vitam S. Rogerii Cannenſis Epiſcopi, ac patroni Civitatis Baroli cum* piis, & eruditis *annotationibus ad ſtatum Epiſcopalem*, atque variam eccleſiaſticam eruditionem pertinentibus, excuſ. *Neap. apud Tarquinium Longum 1607. in 4.* Congregationi Beatae Mariae ejuſdem Civitatis dicatam. Obiit autem Neap. anno 1641.

JO. PAVLVS MONGIVS Hydruntinus recognovit una cum Joanne Coſteo Laudenſi

denſi, poſt aliorum operam, *Avicennae medicinales libros*, ex *arabica lingua* in *latinam verſa*. In quibus praeter magnam in emendando textu diligentiam, & lectionem, ex antiquiſſimis Codicibus collectam varietatem, ac, praeter arabicarum dictionum; explicationem ex probatiſſimis quibuſq. auctoribus excerptam, additae ſunt *Annotationes* eorumdem *Mongii*, *& Coſtei in libros Canonis*, quibus conſenſus, & diſſenſus principum tam philoſophorum, quam medicorum inter ſe breviter, ac ſuccincte, quantum fieri poteſt, explicatur. Ita teſtatur Joannes Georgius Schenkius in ſua *Bibliotheca Medica*.

JO. PAVLVS MONTANARIVS Neapolit. II. doctor edidit *Interpretationes ad pragmaticas Regni*, tractantes *de adminiſtratione Univerſitatum*, in quibus etiam materia *de electionibus Officialium*, & earum validate, *de Syndicis*, *& Electis*, eorumq. poteſtate, & auctoritate fuſius tractatur. Excuſae ſunt. *Venetiis*. 1592. *apud Junctas*. *in fol.* Domino Marthos de Goroſtiola regio a latere Conſiliario, regiam Cancellariam Regenti dicatae.

JO. PAVLVS SPINELLVS e civitate Caſtellaneta pharmacopola edidit *Lectiones in omni eo, quod pertinet ad artem pharmacopeam*, quas in quatuor libros, ac volumina duo digeſſit. In quibus ſolvuntur dubia, quae in omnibus fieri poſſunt, tam in Canonibus Meſſiae, quam in compoſitionibus, & ſimplicium electione; tum in opere diſtillationum; in quibus differitur, & practice, & theorice, ut de arte, legi, ac diſputari poſſit. Primum autem volumen latine edidit, & Domino Galeatio Sanvitali Barienſium Archiepiſcopo nuncupavit, excuſum *Barii*. 1605. *apud Julium Caeſarem Venantium*. *in 4.* Secundum vero volumen Italicè ſcripſit; quod Adriano Aquevivo Converſani Comiti dicavit, excuſum *ibidem* eiſdem *anno*, *& forma*. Deinde unico in volumine denuo recuſae ſunt omnes Lectiones *Barii*. *apud Jacobum Guidonum*. *1633 in 4.*

JOANNES DE PENNA Neapolitanus Philoſophus, ac Medicus ſcripſit *Reprobationes in tractatum Comminantium Franciſci de Bononia de animatione ſeminis*. Habetur in *ſumma* Thomae de Garbo.

JO. PETRVS DE ALEXANDRO Galateus in Salentinis II. doctor pulcrarum ac humanarum litterarum ſtudioſus edidit haec:

Imitationes Torquati Taſſi ſuper poëmate *Hieroſolymae liberatae*, cum *libro Epigrammatum*, impreſſ. *Neap.* 1604. *apud Conſtantinum Vitalem* Domino Hyeronymo de Montibus Marchioni Coriliani dicatas.

Hieroſolymae everſae a Tito Imperatore epico Carmine *libros X.* impreſſos *Neap.* 1614. *apud Tarquinium Longum*, Domino Franciſco Pinello Acheruntiae Duci, & dictae terrae Galatulae Marchioni dicatos.

Academia Ocioſorum epico Carmine *libri* III. excuſi 1615. *Neap.* Excelentiſſimo Domino Lemenſium Comiti Regni Proregi, quibus poëticae, & feliciter ejus Academiae Ocioſorum Neapolis laudes explicuit.

Cento Virgilianus in libro *Exequiarum Reginae Margaritae* de Auſtria. *Cento Virgilianus* in promotione ad Cardinalatum, & Archiepiſcopatum Neap. Eminentiſſimi Domini Aſcanii Filomarini. *Cento Virgilianus* in promotione Archiepiſcopatus Hydruntini ad Illuſtriſſimum Cajetanum Coſſum. 1633. *Cento Virgilianus* in promotione Archiep. Tarentini ad Illuſtriſſimum Thomam Caracciolum. 1639. *Cento Virgilianus* Panegyris in promotione Epiſcopatus Licienſis ad Illuſtriſſimum D. Aloyſium Pappacodum. 1639. *Cento Virgilianus*, & Panegyris ad Illuſtriſſimum Hippolytum

de Conſtantio in praeſidatu Hydruntinae Eccl. 1642.

Panegyris in promotione ad Cardinalatum Emenentiſſimi D. Antonii Barberini. 1635. *Panegyris* in promotione ad Cardinalatum Eminentiſſimi Card. Franciſci Mariae Brancacii. 1635. *Panegyris* in promotione ad Cardinalatum Eminentiſſimi Card. Aloyſii Cajetani, impreſſ. *Licii*. 1647. *apud Petrum Michaëlem*.

Opera non impreſſa, & abſoluta, ſunt videlicet. *De Roſario B. Virginis libri* III. elegiaco Carmine. *Anagrammatum cum epigrammatis* liber. *Annotationes in Odes* pr. part. Summi Pontificis Urbani VIII.

Apologia pro Jacobo Sannazario contra cenſuras Julii Caeſaris Scaligeri. *Commentaria ſuper aliquibus* libri Hieroſolymae liberatae Torquati Taſſi. *La difeſa del Marino contro l' Occhiale del Stigliano*.

JO. PETRVS MANGRELLA Cavenſis J. C. & doctrinae praeſtantia, & in ſupremis Regni tribunalibus cauſarum patrocinio inſignis, multa opera ad legalem facultatem pertinentia conſcripſiſſe fama eſt. E quibus multos poſt annos, ab humanis eo ſublato, haec edita ſunt, nempe *Additiones ad Bartolum*, quae in noviſſima Bartoli editione *Venetiis* . . . . . *apud ſocietatem minimam* prodierunt.

Additiones ad Baldum, quae cum Baldi operibus excuſae ſunt *apud Juntas*. 1616.

Annotationes inſuper, ſive *additiones ad jus Civile* pertinentes, *in Digeſtum vetus*, *ac novum Inſortiatum*, *ac Codicem*, quae cum aliquot I. C. Neapolitanorum ſcriptis edita ſunt *Joannis Portiae Ricchae* Neapolitani legum profeſſoris *cura*, *ac ſtudio*. *Venetiis*. *apud Georgium Variſcum*. *anno*. 1607. *in fol.*

Sunt autem hae juris ſtudioſis perutiles ad inveniendos caſus occurrentes, materias a doctoribus tractatas, & in abditis locis reconditas, ad leges Digeſtorum, & Codicis adnotatas; ubi Caſus conſimiles habentur, concluſiones, limitationes; ampliationes, & innumera quaeſita remiſſa ad auctores, & potiſſimum ad eos, qui circa manus Cauſidicorum verſantur.

JO. PETRVS MASSARIVS ex oppido Oratinenſi in Citeriori Aprutio civis Neap. adlectus, Presbyter ſaecularis, ſacrae Theologiae profeſſor, ac legum doctor, & Prothonotarius Apoſtolicus fuit. Scripſit heroico Carmine libellum de Veſuviano incendio, cui titulus eſt: *Syrenis lacrymae effuſae in Montis Veſuvii incendio*, & *gratiarum actio pro recepto beneficio*, qui excuſus eſt *Neap. apud Aegidium Longum*. 1631. *in* 4. Domino Bartolomeo Juſtiniano Avellinenſium Epiſcopo dicatus.

Elogia eodem Carmine, *Heroum clariſſimae*, & *Excellentiſſimae Familiae Caracciolae Funeraliaq. Avellinenſia*, *in obitu Marini Caraccioli* Principis Avellini, Tripaldae Ducis S. Severini Marchionis, Gravis militiae cohortis Praefecti, aurei velleris equitis, & magni Regni Cancellarii, *typis Dominici Roncaglioli*. 1632. *in*. 4. Domino Thomae Caracciolo, tunc Cyrenſi Epiſcopo, nunc Tarentino Archiepiſcopo dicata.

Elogium eodem Carmine *in laudem Eminentiſſimi Jo. Baptiſtae Raraſcherii* Principis Belmontis, quod excuſum fuit *Neap. anno*. 1639. *typis Franc. Savii*. *in* 8. *Carmina* item variis in locis ſparſim edita veluti: *Panegiricum Carmen* in laudem Excelentiſſimi D. Comitis Montis Regii in Regno Neap. Proregis, excuſum in *libro* I. *Bartholomaei a S. Fauſto*. *Panegyris* laudum Eminentiſſimi Antonii Barberini Cardinalis in II. *tomo* ejuſdem Bartholomaei a S. Fauſto. *Epigrammata Varia* in laudem ſereniſſimi Principis, & Cardinalis Mauritii a Sabaudia in III. *tom.* ejuſdem *Bartholomaei*. *Elogium S. Euthariſtiae Sacramenti in tom.* IV. dicti *Bartholomaei*

Digitized by Google

lomaei. *Elogia* in laudem libri IV. ejuſdem D. Bartholomei a S. Fauſto, alias Pyrrhi Siculi Placienſis, Monachi Congregationis S. Bernardi reformatae, excuſa *apud Jacobum Gaffarum*. 1635.

JO. PHILOCALVS TROJANVS, Graeca ac latina lingua peritus, vir multas lectionis, variae eruditionis, ac totius antiquitatis valde Studioſus, latina, ac Italica poeſi excultus fuit; atque humanarum litterarum in Neap. gymnaſio publicus profeſſor. Multa ſcripſit tum metro, tum ſoluta oratione latine, ac Italice; de quibus haec dumtaxat comperta ſunt, nempe:

Carmen latinum *genethliacum* in diem natalem F. . . . . filii Alphonſi Avali, & Mariae Aragoneae; quod Conſtantiae Avalae de Aquino feminae illuſtriſſima, Francavillae Principi dicavit, ſub datum *Neap. nonis ſextilibus* 1531. impreſ. *Neap.* 1533. *apud Jo. Sulzbacchium Hagenovenſem Germanum in* 4. *Carmen* pariter latinum *panegyricum in reditum* Illuſtriſſimi Ferdinandi Sanſeverini Salernitanorum Principis quod Iſabellae Villemarinae Salerni Principi nuncupavit, excuſ. *Neapoli*. 1532. *apud eumdem*. *in* 4.

Cantio Italico metro, recitata Neap. Illuſtriſſimo Domino Alphonſo Avalo Vaſti Marchioni, Generali Duci Caeſarei exercitus, quam dicavit Joanni Antonio Muſettulae, excuſ. *Romae*. *in Campo Floris*. *apud Ant. Baldum de Aſulo*. 1630. *in* 4. *Cantio* altera, Italico pariter carmine, in laudem Dominarum D. Juliae, & D Mariae de Cabaniliis, dicata Dominae Nicolae Cabaniliae, excuſ. 1530. *ibidem*. *apud eumdem*. *in* 4.

Avalidos nempe *Epigrammata Centum*, in laudem Alphonſi Avali Vaſti Principis (quod is *Opus aureum*, nuncupavit) Victoriae Columniae Ferdinandi Avali conjugi dicata. *Epigrammatum liber ad diverſos*.

Oratio de laudibus Caeſaris Caroli V. pro pace inita cum Franciſco Gallorum Rege. *Oratio in funeribus Gentilis Albertini* J C: & Regiam Cancellariam regentis.

Paraphraſin in aliquot Perſii Satyras; nempe I. II. III. IV., & ultimam, quas pene adoleſcens Neapoli dictaverat, cum in ejus urbis Academia publice profiteretur, Rethoris perſonam ſuſtinens. *In Plinii naturalis Hiſtoriae epiſtolam ad Titum Paraphraſis*, ad Petrum Antonium Campanum, Antiſtitem Hydruntinum. *In Horatii* etiam *Odas & Satyras Paraphraſin*, & *Orationes* in Paraphraſi ad Perſium.

Vidimus quoque pergrandem librum propria Philocali manu ſcriptum, cui titulus erat: *Quicquid invenit dignum lectione Philocalus ex Graecis, Latiniſq. authoribus*. In veteri M S. codice comperimus ſequentem tumulum Joannis Philocali; at neſcimus, ſi fuerit ejus ſepulcro appoſitus, vel honorarius, & ubi fuerit ipſe ſepultus:

Epitaphium Philocali.

HIC EST PHILOCALVS VIATOR ILLE
HIC EST QVEM LEGIS ET VIDERE QVERIS
HONESTI STVDIOSVS APPETENSQ.
QVI CVLTOS EPIGRAMMATVM LIBELLOS
PLENOS EDIDIT ATTICI LEPORIS
QVEM NEC HISTORIAE REMOTIORES
QVEM NEC FABVLA GRAECA NEC LATINA
VOCIS NOTIO NEC FEFELLIT VLLA.
QVEM TOT DOCTA NEAPOLIS PER ANNOS
AVDIVIT STVPVITQ. DE CATHEDRA
SVPRA GRAMMATICOSQ. RETHORESQ.
DOCTE DOCTA POEMATA EXPLICANTEM.

NEAPOLI PVBLICE PRIVATIMQ. HVMANIORA STVDIA PROFESSVS EST AN. XXIV. IN AMICITIA CAMPANORVM VIXIT APVD QVOS AN. AGENS LXIV. MORIENS SIBI LOCVLVM FIERI CVRAVIT.

JO. PHILOCALVS TROIANVS RHETOR ET POETA VIXIT VIVENS DIVTIVS PERPETVO IACET HIC.

JOANNES PLATEARIVS Salernitanus; Philoſophus, ac medicus ſcripſit librum *De febribus*, *de paſſionibus omnium membrorum*, *ſeu Practicam medicinalem brevem membrorum curandorum*, *etiam febrium*, quae cum operibus Joannis Serapionis prodiit *Venetiis*. *anno*. 1497. *ex offic. Octaviani Scoti*, *& anno*. 1530. *apud haeredes* ejuſdem Octaviani, & Socios *in fol.*, *& Lugduni*. 1525. *per Jacobum Maſt. in fol.*

Item *De ſimplici medicina*, *ordine alphabetico*, *librum*, excuſum cum Nicolai Praepoſiti *Diſpenſario*. *Lugduni*. *apud Conſtantinum Fradin. anno*. 1512. *in* 4.

In eo libro *De ſimplicibus medicamentis*, edidit, inter alios, Joannes hic Platearius librum, quem inſcripſit, *Circa inſtans*, *in quo agitur de remediis*, *quae in iſtanti ex facti urgentia requiruntur*. Ejus libri *Circa inſtans* paſſim complures praeclari medici mentionem fecerunt, & praeſertim Petrus Hiſpanus philoſophus, ac medicus illuſtris qui dein fuit Joannes xx. ſeu xxv. Romanus Pontifex, floruitque anno 1276. in ſuo libro, quem vocavit *Theſaurum pauperum*; in quo ſaepius eum librum *Circa inſtans* non expreſſo nomine authoris citat.

Saladinus quoque de Aſculo in *Compendio Aromatariorum*, in particula prima, de eo libro loquens, ſic ait: *Alius etiam liber eſt aliqualiter uſualis*, *nominatus* Circa inſtans, *& tractat de ſimplicibus per alphabetum*; *ſed parum eſt in uſu*, *licet ſit optimus*.

Edidit quoque *Expoſitiones*, *& commentaria ad Nicolai de Salerno Antidotarium*, quae cum Meſue operibus excuſae ſunt. *anno*. 1527. *Venetiis*. *apud Lucam ant. Juntam*, itemq. cum Serapionis operibus *Venetiis*. *anno*. 1497. *apud Octavium Scotum* impreſſa ſunt.

Practica vero *brevis morborum curandorum*, *etiam febrium*, una cum ejuſdem *De ſimplici medicina* libro, Serapionis operibus, & *Theſauro pauperum*, aliis ſimul editis conjuncta, excuſa eſt *Lugduni*. *anno* 1525. *apud Jacobum Mitam. in fol.*

Qua aetate hic vixerit non habetur exploratum; ſed ante eumdem Joannem Papam floruiſſe conſtat.

JO. E S. DEMETRIO, oppido prope Aquilam, & ob id Aquilanus *e Sancto Demetrio* dictus eſt, Ordinis minoris de obſervantia, edidit Italice *Conciones quadrageſimales*, *& in aliquibus feſtis anni*, *cum ſermonibus*, *quos habuit*, & *breve Compendium Confeſſionis*, *additis litteris quibusdam familiaribus*, quae omnia excuſa ſunt *Venetiis*. *anno*. 1569. *apud Aegidium Regazzola*, *& Dom. Cavalcalupum*. De eo Poſſevin. 2. *vol. Appar. Sacr.*

Fertur etiam ſcripſiſſe *Regulas Etruſcae linguae*, ut Salvator Maſſonius in lib. *de rebus Aquilanis* ait, quae huc uſq. minime prodierunt. Vixit anno 1569.

JO. SANCTVS E NEAP. vide *D. Auguſtinum e Neapoli*.

JOANNES SCOPPA, vide *Lucium Joannem Scoppam*.

JOANNES SIMONETA Calaber, Joannis Galeatii Sfortiae mediolanenſium Ducis a ſecretis, vir certe eruditus, ac latine dicendi peritus fuit. Edidit latina lingua, ſublimi equidem, ac perpolito ſtylo *De rebus geſtis Franciſci Sfortiae Mediolani Ducis*, *inſignis eá aetate militum Imperatoris*, *ac rei militaris gloria illuſtris*, *libros* XXXI., quae *Sfortiades* appellatur, ab Alphonſi Regis primo in Italiam adventu anno 1424. ſummatim auſpicatus uſque ad annum 1466. quo is Dux obiit. Ipſius *Franciſci Sfortiae geſta* conſcripſit, in quibus nedum ejuſdem Franciſci geſta, verum etiam omnium Italicorum populorum, Regum, ac Rerumpublicarum facta, domi, foriſque complectitur; eaque fide, ac religione

gione, et nihil gratiae, atque adulationibus datus ſit. Sic enim Simoneta a Franciſco Sfortia anno 1444. accerſitus, ad eum ſe contulit, atque ad ultimum ejus Ducis vitae diem apud illum permanſit, ejus geſta literis mandavit, quod ei ſemper praeſens fere omnibus interfuit. Eos autem libros Simoneta eidem Joanni Galeatio obtulit, qui impreſſi ſunt *Mediolani. anno. 1486. apud Antonium Zarottum. in fol.* quos in Etruſcam linguam tranſtulit Chriſtophorus Landinus Florentinus, excuſos *Venetiis*. 1544. *apud Venturinum Ruffinellum. in* 8.

Paulus Jovius Simonetam hunc inter illuſtres litteris viros connumerat, atque ipſius elogium facit, aitq. Caeſarem in ſuis Commentariis tum ordine, tum verbis, ac totis viribus ſuiſſe imitatum.

Bartholomaeus Facius *libri* VI. *hiſtoriae Mediolani* appellat Joannem Simonetam *Virum magnae bonitatis, & ornatiſſimum ſcriptorem hiſtoriae Sfortiadis.*

De Jacobo Simoneta viro magnae bonitatis, ac doctrinae, ſcriptore ornatiſſimo hiſtoriae Sfortiadis, Bernardinus Cocius *in hiſtor. Mediolanenſi part.* VI.

Raphael quoque Volater. *lib.* XXI. ſuae *Antropol. in cap. de his, qui reliquis in artibus claruerunt*, meminit Joannis hujus Simonetae Calabri, qui geſtis Franciſci Sfortiae volumen dicavit.

De Joanne tandem hoc Simoneta, qui linguarum varietate, ac litteris fuit praeſtantiſſimus, & Mediolani Ducum major, ac generalis ſecretarius, atq. Mediolani Ducatum (uti fere Vicedux diutius rexit) ejuſq. rebus geſtis ſcire ſi exoptas, conſule, quae Paulus Morigia in ſua *hiſtoria de antiquitate Mediolani lib.* I. *Cap.* 27. & *lib.* IV. *cap.* 47. diſſerit.

Obiit autem Joannes Mediolani annum circiter 14. . . & in S. Mariae gratiarum Ordinis Praedicatorum ſepultus eſt, ubi haec legitur marmorea inſcriptio.

D. O. M.

JO. SIMONETA SFORTIANAE HISTORIAE CONDITOR DI. FRAN. SF. FILII ET NEPO. SVBINDE SECRE. INNOCENTIAE, ET PROB. CVLTOR ET IN VTRAQVE FORTVNA MODESTISSIMVS HIC CVBAT
HOC S. HERES SEQVATVR.

At mediolani adhuc ejus poſteri ſuperſunt, ac inter nobiles ejus urbis recenſentur; e quibus inſignes viri tum S. R. E. Cardinales, tum Senatores, aliique Eccleſiaſticis, ac ſaecularibus dignitatibus, litteris, ac religione fulgentes prodierunt.

Caeterum quamvis Joannes hic Simoneta in ejus libris, ac caeteri, qui ipſius faciunt memoriam, ejus patriam reticeant, Calabrum dumtaxat eum vocantes; attamen e Cotrono Calabriae urbe, illum prodiiſſe compertum eſt: & Gabriel Barius Franciſcanus in libro *de antiquitate, & ſitu Calabriae*. Et Hieronymus Marafiotus *in Chron. Calabriae lib.* V. *Cap.* 3. teſtantur.

JOANNES STEPHANVS Sicinianenſis, e Siciniano Lucaniae oppido, grammaticus inſignis, edidit *Compendium regularum ad elegantiam latini ſermonis comparandam*; nova quadam docendi ratione, ac brevi & facili via latine linguae perdiſcendae, ex Cicerone potiſſimum decerptum, & ex caeteris nobiliſſimis latinitatis auctoribus, *libri* VI. Illuſtriſſimo Franciſco Antonio Caracciolo Barnabae filio, juveni generoſiſſimo, ac praeſtantiſſimo dicatum, ſub datum *Siciniani 7. Idus febr.* 1570. Excuſum item prodiit *Venetiis*. 1586. *apud Hieronymum Polum. in* 8. & ibidem 1610. *apud Georgium Bizzardum. in* 8.

JOANNES DE SVLMONA Aprutinus, ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Theologus, ac lector, conſcripſit *Commentarios in Apocalypſim Joannis, & in Cantica Salomonis*,

monis, quos Gulielmo Cremonenſi Priori generali ejus ordinis nuncupavit. Extant Ferrariae in Bibliotheca S. Andreae ſui ordinis manuſcripti. Floruit, autem annum circiter 1340. ut teſtatur Frater Joſeph Pamphilius Signinus Epiſcopus *in Chron. Ord.* S: *Auguſtini*, & Frater Thomas Cratianus in *Anaſtaſi Auguſtiniana*, de Scriptoribus ordinis Eremitarum.

JOANNES TARCHANIOTA Caietanus, hiſtoricus inſignis, Graeca, ac latina lingua peritus, edidit Italice librum, in quo continetur concinna, ac lepida deſcriptio civitatis Neapolis, cum brevi ſuorum Regum hiſtoria; cui titulus eſt: *Del ſito, & lodi della Città di Napoli, con una breve hiſtoria degli Rè ſuoi, e delle Coſe più degne altrove nè medeſimi tempi avvenute*. Impreſſ. *Neap. apud Joannem Mariam Scottum 1566. in* 8. Sereniſſimo Domino Carolo Auſtriaco Hiſpaniarum Principi nuncupata.

Scripſit quoque librum Carmine Italo, quem inſcripſit *L'Adone* excuſ. *Venetiis* 1550. *in* 8.

Elucubravit etiam *Hiſtoriam univerſalem* Italice, in epitomen nempe redegit hiſtoriam totius mundi ab orbe condito, uſque ad annum 1513. per annos optime digeſtam, ex variis, & probatis ſcriptoribus tum Graecis, tum latinis, ſumma fide, ac diligentia depromptam, quam in duas partes, & volumina tria praegrandia diſtinxit, & Coſmo mediceo magno Etruriae Duci nuncupavit. Utillimum ſane opus ac valde neceſſarium; quicquid enim omnes fere hiſtorici, qui ab orbe condito ſcripſerunt, ac poſteris tradiderunt in uno libro tamquam in ſaeculo intuemur, atque infiniti fere ſcriptores per tempora, atque annos eo in libro expenduntur, & in unam veluti harmoniam, ac conſenſum adducuntur. Vacavit autem in eo opere conſcribendo (ut ipſe de ſe teſtimonium perhibet) annis triginta tribus, & *Venetiis* primo *ex officina Michaëlis Tramenzini anno* 1556. prodierunt *in* 4. dein pluribus in locis recuſa.

Mambrinus quoque Roſeus e Fabriano addidit, ſupplevit, ſive proſecutus eſt *Tarchaniotae hiſtoriam ab anno* 1513. *uſque ad annum* 1575. cujus liber ſeorſim, & ſimul etiam cum Tarchiniotae operibus variis in locis excuſus eſt, & praeſertim *Venetiis*. *anno*. 15. . . . *apud haeredes Franciſci*, *& Michaëlis Tramenzini*. *in* 4.

Caeſar quoque Campana Aquilanus proſecutus eſt *Hiſtoriam Tarchaniotae & Mambrini Roſei* uſque ad noſtra tempora, ut ſuperius in Campana diximus. Bartolomaeus etiam Dionyſius Farneſii Tarchaniotam, ubi deſinit, uſque ad annum 1606. continuavit, ac *quintam partem* unico volumine *Tarchaniotae* adiecit, quae in aliquibus editionibus ſimul habentur.

Miror Joannem Tarchaniotam in ea hiſtoria, ejus patriam tacuiſſe, cum *in deſcript. Neap. urbis*, & in *Adone*, & *in part. 2. opuſcul. Plutarchi* a ſe translatorum Cajetanum ſe eſſe in fronte libri profiteatur. At ſcimus eum Cajetanum fuiſſe, ejuſque filios, ac poſteros Neapoli, & Caietae commoratos ad haec uſque tempora; etſi is primam ejus domus originem e Graecia, ex civitate Miſiſtra, repetat, & in Italiam, ac Neapolitanum Regnum ejus patrem advectum teſtetur *in 2. parte* ejus *Hiſtoriae Univerſalis lib*. xx. Eſt autem Miſiſtra nobiliſſima civitas Peloponeſi, quae veteribus Lacedemoniis Sparta dicebatur.

Vertit quoque in Italicam linguam multa *Plutarchi Cheronei opuſcula moralia*, quae duabus partibus, totidemque voluminibus diſtincta edita ſunt; dein recuſa *Venetiis*. *anno*. 1559. *apud Hieronymum Giglium*, *& ſocios in* 8. De quorum translatione gloriatur idem Tarchaniota in *lib.* III. *2. part.* ejus *hiſtor. univerſal. ait q. Opus illud in juventute a ſe editum, cum nondum annum vigeſimum quintum ſuae aetatis ageret.*

Tranſtulit etiam Orlandi Flavii Forolivienſis

ſis *Romam triumphantem*. itemque *Romam reſtauratam*, & *Italiam illuſtratam*, duobus voluminibus partitam; quae prodiit ſub ficto nomine *Lucii Fauni Caietani* re vera Tarchaniota ipſe ea vertit. Prodiit autem *Venetiis. ex typographia Michaëlis Tramezini anno*. 1544. & 1548. *in* 8. ut ſuperius in *Lucio Fauno* diximus.

Alia inſuper opera a Joanne Tarchaniota conſcripta crediderim, quando quidem Camillus Salernus, ejus coaevus in *Commentariis ad Conſuetudines Neapolitanas* in prohaemio in verb. *noſtra Neapolis*, ſic ait.

De origine, & dignitate Neapolis vide omnino Joannem Trachaniotam in Tractatu de Situ, & laudibus hujus civitatis, quem poſt mundi Chronicam generalem, in tribus magnis voluminibus ſcriptam; aliaq. plurima non parvi momenti opera edita, noſtra Italica lingua copioſe, & eleganter compoſuit.

FINIS TOMI PRIMI.

5269679

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google